St. Sup. R. 1.ª
XI. 12
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
1
11 -A
12
ROMA

J. KIRCHMANNUS
et ALII
DE
ANNULIS



JOH. KIRCHMANNI
LUBECCENSIS
DE
ANNULIS
LIBER SINGULARIS.

Accedunt

GEORGII LONGI,
ABRAHAMI GORLÆI,
ET
HENR. KORNMANNI
De iisdem Tractatus absolutissimi.

LUGD. BATAV.
Apud HACKIOS,
CIↃIↃCLXXII.

Admodum-Reverendo, Generoſo, ac Excellentiſsimo Domino,

DN. IOHANNI ADOLPHO KIELMANNO

A KIELMANSECK,

Domino Hereditario in Satrupholm & Opdorff: Eccleſiæ Cathedralis, quæ eſt Hamburgi, PRÆPOSITO, Sereniſſimi Cimbrorum Ducis Regnantis, CONSILIARIO INTIMO, Cameræ DIRECTORI & CANCELLARIO, nec non PRÆFECTO in Moorkirch, Dolroth & Langſtede;

Domino ac Patrono ſuo Gratioſiſſimo.

SOlemne quaſi ac tralatitium eſt, Admodum Reverende, Generoſe, ac Excellentiſſime Domine Cancellarie, ut Clarorum Virorum lucubrationes Illuſtribus ac Principibus Viris aliiſve in ſummâ dignitate conſtitutis conſecrentur, ut inde non ſolum ſplendorem quendam fœnerentur, ſed et-

iam tanquam ſub tutelari aliquo Numine ſecurius in publicum procedant. Cum itaque ab aliquot jam annis id egerim, ut optimi beneque de me meriti Parentis mei Librum de ANNULIS, per litteratum orbem jam pridem diſtractum, ac Doctiſſimis quibuſque hujus ſeculi Viris probatum, priore editione auctiorem ac correctiorem typographi operâ publici juris facerem, flagitium certe me admiſſurum putavi, ſi ſub alio, quam ſplendidiſſimo Tuo Patrocinio illum in lucem emitterem. Cauſſę autem, quę me eo impulerunt, in promptu ſunt longe graviſſimæ, ac inter illas facile familiam ducit ſingularis iſta obſervantia, qua Te piiſſimus Pater meus à multis annis proſecutus eſt, quam &, quamdiu vitalem huncce ſpiritum hauſit,

Ti-

Tibi abſque fuco ac fallaciis more majorum illibatam ſervavit: nulla alia de cauſa, quam ob auguſtas ac plane divinas animi Tui dotes, in quibus exornandis & ipſum ſymbolum aliquod olim contuliſſe, Ipſemet in Tuis XXV. die Octob. Anno MDCXXIX. poſt reditum ex Batavia Itzehoæ datis ad ipſum litteris, teſtis omni exceptione major es. Et ſane non facile dixerim, quanto ille gaudio perfundebatur, cum ex Generoſiſſimo Domino WINTERFELDIO, & ſuæ olim diſciplinæ alumno (de quo nihil tam magnifice dici poteſt, quin id merita in hoſce Ducatus ſuperent) intellexit, Te à Sereniſſimo PRINCIPE noſtro in auguſtiſſimum CONSILIARIORUM aulicorum numerum cooptatum eſſe, illaque ampliſſima Senatoria di-

gnitate ſumma cum laude fungi. Quid autem animi ipſum jam eſſe putares, ſi in hunc uſque diem fata illum reſervaſſent, ac de ceteris ſummis iſtis dignitatibus, ad quas Principum maximi Te poſtmodum tuo merito certatim evexerunt, audiviſſet? Quis enim quæſo Germaniæ angulus eſt, ad quem non penetravit famoſiſſima illa totique Regio-Ducali Domui Holſaticæ ſalutaris Legatio, quam ante aliquot luſtra auſpiciis Sereniſſimi PRINCIPIS Tui in Ratiſponenſibus Comitiis ac aula Cæſarea difficillimo rerum ſtatu obiviſti, & quidem tam inſolita cum dexteritate, ut non ſolummodo partes Tibi demandatas ex voto adimpleveris, ſed & Illuſtriſſimos Imperii Ordines in Tui admirationem accenderis, Cæſareamque Majeſtatem

adeo

adeo Tibi devinxeris, ut Te dignissimum judicarit, quem non solum, hereditario jure, Nobilitate donaret, verum etiam & Augustalis Dignitatis suæ participem faceret, ac inter splendidissimos illos Sacri Palatii Comites allegeret. Egregium mehercule & vere Cæsareum de Ingenii Tui magnitudine ac in ponderosis rebus gerendis sortia judicium! Si enim

Principibus placuisse Viris non ultima
Laus est,

Cujus quęso, Generose Domine Cancellarie, acroama Tibi honorificentius esse potest, quam istius, qui omnium Principum Princeps est Maximus ac inter eos tantum eminet, quantum inter minora cœli lumina Luna solet? Nec longe inferior est hæcce dignitas, qua Sereniss. mus Princeps Tuus Te iisdem

de cauſis non ita multo poſt ornavit, dum Summum Magiſtratum, qui quidem hiſce in locis in Virum togatum cadere poteſt, ac proinde quaſi quoddam honorum ſolſtitium eſt, ſine ullo ambitu Tibi demandavit, quem etiam tanta cum prudentia ac vitæ ſanctimonia geris, ut omnium bonorum judicio quaſi de cœlo miſſus videaris, qui juſtitiam, ſuperioris ſeculi dicam an hominum? vitio, loco motam, tanquam alter Papinianus poſtliminio in priſtinum ſtatum reſtituas. Non eſt itaque, ut aliquis admiratione afficiatur, quod Ordo Equeſtris Ducatus Schlesvicenſis Te Civem ſuum eſſe voluit, ac Sereniſſimus Princeps Tuus tam ſplendidam Prefecturam, quam in ſuperioribus annis nulli niſi Eminentiſſimi Nobiles iſtius

Du-

Ducatus administrarunt, fidei Tuę concredidit. Merita Tua in Principem ac Patriam utrumque Tibi conciliarunt, quę sane tanta sunt, ut non solummodo omnibus Antecessoribus Tuis, quotquot fuerunt in Officio Cancellariatus palmam hac in re plane dubiam facias, verum etiam iis, qui posteris erunt in annis, adscensum desperatione imitationis plane prohibeant. Sed quo me ducit amplissimorum meritorum tuorum commemoratio? quorum laudes ne culpa ingenii mei deterere videar, silentio ea obsignabo; ad exemplum sagacis istius pictoris, qui velo obumbrasse dicitur, quod penicillo exęquare desperabat. Pręterquam itaque, quod respectu auctoris, tam chariſſimi ac fidiſſimi quondam capitis tui, Libri hujus Dedicatio optimo

jure Tibi competat, volui & ego illa ipsa omnem ingrati animi maculam à me amoliri, & meam erga Te devotionem, qua nulli Tuorum clientum cedo, publice testari. Est enim proh dolor! inter homines ita jam constitutum, ut pro beneficiis vix ulla esse gratia, imo beneficiorum memoria brevissimo temporis spatio plane exstirpari soleat: ne itaque alicui idem de me suspicari liceret, omnem suspicionis ansam hacce Nuncupatione præcidere volui. Accipe igitur, Admodum Reverende, Generose ac Excellentissime Domine Cancellarie, Patrone gratiosissime, hunc Optimi Parentis mei de ANNULIS libellum, tanquam summę meę erga Te Tuamque Familiam observantiæ ac devotionis tesseram, & quidem vultu illo sereno ac be-

benigno, quo istius auctorem olim amplexus es, & me porro, ut cœpisti, de optima nota Tibi commendatum habe. Supremus illę vitæ necisque Dominus Te tum corporis tum animi prę sertim bonis quamdiu servet superstitem atque illam longissimam, quam designat ANNULUS, Æternitatem Tibi Nobilissimęque Tuę familię felicem ac beatam esse velit. Dabam SCHLESWIGÆ Anno post Christum natum CIↃ IↃ C LVII. XX. die Martii, quo ante XIV. annos piissimus Parens meus mortalitatis onus placide deposuit.

Admodum-Reverendæ
ac
Generosæ Dignitatis
Vestræ

Observantissimus
ac devotus
Cliens

JOHANNES KIRCHMAN D.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo Viro

DOMINO

JANO RUTGERSIO

SERENISSIMI SUECIÆ REGIS

GUSTAVI ADOLPHI

Conſiliario & ad Potentiſſimos Ordines

Belgii Fœderati Legato, Domino & amico ſuo magno

JOHANNES KIRCHMANNUS S. P. D.

ANni ſunt hodie novem, *Nobiliſſime Rutgerſi, quando hac tranſiens, ad me quem Roſtochio huc commigraſſe intellexeràs ſalutandi cauſa ultro veniebas, &, quæ tua eſt humanitas, me nihil tale cogitantem ad amicitiam tuam non admittebas ſolum, ſed & advocabas. Ex illo tempore etſi quidem Fortuna te & Virtus certatim ad ampliſſimas dignitates evexere; non tamen ſemel con-*

conceptos amoris noſtri igniculos intermori paſſus es, ſed eos non ſolum abſens inter tot negotia, quibus quotidie diſtringebaris, ſuaviſſimarum epiſtolarum quaſi flabello ventilaſti: verum etiam quoties in hanc Urbem veniſti, ea benivolentiæ & amoris ſigna mihi incoram oſtendiſti, ut majorem vix poſſes ulli eorum, quos quotidianus vitæ uſus tibi adjunxit. Hæc tua ſingularis humanitas ita me cepit, ut rationem mihi eſſe ineundam putarem, qua meam quoque erga te obſervantiam declararem, niſi vellem perpetuam ingratitudinis notam ſuſtinere. Quare cum hoc ipſo temporis articulo, quo Serenisſimi & fortisſimi Regis tui ad Belgii Fœderati Ordines Legatus hâc denuo tranſis, libellus noſter De Annulis fatone an caſu? Typographi opera abſolutus exiret, largiter mihi in genium amicitiæ noſtræ peccaturus videbar, ſi eum alteri quam tibi inſcriberem. Præter enim quam quod tu me ad illum perficiendum.

dum & divulgandum crebro hortatus es, tu quoque omnium optime judicare de his ſtudiis potes; quæ ab ineunte ætate ſic ſemper coluiſti, ut jam in Repub. litteraria unanimi ſuffragio omnium litteratorum jus ſpectandi in ipſa orcheſtra conſequutus ſis: quæque ſic etiam nunc amas, ut nec in graviſſimis occupationibus tuis, non in difficillimis & periculoſiſſimis itineribus, quibus fere florem ætatis tuæ contriviſti, priſcos ſcriptores è manibus deponas. Teſtantur id libri Variarum Lectionum, multiplici eruditionis copia referti, quibus æternitati nomen tuum conſeciſti: teſtabuntur id Venuſinæ Lectiones, quibus ut aliquid otii nactus extremam tandem manum imponas, nec earum editionem orbi diutius invideas, omnes Muſarum alumni te rogamus. Nolo hic ceteras animi tui dotes recenſere, ne quid auribus tuis dare videar. Hoc tantum à te etiam atque etiam peto, ut tenuem hunc libellum, quem clariſſimi nominis tui auſpiciis jam in

pu-

publicum emitto, tanquam exiguum pignus & monumentum magnæ in tè observantiæ magnique cultus benigna fronte accipias, eique locum aliquem in selectissima tua bibliotheca assignes. Quod si, ut spero, à te impetravero, voti mei summam me consequutum putabo. Vale Vir Amplissime & me solito amore complecti perseverа. Datum Lubecæ a. d. IV. Kal. Decemb: Anno CHRISTI CIↃ IↃ C XXIII.

JO-

JOHANNES RUTGERSIUS
JOHANNI KIRCHMANNO suo S. D.

PErlegi, Vir Clariſſime, & ita me Deus amet, perlegiſſe jucundum fuit, ea folia, quæ è tuo De Annulis Libello ad me miſiſti. Tam enim accurate, tantaque cum eruditione tota ejus Hiſtoria à te tradita eſt, ut neque ei ad perfectionem, neque tibi ad ſummam laudem quicquam deeſſe videatur. De quo ego plura dicerem, ſi tot mihi linguæ forent, quot tu eo libello tibi obligaſti. Quod vero me potiſſimum eligere tibi placuit, cujus honoris tam præclarum laborem dedicares, verba non invenio, quibus gratias tibi condignas agam. Sed totum illud, cui ego ſolvendo non ſum, à tantopere devinctâ tibi & præſenti & venturâ ætate feres. Interim quando aliud, quod reponam, nihil habeo, hunc animum in perpetuum tibi dovoveo. Cujus ego, ut tu tuum erga me hoc Annulo tuo obſignaſti, teſtem atque obſidem hanc epiſtolam eſſe volo. Vale Vir Clariſſime, &, quod facis, te imitari perge. Dabantur Hamburgi, ipſis Kalend. Decembribus, cIↃ IↃ c xxiii. Dionyſiano.

JU-

JUDICIA CLARISSIMORUM VIRORUM.

HANNIBAL à SCHAUWENBURG

EQUES MELETENSIS,

S. Cæsareæ Majestati FERDINANDO II. à Consiliis bellicis ac Ducis Wallenstenii supremus excubiarum Præfectus.

GRatum quidem mihi fuit, quod mihi nostram in Academia Pisana ante XXVII. annos contractam amicitiam per litteras in memoriam revocare Tibi volupe fuerit: Longe gratius, quod etiam me nuper coram inviseris, ac non solummodo tui alloquii copiam verum etiam de pace cum Danorum Rege ineunda certam nobis spem feceris. Gratissimum autem animo meo accidit aureum illud donum Tui de ANNVLIS libelli, nec mihi solum, sed & ceteris Cæsareis Legatis, qui in ardua quadam causa cum vestræ Civitatis Cos. Dn. Colero agenda, Tuum & consilium & auxilium desiderant. Adsis ergo nobis crastino die, volente Deo, in prandio, & omnes pro Tuo de ANNVLIS Libro magnam Tibi reponemus gratiam, maximam autem relinquemus Reipublicæ Litterariæ: ad quam emolumentum istius libri potissimum redundat. Lubecæ X. Januarii Anno M DC XXIX.

FOP-

FOPPIUS AB AISSEMA,

Fœderatarum Belgii Provinciarum ad Civitates Anseaticas Legatus.

Rutgersius cum iret in Hollandiam, dies aliquot hîc substitit. Qui cum forte in prandio mihi adesset cum nonnullis hujus loci, editionem excellentissimi tui Laboris de ANNVLIS mihi aperuit. Ex eo quod & ejusdem me participem facere dignatus es, pergratum fuit. Vix initia Libri perlegere mihi licuit ob publicas quasdam occupationes, comperi autem confestim ex ungue Leonem, & singula omnia vere tua, hoc est, accurata, nitida, Latina. Quanti tua Virtus & doctrina apud me sint, mavelim re ipsa quam verbis testari, si contingat quandoque occasio. Interea visum fuit symbolum aliquod exile propensi mei in te animi tibi strenæ loco reponere, nummum hunc aureum. Sumes eum ab amico, qui tantum te veneratur, quantum tu litteras. Hoc est Impense &c.
Hamburgi XVII. Jan. Anno M DC XXIV.

ISAACUS CASAUBONUS.

Tuum de ANNVLIS Commentarium, ut omnia tua, perexspecto cupide. Perge igitur ἀγαθῇ τύχῃ, & rem auge litterariam. δωίαστι γὰρ, ut si quis alius.
Lutetiæ Parisiorum VIII. Kal. April 1608.

GEOR-

GEORGIUS CALIXTUS D.

EX quo doctissimos tuos de FVNERE ROMANORVM ET ANNVLIS Libros videre datum est, quod adolescente ante annos nisi fallor XXX contigit, amare equidem Te cœpi & colere. Dexteritatem enim judicii cum multiplici lectione conjunctam mirabar & osculabar, Flensburgi *postridie Kalendar. Ianuar. ineuntis anni* CIↃ IↃ C XXXV. *quem tibi felicem & fautum nobisque omnibus salutarem & tantopere desideratæ paci feracem exopto.*

DANIEL HEINSIUS.

MUnus tuum vere eximium de Annulis accepi, pro nomine non uno me obstrictum tibi scire debes. Nam & ab auctore eo est profectum, quem ex accuratis de Funere Antiquorum Libris pridem admiratus sum, & inscriptum ei, quem in terris carissimum habeo, quodque caput rei est, sic scriptum, ut cum hoc tempore vel tituli vel voluptatis causa legamus, longe doctior à Lectione illius discesserim. Quare noli dubitare, quin sim inter eos, quos tu aliud agendo plurima docere potes, &c. Hagæ-Comitis An. 1624. 4. Octob.

THO-

THOMAS I. INDEMAN
J.U.D ac Professor in Acad. Rostoch.

DE ANNVLO Tuo jam ante inaudieram, sed ego istum nondum indueram, nec ejusdem virtutes indagaram. Nunc quo pressius eundem examino, eo penitius scrutari desidero. Magnus tibi labore constitit, ast immortalitatem retribuit: ad quam rectam viam uti grassaris, ita eandem diutissime & felicissime prosequaris voveo. Optant hæc *non tantum Viri magni tibi Amici, sed & juvenes infiniti, &c.* Rostochii III. die Novemb. An. M DC XXV.

MICHAEL PICCARTUS.

Tractatum tuum de ANNVLIS avide expectamus, teque rogamus, ut matures: mirifice me affecit Caroli Paschalii Opus de Coronis, non minus animum perpruriscere facit spes tui de Annulis syntagmatis. Nam ex FVNERIBVS tuis quæ nobis voluptas nata? quanto major speranda ex nitore & dignitate Annulorum? Altorsio IV. Cal. Jan. An. CIↃ IↃ C XIII.

GERARDUS JOH. VOSSIUS.

EQuidem feci te semper plurimi, ob excellentem interiorum litterarum doctrinam. Atque hoc satis per se erat ad nos conciliandos. Quanto nunc magis id fieri à me æquum

est,

est, cum litteris tuis, quibus Nobilissimum Iuvenem IOHANNEM FRIDERICVM A WINTERFELDT mihi recommendasti, benivolentiam testatus sis prior? Quod vero hactenus iis non responderim, infortunii potius est quam voluntatis, &c. Atque eo id magis nunc exigebatur, quia dono etiam obstringere me tibi voluisti: Libro nimirum DE ANNVLIS monumento ingenii tui docto sane & laborioso. Quod quanto ego accuratius lego, tanto magis jucunda ejus nec fructuosa minus lectione oblector. Pluraque de præclaro & immortali hoc opere adderem. Sed quia me meaque litteris ipse extollis tuis: alibi sane (nam Doctissimi cujusque scriptis celebrari mercris) commodius id fiet, quam hoc loco: ne videar epistolam tuam imitari, mutuoque potius gratificari quam præ meritis efferre virtutes tuas. Lugd. Batav. cIↃ IↃ c XXVIII.

MATTHIAS BERNEGGERUS.

EX quo primitus egregios illos Libros de FVNERIBVS ROMANORVM & ANNVLIS videre contigit, Kirchmanne Clarissime, etiam illud alterum evenit, quod solet ubi hæc talia oculis nostris offeruntur. Quid autem? ut voce ita sensu Virgiliano, PERII. Ita dico, & Libros illos, & multo magis eorum auctorem, sed quasi tacitus amavi: & ex eo quæsivi occasionem, cum auctore, hoc est, Tecum per litteras, quando comminus non licet, confabulandi. Hactenus denegata fuit, jam demum satis commoda affertur &c. Argentorati XX. Jan. An. M DC XXX.

JOH.

JOH. MICHAEL DILHERRUS.

POstquam Libros illos tuos reconditæ eruditionis de Funere Romano *atque* ANNULIS *summa animi oblectatione perlegi, in penitissima & sacræ & secularis Litteraturæ adyta Te perrupisse animadverti. Alter famam tuam rogo funereo eripiet; alter nomini tuo annos addet innumerabiles.* Jenæ prid. Cal. Octobr. cIↃ IↃ C XXXVI.

JOH. HENRICUS BOECLERUS.

DE cetero si fas est publico nomine aliqua meæ preces apud te moliri, cum plurima cottidie domi tuæ nasci compererim ad rempublicam litterariam ornandam pertinentia, noli quæso ea diutius, quam cuperent eruditi, premere, sed quibus amplissima eruditionis tuæ documenta, Libros dico DE FUNERIBUS ROMANORUM AC ANNULIS *dedisti, eorum desideria perpetua benignitate implere perge.* Argentorati M DC XLII. an. Feb. XVI.

JOHAN-

JOH. KIRCHMANNI DE ANNULIS LIBER SINGULARIS.

CAPUT I.

Annuli etymon & variæ significationes.
Ungulus, Condalus.

ANnulorum historia non admodum in vulgus nota est, quæ tamen multos insignes & notabiles ritus continet, quorum explicatio magna luce perfundere poterit priscos scriptores. Ea re nobis visum fuit quæ de iis sparsim legimus, hoc libro collecta vulgare, & hanc operam gratificari illis, qui antiquitatis & humaniorum literarum studio tenentur. Ne vero quenquam longiore antelogio detineamus, jam nunc à carceribus prosilimus in ipsum circum, quem ita decurremus, ut à nominis notatione, quod in quaque re Stoïci facere consueverunt, exorsi, ut

aliud ex alio in mentem nobis inciderit, ita quodque persequamur.

Annulus igitur, vel, ut alii scribunt, *Anulus*, & *Anellus*, diminutiva sunt, & à voce *Anus*, quæ circulum significat, derivantur. Nam *ut parvuli circuli annuli: sic magni dicebantur anni*, teste Varrone lib. 5. de ling. Latina: qui etiam hinc *tempus illud, à bruma ad brumam dum sol redit, Annum* dici autumat. Cui adstipulatur Servius in lib. 1. Æneidos: *Annus dictus quasi anus, id est, anulus, quod in se redeat: ut est in secundo Georg. Atque in se sua per vestigia volvitur annus.* Ob quam causam etiam annus apud Ægyptios, ante inventas literas indicabatur *picto dracone caudam suam mordente: quia in se recurrit*, ut ait idem Servius ad hæc verba: *Septem ingens gyros* lib. 5. Æneidos.

Habet igitur hæc vox duplicem significationem, Laxam & Astrictam. Hæc est, qua usitatum & vulgo notum digitorum gestamen proprie denotatur. Græci à digitis Δακτύλιον appellavere, teste Plinio lib. 33. cap. 1. Prisci *Vngulum* interpretati sunt; quod, præter Plinium dicto loco, testatur Festus: *Vngulus Oscorum lingua annulus.* Pacuvius in Iliona: *Repugnanti ego porro hunc vi detraxi ungulum.* Et in Atalanta: *Suspensum in lævo brachio ostendo ungulum.* Idem autem Festus notat annulum quoque *condalum* dici solitum:

Con-

Condalus, ait, *annulus: Condalium similiter annuli genus*, à Græco Κόνδυλος, quod digiti articulum significat: mutato υ in a, ut κύλιξ calix. Plaut. Trinum. Act. 3. scen. 3. vers. 7. *Satin' in thermopolio condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem.* Et vers. 15. *Inter eosne homines condalium te redipisci postulas?* Idem Plautus Menandri fabulam, quæ Δακτύλιον inscribitur, & ab Athenæo lib. 6. laudatur, cum vertere vellet, Condalium eam nominavit, ex qua Varro lib. 6. de ling. Lat. locum quendam citat.

Laxior significatio est cum Annuli appellatione signamus, quicquid fere orbiculari forma præditum est. Quo sensu *Annulos velares* dixit Plinius, quibus aulæa & cortinæ contrahuntur, aut expanduntur lib. 13. cap. 9. *Lignum intus* (loquitur de Persica Ægypti) *grande, firmæque duritiæ, ex quo velares detornant annulos.* Loricam quoque esse *tunicam ex anulis ferream* ait Varro, lib. 4. de Ling. Lat. Et compedes, quibus noxiorum, vel fugitivorum pedes vinciuntur, *Annulos* vocavit Martialis cum alibi, tum lib. 3. Epigram. 29. quo Zoilum perstringit, qui ex servo eques factus priores annulos, puta compedes, Saturno dedicabat:

Has cum gemina compede dedicat catenas
Saturne tibi Zoilus annulos priores.

Eodem significatu & Apuleius sumsit lib. 9. Metamorph ubi describit homines

in pistrino laborantes, quorum *nonnulli exiguo tegili tandummodo pubem injecti; cuncti tamen sic tunicati, ut essent per pannulos manifesti, frontes literati, & capillum semirasi, & pedes annulati.* Sed & de intortis illis crinibus, qui alias *cirri* dicuntur, usurpat idem Martialis libro 2. Epigr. 66.

Vnus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, incerta non bene fixus acu.

De Inauribus Plautus in Pœnulo Act. 5. scen. 2.

MILPH. *Viden' homines sarcinatos consequi?*
Atque ut opinor digitos in manibus non habent.
AGOR. *Quid jam?* MILPH. *Quia incedunt cum annulatis auribus.*

Eodem modo etiam apud Græcos Δακτυλὶς vox varie accipitur. Nam præterquam quod, ut apud Latinos *Anus*, sic ipsa quoque podicem significat, etiam retibus τῶν δακτυλίων tribuit Xenophon libro de Venatione; Et utrasque rotæ extremitates: & ferreos illos circulos, per quos habenæ trahuntur: & perforatos lapides, quibus alligare rudentes solent, Δακτυλίους appellari, notat Jul. Pollux lib. 1. Onomastici cap. 10, 11. Et lib. 10. cap. 30.

CAP.

Caput II.

Annulos à Prometheo originem trahere fabulosum. Eorum usum apud Hebræos & Ægyptios etiam ante Trojana tempora extitisse. Græcos lignis à vermibus exesis res quasvis ante inventos annulos signasse. Δεματόθηκα. Romanos à Sabinis vel Hetruscis annulorum usum accepisse. Statuas quoque annulis fuisse ornatas.

ORigo annulorum incerta est. Fabulæ illorum vestutatem à rupe Caucasea repetunt & Promethei vincula eo detorquent. Narrant enim ipsum, quod ferulâ ignem è cœlo furtim sustulisset, à Jove ad Caucasum religatum, & volucri objectum; sed postea, cum Jovem monuisset, ut à Thetide abstineret, nisi vellet ab eo, quem ipsa paritura esset, regno expelli, ejus indulgentia ab Hercule liberatum, hac tamen lege, quoniam juraverat, se nunquam eum soluturum, ut ad pœnæ præteritæ indicium annulum ferreum digito gestaret, cui saxi fragmentum esset inclusum: hoc exemplo deinde mortales in gratiam Promethei annulos primum digitis induisse. Plinius in præfatione libri 36. & Servius in 6. Eclogam Virgilii. Verum hoc Plinio merito videtur esse fabulosum, cum libro 32. cap. 1. inquit: *Pessimum vitæ scelus fecit, qui annulum primus induit, nec hoc quis fecerit traditur. Nam de Prometheo omnia fabulosa arbitror, quanquam illi quoque ferreum annu-*

lum dederit antiquitas, vinculumque id, non geſtamen intelligi voluerit. Quomodo & apud Germanos *fortiſſimus quiſque ferreum annulum [ignominioſum id genti] velut vinculum geſtabat, donec ſe cæde hoſtis abſolveret*, teſte Tacito de Moribus Germanorum. Trojanis temporibus Annuli uſum fuiſſe ignoratum affirmat idem Plinius, hac ratione ductus, quod Homerus eorum nullam fecerit mentionem, *cum & codicillos miſſitatos epiſtolarum gratia indicet.* Iliad. ζ. *& conditas arcis veſtes, ac vaſa aurea, argenteaque & ea colligata nodi, non annuli nota* Odyſſ. θ. De Græcis quidem hæc vere dicuntur. Nam hos, & præſertim Lacones, ante inventum annuli ſignatorii uſum, lignis à vermibus exeſis res quaſvis ſignaſſe, legimus in Græcorum commentariis. Heſychius: Οἱ Λάκωνες σφραγῖσιν ἐχρῶντο ξύλοις ὑπὸ θριπῶν βεβρωμένοις καταστηματογραφίοις ὅπου βούλοιντο. Ubi ex Philoſtephano tradit, Herculis id fuiſſe inventum. Hinc ſignacula illa θριπήδεσσι & θριπόβρωτα fuerunt nuncupata. Etymologici autor: θριπήδεσσι, τὰ ὑπὸ τῶν θριπῶν βεβρωμένα ξύλα, οἷς ἀντὶ σφραγίδων ἐχρῶντο. Euſtathius Odyſſ. ω. θριπήδεσσι, ξυλήφια τὰ ὑπὸ θριπῶν βεβρωμένα, οἷς ἐχρῶντο οἱ σφόδρα οἰκονομικοὶ ἀντὶ γλυπτῶν σφραγίδων. Suidas: θριπήδεσσι, ξύλα ὑπὸ θριπῶν βεβρωμένα, οἷς ἐσφράγιζον. Atque hujus conſuetudinis fit mentio apud Lycophronem

phronem Cassandrâ, & Aristophanem θεσμοφοριαζούσας, ut præter Casaubonum notavit Clariss. Meursius ad Lycophronis Cassandram. Notat etiam Theophrastus suâ ætate multos signasse lignis, quæ vermiculi vel teredines pertuderant, lib. 5. histor. cap. 1. τῶλλὰ ὑπὸ τ φλοιὸν ὑποδυόμενοι σκώληκες ἐπιπολῆς ἐγλεφόυζε τὸ ξύλεχ@, οἷς ἡ σφραγῖσι χρῶνταί τινες. *Cæterum vermes sub corticem se insinuantes, truncum in superficie corrodunt, quibus quidam loco sigillorum utuntur.* Quibus verbis. ἠριπόρωζε vel ἠριπλέγζε σφραγίδια intelligi dicit Salmasius ad Solinum, pag. 933. A. Sed apud Hebræos, & Ægyptios etiam ante Iliaca tempora annulos fuisse usurpatos apparet, cum ex facto Judæ, qui Thamari nurui suæ, quam fornicariam esse putabat, mercedem concubitus hædum poscenti, pignoris loco dedit annulum, cum monili, & virga. Genes. cap. 38. vers. 18. tum etiam ex historia Josephi, qui à Pharaone Ægypti rege annulo signatorio donatus legitur Gen. cap. 41. & apud Joseph. lib. 2. cap. 3. Atque ideo non possum satis mirari, cur Plinius lib. 32. cap. 1. neget Ægyptios annulis usos esse: *Nullos omnino annulos*, inquit ille, *major pars gentium hominumque, qui sub nostro imperio degunt, hodieque habet. Non signat oriens, aut Ægyptus etiam nunc, literis contenta solis.* Nisi forte Plinius de privatis hominibus intelli-

telligendus est, cum Moses de regio annulo loquatur. Fuit tamen usus annulorum Ægyptiis etiam tunc cognitus: à quibus ille, ut multa alia, ad Græcos manavit, & inde rursum forte ad veteres Italiæ populos. Nam Sabinos etiam Romuli temporibus annulos gestâsse autor Dionysius Halicar. lib. 2. pag. 105. ubi de Tarpeja. Καὶ αὐτὴν ἵμερος εἰσῆλθε τῶν ψαλίων, ἃ περὶ τοῖς δεξιτερῆς βραχίοσιν ἐφόρουν καὶ τῶν δακτυλίων. χρυσοφόροι γὰρ ἦσαν οἱ Σαβῖνοι τότε καὶ Τυρρηνῶν οὐχ ἧττον ἁβρυνόμενοι. Id est: *Hanc cupido subiit annulorum, & armillarum, quas illi gestabant in sinistris brachiis. Gaudebant enim tunc Sabini aureis ornamentis, & non minus, quam Hetrusci, molli victu ac cultu delectabantur.* Suidas de eadem historia: ὁρῶσα σφραγῖδας ἀπὸ χρυσοῦ καὶ ψέλια ταῖς χερσὶν ἐμπήγνυσι χρυσᾶ. Eadem Livius libro 1. quanquam de re ipsa dubitare videtur: *Additur fabulæ, quod vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio lævo gemmatosque magna specie annulos habuerint, pepigisse eam, quod in sinistris manibus haberent.* A Sabinis igitur hunc morem Romani videntur accepisse; vel certe ab Hetruscis, quod innuere videtur Florus, qui inter alia magistratuum insignia, quæ Tarquinius Priscus à Tuscis debellatis sumsit, etiam annulos ponit l. 1. c. 5. *Duodecim Tusciæ populos frequentibus armis subegit. & inde Fasces, Trabeæ,*

Cu-

Curules, *Annuli*, *Phaleræ*, *Paludamenta*, *Prætexta*. Sed quicquid sit sive ab his, sive ab illis annulorum usus ad Romanos pervenerit, hoc constat, ipsos tarde hanc consuetudinem amplexos, & ne Reges quidem omnes annulis delectatos fuisse. Nam præter Numæ & Ser. Tullii statuas, nullam aliam ex iis, quæ Regibus in Capitolio positæ erant, annulum habuisse autor Plinius lib. 33. cap. 1. *Nullum habet Romuli in Capitolio statua, nec præter Numæ Serviique Tullii alia, ac ne L. quidem Bruti. Hoc in Tarquiniis maxime miror, quorum è Græcia fuit origo, unde hic annulorum usus venit, quanquam etiam nunc Lacedæmone ferro utantur. Sed à Prisco Tarquinio omnium primo filium, cum in prætextæ annis occidisset hostem, bulla aurea donatum constat: unde mos bullæ duravit, ut eorum, qui equo meruissent, filii insigne id haberent, ceteri lorum. Et ideo miror Tarquinii ejus statuam sine annulo esse.* Quod vero de statuis annulo ornari solitis Plinius scribit, idipsum etiam Cicero confirmat, qui lib. 4. Epist. 1. ad Atticum ex statu, amictu, annulo, imagine colligit ejusdem Scipionis Africani statuam esse & quæ ad Opis & quæ ad Pollucis ædem posita esset: *De statua Africani ain' tu? Scipio hic Metellus proavum suum nescit Censorem non fuisse? Atqui nihil habuit aliud inscriptum nisi COS. ea statua, quæ ad Opis per te posita in excelso est.*

In illa item, quæ est ad πολιδούχους, hercule inscriptum est COS. *quam esse ejusdem status, amictus, anulus, imago ipsa declarat.*

CAPUT III.

Annulos vel è simplici metallo vel è mixto. Samothracii qui? Annulos partim solidos, partim cassos. Flamines Diales quo annulo usi? Annulos alios gemmam habuisse, alios ea caruisse. Gemmas fuisse vel figura aliqua insignes, vel nulla. Tres annuli partes: Orbiculum, Palam sive Fundam, & Gemmam. πύελον, πυελὶς, σφενδόνη, ψῆφος. *Annulos etiam ex integra gemma, è succino & ebore fuisse.*

ANnulorum non unum genus reperio. Alii fiebant è simplici metallo, puta ferro, argento, auro. Alii autem è metallo mixto. Nam vel inaurabant ferrum, & argentum, vel aurum ferro cingebant. Erant enim quidam Annuli *οἱ ἐντὸς σιδηροῦ*, quidam *οἱ ἐκτός*. De his Artemidorus lib. 2. ὀνειροκριτικῶν cap. 5. *Δακτύλιοι ἐκτὸς σιδηροῦ ἀγαθὸν μέν, οὐκ ἄνευ δὲ πόνου τὰ ἀγαθὰ σημαίνουσι. Annuli extra ferrei bonum quidem, sed non citra laborem ipsa bona significant.* De illis Plinius lib. 33. cap. 1. *Nec non & servitia jam ferrum cingunt: Alii per sese mero auro decolorant, cujus licentiæ origo nomine ipso in Samothrace id institutum declarat.* Utriusque generis annulos gestasse videtur Trimalcio

malcio ille Petronianus, de quo Satyricus: *Habebat etiam in minimo digito ſiniſtræ manus annulum grandem, ſubauratum; extremo vero articulo digiti ſequentis minorem, ut mihi videbatur, totum aureum, ſed plane ferreis velut ſtellis ferruminatum.* Dicti vero hi annuli *Samothracii* teſte Plinio, ſive è ferro eſſent fabricati, & auro cincti; ſive è mero auro, & colore quodam fuſco decolorati. Neque enim audiendus Iſidorus, qui libro 19. cap. 15. de Annulis, *Samothracium aureum quidem* eſſe aſſerit, *ſed capitulo ferreo à loco ita vocatum.* Nam etiam è ferro fieri ſolitos indicat Lucretius lib. 6. differens de magnete ferrum alliciente:

Exultare etiam Samothracia ferrea vidi.

Erant etiam alii, quibus cum circulus totus eſſet aureus; ſigillum tamen gemmæ loco erat argenteum, & è contrario quibus circulus erat argenteus, ſigillum vero aureum: Cujuſmodi videre eſt apud Gorlæum Num. 95. 96. 97. 98. Rurſum alii erant Solidi, alii Caſſi, & pervii. Artemidorus libro 2 cap. 2. Αεὶ ὑ ἀμείνονες οἱ ὁλόσφυρες. οἱ γὰ κενοὶ κὴ θεῖον ἔνδον ἔχοντες δόλιες κὴ ἐπίφρας σημαίνυσι, διὰ τὸ ἐμπεδοῦν τὸ ἐγκεκρυμμένον. οἱ ὑ μείζονας τὰς προσδοκίας τ ὠφελειῶν, διὰ τ μείζονα τ ὄγκον τ βάρος ἔχειν. id eſt, *Semper autem meliores ſunt annuli ex toto fabrefacti, nulla inanitate & completi. Vacui enim cavique & qui divinum ac ſa-*

crum quippiam intra se habent dolos ac insidias significant, ob id, quod in se continent occultatum. Vacui vero ac cavi etiam majores expectationes, quam commoditates præsagiunt, propterea quod majorem molem, quàm gravitatem habent. Solidis non licebat uti Flaminibus Dialibus, sed tantum cassis & perviis. Festus in Edera: *Sed ne annulam quidem gerere Flamini Diali licebat solidum.* Agellius lib. 10. capite 15. *Flamini Diali annulo uti, nisi pervio castoque, fas non est.* Rursum alii erant sine gemma, qui Græcis ἄπυρος, ἄλιθος, ἄψηφος dicuntur. Aristoteles libro 3. φυσικῆς ἀκροάσεως cap. 9. καὶ γὰρ τοὺς δακτυλίους ἀπύρους φασὶ τοὺς μὴ ἔχοντας τρυπόλιθον. *Etenim annulos illos, qui pala carent, ἀπύρους esse ajunt.* Julius Pollux libro 6. cap. 33. Tit. 7. τὸ δὲ φορίῳ, καὶ ἄλιθον δακτύλιον, ἀπύρωνα καλοῦσι: nisi forte ἄπυρον scriptum reliquit Pollux. Nam ἀπύρων valet quidem idem quod ἄπυρος, sed poëticum est. Artemidorus ἀψήφους vocat libro 2. cap. 5. Cujus verba mox asscribam. Hujus generis annuli duo sunt apud me, quorum alter exterius octangulâ, intus rotundâ formâ constat, & inscriptionem habet GENIO CASSI SIGNIF. cujus copiam mihi fecit illustris Marcus Velserus Reitub. Augustanæ II. VIR Præfectus, columen antiquitatis, & Germaniæ nostræ, cum viveret, lumen: in cujus obitu quantam

literæ jacturam fecerint, vix decem linguis quis explicare possit. Alter in orbiculo, qua parte gemmæ solent claudi, continet has literas NER quadrangulæ figuræ inclusas: Hunc donavit mihi Nob. & ampliss. Janus Rutgersius potentissimi Sueciæ Regis GUSTAVI ADOLPHI Consiliarius & legatus, de cujus admirabili ingenio & insigni eruditione nunquam ita magnifice quicquam dixero, quin id virtus illius superet.

Alii vero gemmam habebant, eamque vel figurâ aliquâ insignem, vel nulla. Plinius libro 33. c. 1. *Multis hoc modis, ut cetera, luxuria variavit, gemmas addendo exquisiti fulgoris, censuque opimo digitos onerando: mox & effigies varias cælando, ut alibi ars, alibi materia esset in pretio. Alias deinde gemmas violari nefas putavit, ac ne quis signandi causam in annulis esse intelligeret, solidas induit.* Quid? quod duas quoque gemmas (forte & plures) uni annulo insertas fuisse, videre est ex Epistola Valeriani Imperatoris, ubi *annuli bigemmei uncialis* fit mentio apud Trebell. Pollionem in D. Claudio. Notat CL. V. Ælius Everhardus Vorstius Celsissimi ac invictissimi Heroïs D. MAVRITII, Principis Auriaci & Comitis Nassovii Medicus ordinarius in Commentariolo de annulorum origine, quem Abrahamus Gorlæus Dactyliothe-

cæ ſuæ præfixit, nullum fuiſſe lapidis pretioſi genus, modo aut ſcalpro aut cælo corrumpi poſſet, quod antiquis illis luxuriæ magiſtris intactum ſit relictum: Soli Adamanti ob indomitam, ut credebatur, duritiem parcitum: ſed hic quomodo vitiaretur, noſtra ætate reperiſſe Mediolanenſem quendam Jacobum Trecciam, qui Philippi Hiſpaniarum Regis gentilicia inſignia Adamanti ſumma arte inſculpſit. Cum vero omnes fere gemmæ ad uſum ſigillorum inciderentur aut cælarentur, tres tamen maxime omnium ad hos uſus aptabantur, Achates, Onyx, & Sarda, eo quod ceram non traherent, pulcherrimeque ac ſine labe effigiem exprimerent. Vitreas gemmas in annulis vulgus uſurpabat. Plinius libro 35. cap. 6. extremo: *Annulare* (color annularis) *quod vocant, candidum eſt, quo muliebres picturæ illuminantur. Fit & ipſum ex creta admixtis vitreis gemmis ex vulgi annulis: unde & annulare dictum.*

Céterum imagines, quæ gemmis incidebantur, aliæ erant cavæ, quæ ſcalpro fiebant: Aliæ extuberantes prominenteſque, quæ cælo: unde & gemmæ, quæ ejuſmodi imaginem exhibebant, *Ectypæ* dicebantur, ἀπὸ τῆς ἐκτὸς ἔχειν τὸν τύπον: Seneca libro 6. de Beneficiis, c. 26. *Paulus Prætorius in convivio quodam Tiberii Cæſaris habens imaginem ectypa & prominente gemma.*

Talis

Talis igitur annulus, qui gemmam habet, ut id quoque hoc loco moneam, constat tribus partibus: Orbiculo, Pala, Gemma. Apulejus in Floridis de Hippia philosopho: *Etiam pedum tegumenta crepidas sibi compegerat, & annulum in læva aureum faberrimo signaculo: quem ostentabat. Ipse ejus annuli & orbiculum circulaverat, & palam clauserat, & gemmam insculpserat.* Orbiculus est ipsa annuli σφενδόνη. Pala [quæ & *funda* dicitur Plinio libro 37. c. 8. *Præstantiores funda clauduntur,*] est pars annuli, cui gemma inseritur. Philargyrus in III. Georg. *Paleam* appellat. Polluci πυελὸς vel πυελὶς dicitur: ἡ δὲ δακτυλίου τὸ μὲν ὁ κύκλος, τόδε ἵνα ὁ λίθος ἐναρμόζῃ, πυελός τε καὶ πυελίς. Harpocration: πυελίδα τὸ ὑφ' ἡμῶν λεγόμενον σφενδονοφυλάκιον. Alii σφενδόνιον vocant. Glossarium: *Paleta*, lege *Pala*, σφενδόνη δακτυλίου. Julius Philargyrus in III. Georg. *Palearia. Vnde & paleæ, quæ collum amplectuntur, & ea pars annuli, quæ gemmam cohibet, propter similitudinem Palea dicitur. Cicer. de offic.* 3. *Cum paleam ejus annuli converteret.* Quanquam exemplaria Ciceronis antiquissima *palam* non *paleam* legunt, ut observavit Johan à Wower. Gemma annulo inclusa Græcis dicitur ψῆφος. Suidas: ψῆφον καλοῦμεν λίθον τὸν ἐν τῷ δακτυλίῳ, καὶ τὸν λιθοκολλήτων ἀριθμόν. Hinc Artemidorus libro 2. cap. 5. Ἀγαθοὶ δὲ καὶ οἱ χρηστοῖ

χρηζοῖ οἵγε ψήφους ἔχοντες. ἐπεὶ οἵγε ἄψηφοι ἀκερδεῖς τὰς ἐξαιρήσεις σημαίνουσι, ἀφ' τὸ ἄψηφον, ψῆφον γὰρ καλοῦμεν ὥσπερ λίθον τὸν ἐν δακτυλίῳ, ὅτω. δὴ καὶ τὸν τῶν χρημάτων ἀριθμόν. Hoc eſt, *Boni ſunt etiam aurei, qui lapillos habent; nam qui lapillis carent, minime lucroſas aggreſſiones ſignificant, propterea, quod ψήφους non habent: ψῆφον enim vocamus tum lapillum in annulo, tum etiam pecuniarum numerum.* Erat & genus annulorum, quibus clavis erat adjuncta ad duplicem uſum, ſignandi aperiendique. Cujuſmodi annulos (ferreos tamen, ut appareat ſervorum fuiſſe, aut vulgarium militum) in Batavis erutos complures ſe vidiſſe teſtatur Juſtus Lipſius ad Tacitum, qui formam eorum exhibet, uti & Hadrianus Junius in Hiſtoria Bataviæ c. 10. imprimis vero Gorlæus Num. 42. Salmaſius vero negat iſtos annulos duplicem uſum habuiſſe, nimirum annuli ſignatorii & clavis. Siquidem nullum in his ſigillum preſſum ad ſignandum aptum. Ac proinde meras claves fuiſſe putat cum annulo, qualis & hodie fieri ſoleat in noſtris clavibus, quæ ſunt longiore ſcapo, ad Solinum p. 932. Nec vero ex metallo ſolum, ſed & è ſuccino, & ebore, integriſque gemmis annulos factos legimus. Annulum ex Sarda integra cum pala aurea, & circulo argenteo exhibet Gorlæus in Dactyliotheca ſua Num. 101. Succineorum, Ebur-

Eburneorumque meminit Artemidorus libro 2. cap. 5. Σύκινοι δὲ καὶ ἐλεφάντινοι καὶ ὅσοι ἄλλοι δακτύλιοι γίνονται, γυναιξὶ μόναις συμφέρουσι. *Succinei & eburnei, & quicunque alii fieri annuli solent, solis mulieribus conferunt.* Suidas eadem: Σύκινοι καὶ ἐλεφάντινοι δακτύλιοι γυναιξίν εἰσι σύμφοροι. Succino autem multum gavisas fuisse mulieres, testatur Plinius lib. 37. c. 2. *Proximum locum in delitiis, feminarum tamen adhuc tantum, succina obtinent, eandemque omnia hæc, quam gemmæ autoritatem.* Hinc Ovidius lib. 2. Metamorphoseos de Phaëtontiadum lacrimis:

Inde fluunt lacrimæ, stillataque sole rigescunt
De ramis electra novis, quæ lucidus amnis
Excipit & nuribus mittit gestanda Latinis.

Prudentius περὶ στεφάνων de Eulalia:

Spernere succina, flare rosas,
Fulva monilia respuere &c.

CAP. IV.

Annulos utraque manu quidem gestatos & potissimum sinistra. & quare? Digitos omnes, excepto medio, annulis oneratos. Ratio Ægyptiaca de vena à corde ad digitum annularem pergente refutata. Κοσμίαν, Ἀκαρές.

SED nec modus gestandi annulos unus idemque apud veteres fuit. Dextra qui-

quidem geſtatos, evidenter oſtendit Jeremias, qui cap. 22. verſ. 24. Deum inducit ſic loquentem: *Etiamſi eſſet Conia filius Ioacim regis Iudæ annulus ſignatorius in manu dextra mea, inde evellam eum.* Sirachus cap. 49. verſ. 13. *Quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipſe quaſi ſignum in dextra manu Iſraël.* Apud Romanos vero ante uſum gemmarum (ſi Attejo Capitoni apud Macrob. lib. 7. fides habenda eſt) cum ſculptura adhuc annuli materiæ imprimebatur, ſive ex ferro foret, ſive ex auro, *geſtabatur, ut quiſque vellet, quacunque manu, quolibet digito.* Sed poſtquam gemmæ etiam addi cœperunt, ſiniſtra potiſſimum manus huic geſtamini deſtinata fuit: niſi quod interdum homines ſupra modum molles, & luxuriæ dediti, etiam dextram in ſubſidium vocabant, ſi fors ſiniſtra ferendo oneri non eſſet: id quod ſubindicare videtur Lucianus in Navigio, apud quem cum Timolaus multos ſibi annulos optaſſet, quorum beneficio & recte valeret, & robore alios ſuperaret, & alios in ſoporem collocare, aut aliud quippiam, quod conditionem humanam excedat, præſtare poſſet, quærit ex ipſo Lycinus: *Ἀπὸ εἶπέ μοι καὶ τόδε, τὶ δήποτε οὐχ εἷς δακτύλιος ἅπαντα ταῦτα δυνάσαι σοι, ἀλλὰ τοσούτους ἐνημμένους βαδίζῃ, τὸν ἀριστερὸν περισμῷ, καὶ δάκτυλον ἕνα, μᾶλλον δὲ ὑπερπαίῃ ὁ ἀριθμὸς καὶ τὸν δεξιὸν συνεπιλαβεῖν.* *At vero etiam hoc reſponde mihi,*

cur

cur tandem non unus annulus omnia tibi ista potest, sed tam multis revinctus sinistra gravata per singulos digitos? imo vero excedit numerus & necesse erit etiam dexteram ferendo oneri succedere. Quod autem læva manus annulorum sedes fuerit, sicut hodieque est, multa scriptorum loca testantur. Plin. lib. 33. cap. 1. *Manus & prorsus sinistræ maximam auctoritatem conciliavêre auro.* Horat. lib. 2. Sat. 7.

— *Sæpe notatus*
Cum tribus anellis, modo læva Priscus inani
Vixit inæqualis. —

Silius Italicus lib. 11.

— *Quos signum illustre superbus*
Mos læva gestare viris. —

Tertullianus capite ultimo De habitu muliebri: *Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit.* Sed cur huic potissimum manui annulos aptarit Antiquitas, duas reperio rationes: Unam, quod læva sit otiosior, quam dextra, cujus officium fuisset non solum annulorum gestatione impeditum, sed & ipsi annuli crebro motu facile potuissent lædi. Diserte Attejus Capito apud Macrob. lib. 7. Saturn. *Postea usus luxuriantis ætatis signaturas pretiosis gemmis cæpit insculpere, & certatim hæc omnis imitatio lacessivit, ut de augmento pretii, quo sculpendos lapides parassent, gloriarentur. Hinc factum est, ut usus annulorum*

lorum exemptus dextræ, quæ multum negotiorum gerit, in lævam relegaretur, quæ otiosior est: ne crebro motu & officio manus dextræ pretiosi lapides frangerentur. Alteram, quod hæc manus plerumque lateat, nec se tam crebro oculis hominum ingerat. Cum enim, qui primum annulos invenerunt, propter rei novitatem & insolentiam in propatulo eos gestare erubescerent, sinistræ manui tanquam magis latenti annulos induerunt, ne si aperte gestarent, in reprehensionem aliorum incurrerent. Hanc Plinius nobis suppeditat lib. 33. cap. 1. *Qui primus instituit* (inquit ille) *cunctanter id fecit, lævisque manibus ac latentibus induit, cum, si honos securus fuisset, dextra fuerit ostentandus: Quod si impedimentum potuit in ea aliquod intelligi, etiam sartoris usus* (retineo veterem lectionem defensam & explicatam ab Adr. Turnebo lib. 6. Adverss. cap. 22.) *argumentum est, majus in læva fuisse, qua scutum capitur.* Si etiam in levi, inquit, artificio sartorum, impedimentum futurum fuit gestato dextra annulo, quanto majus est, cum sinistra eo onerata tractatio clypei impeditur?

De digitis quibus annuli inserebantur, copiose Plinius, quem operæ pretium est audire: *Singulis*, inquit ille, *primo digitis geri mos fuerat, qui sunt minimis proximi: Sic in Numæ & Servii Tullii statuis videmus. Postea pollici proximo induere, etiam*

Deo-

Deorum simulachris. Dein juvat & minimo dare. Galliæ Britanniæque in medio dicuntur usæ. Hic nunc solus excipitur, ceteri omnes onerantur. Vides inter digitos, qui annulo insigniebantur, primum fuisse eum, qui minimo proximus est, dictus ob id Δακτυλιώτης vel *annularis*. Macrobius *Medicinalem*: Auctor ad Herennium lib. 3. *Medicum* vocat, ubi de memoriæ artificio tractans ita imaginem quandam instruit: *Et reum ad lectum ejus statuemus, dextra poculum, sinistra tabulas, medico testiculos arietinos tenentem.* Non enim dubium est, quin è digito eo, qui sit minimo proximus, suspensas haberi velit scorteas, id est, è testibus arietinis pelliceas crumenas, ut locum hunc interpretatur Politianus cap. 62. Miscellaneorum. Cur autem communis consensus annulum in hoc digito, & manu præcipue sinistrâ gestandum sibi persuaserit, de hac re Macrobius dicto loco duas affert opiniones: unam Hetruscam, & Ægyptiacam alteram, quas hîc adscribere non pigrabor; Hetrusca desumitur ex fragmento Atteii Capitonis, quod extat apud Macrobium: *Electus autem in ipsa læva manu digitus minimo proximus, quasi aptior ceteris, cui commendaretur annuli pretiositas: Nam Pollex, qui nomen ab eo, quod pollet, accepit, nec in sinistra cessat, nec minus quam tota manus semper in officio est, undè apud Græcos ἀντίχειρ vocatur, quasi manus altera. Pollici verò vici-*

nus nudus, & sine tuitione alterius appositi videbatur: Nam pollex ita inferior est, ut vix radicem ejus excedat. Medium & Minimum vitaverant, ut ineptos, alterum magnitudine, brevitate alterum: Et electus est, qui ab utroque clauditur, & minus officii gerit, & ideo servando annulo magis accommodatus est. Ægyptiaca nititur fundamentis anatomiæ: Nam ut Disarius apud Macrobium inquit: *De hac quæstione sermo quidem ad nos ab Ægypto venerat, de quo dubitabam, fabulamne, an veram rationem vocarem. Sed libris Anatomicorum postea consultis, verum reperi, nervum quendam de corde natum prorsum pergere usque ad digitum manus sinistræ minimo proximum, & ideo visum veteribus, ut ille digitus annulo tanquam coronâ circumdaretur.* Eadem fere habet Agellius lib. 10. cap. 10. *Veteres Græcos annulum habuisse in digito accepimus sinistræ manus, qui minimo est proximus. Romanos quoque homines ajunt sic plerumque annulis usitatos. Causam esse huic rei Appion in libris Ægyptiacis hanc dicit, quod insectis, apertisque humanis corporibus, ut mos in Ægypto fuit, quas Græci ἀνατομὰς appellant, repertum est, nervum quendam tenuissimum, ab eo uno digito, de quo diximus, ad cor hominis pergere ac pervenire. Propterea non inscitum visum esse, eum potissimum digitum tali honore decorandum, qui continens, & quasi connexus esse cum principatu cordis videretur.*

tur. Quæ ἀϖτολεξει descripsit Johannes Salisberiensis lib. 6. Policratici cap. 12. Gratianus Can. *Fœminæ* 30. quæst. 5. ex Isidori Hispalensi lib. 2. de divinis officiis cap. 19. *Vnde & quarto digito annulus idem inseritur, quod in eo vena quædam, ut fertur, sanguinis, ad cor usque perveniat.* Sed jam pridem explosa est hæc opinio à Medicis recentioribus, qui ex diligenti & accurata corporum humanorum sectione observarunt, nullam in digito annulari majorem illustrioremve aliam, quæ ad cor perveniat, venam aut arteriam, quam in aliis reperiri, neque eum ullo peculiari privilegio aut naturæ indulgentia gaudere, ut causa nulla sit cur hoc quidem nomine reliquis digitis præferri debeat. Tantum de Annulari: Porro eundem honorem quoque Indici tributum, testatur idem Plinius. Annulum vero, quo Index ornabatur, Græci Κοχλιον peculiari nomine dixerunt. Jul. Pollux lib. 5. cap. 16. Κοχλιον ἐκάλουν τὸ λιχανῶ ϖεριτιθέμενον. Sed de hoc digito pauciora extant apud probatos auctores vestigia: plura de digitorum, ut Arnobii voce utar, minissimo, quem ipsum quoque annulo ornari solitum testatur idem Plinius eodem capite; *Sunt, qui tres uni minimo congerant: alii vero & huic unum tantum, quo signanda signent. Conditus ille, ut res rara, & injuria usus indigna, velut è sacrario promitur; & unum in minimo digito habuisse,*

pretio-

pretioſiorus in recondito ſupellectilis oſtentatio eſt. Et notat Gorlæus pleroſque annulos ſigillaritios, qui hodie reperiuntur, circumferentia (Græci περιφέρειαν dicunt) adeo eſſe arcta ſeu anguſta, ut, niſi raro admodum alii, quam minimo digito aptari poſſint. Dicebatur autem hic annulus proprie Ἀκαρὴς; Pollux lib. 5. περὶ δὲ τῷ σμικρῷ δακτύλῳ ἐφόρει ὁ Ἀκαρὴς σκάλαν διὰ σμικρότητα. Ait, annulum iſtum qui minimo digito geſtabatur, propter parvitatem dictum fuiſſe Ἀκαρὴς. Nam ἄκρος Græcis idem eſt, quod μικρὸν vel ὀλίγον, teſte ſcholiaſte Ariſtophanis. Hinc ſcriptores hominem lautiſſime divitem notaturi, tribuunt ipſi grandem in hoc digito annulum. Petronius de Trimalcione: *Habet etiam in minimo digito ſiniſtræ manus annulum grandem ſubauratum.* Lucianus in Dial. Meretriciis, εἶχε δὲ καὶ αὐτὸς Ἁρμώνιον δακτύλιον ἐν τῷ μικρῷ δακτύλῳ μέγιστον πολύγωνον.

Medium digitum Plinius excipit, quanquam Gallis olim Britanniſque morem fuiſſe aſſerit, ut eo annulos geſtarent: Cujus tamen rei teſtimonium, non memini me alibi legere. Romani vero videntur ideo vitaſſe, quod hic digitus infamis vulgo & impudicus cenſeatur, ut legimus apud Perſ. Sat. 2. & Martialem lib. 6. Epigr. 70. Proditum autem memoriæ eſt à Plinio lib. 28. cap. 6. ſingultum & ſternutationem ſedari, *ſi quis annulum è ſiniſtra in lon-*

longissimum dextræ digitum transferat: quod utrum verum sit, naturalium rerum indagatores viderint.

Pollicem Plinius præteriit: Sed tamen eo etiam interdum gestatos fuisse annulos, non obscure indicat. Julius Capitolinus, qui Maximinum Cæsarem asserit fuisse *pollice ita vasto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo.*

Cap. V.

De Annulo Signatorio, qui & sigillaritius. Tabulas pacta & conventa continentes fuisse obsignatas. Ritus in testamentis signandis.

SEquitur de annulorum usu, qui multiplex, præcipuus tamen in signando: quam unicam fuisse annuli gestandi causam, indicat Attejus Capito apud Macrobium: *Veteres non ornatus, sed signandi causa annulum secum circumferebant.* Et ipsa vox *Signare* inter alia, teste Festo, etiam *annulo signa imprimere* significat. Ipse vero annulus, quo signa imprimebantur, dictus *signatorius* l. 74. D. De verborum significat. & l. 25. § 10. D. *De Aur. Argento.* Vopiscus *sigillaritium* vocat in Aureliano.

Signabantur autem, ut usitatissimum hunc signandi morem per partes declarem, inter alia primo omnes tabulæ, quæ pacta conventaque continebant. Cum enim maxima pars mortalium fluxam fidem gerat, hæc à priscis inventa ratio est,

ut impressis signis pacta conventaque servarentur. De qua re insignis locus exstat apud Senecam lib. 3. de beneficiis cap. 15. *Vtinam nulla stipulatio emptorem venditoremque obligaret, nec pacta conventaque impressis signis custodirentur: fides potius illa servaret & æquum colens animus. Sed necessaria optimis prætulerunt, & cogere fidem, quam spectare malunt. Adhibentur ab utraque parte testes. Ille per tabulas plurium nomina interpositis parariis facit. Ille non est interrogatione contentus, nisi rem manu sua tenuit. O turpem humano generi fraudis ac nequitiæ publicæ confessionem! Annulis nostris plus, quam animis creditur. In quid isti viri ornati adhibiti sunt? in quid imprimunt signa? Nempe, ne ille neget accepisse, quod accepit.* Quod autem hic Seneca optat, ut homines sine sigillis pacta conventa custodiant, id Strabo tribuit priscis Indis, quos ait in contractibus neque testibus uti neque sigillis, sed simpliciter credere. Verba ejus lib. 15. Geographiæ pag. 488. hæc sunt: Καὶ ἐν τοῖς νόμοις δὲ καὶ ἐν τοῖς συμβολαίοις τὸ ἀπλότητα ἐλέγχεσθαι ἐκ τοῦ μὴ πολυδίκας εἶναι· ὅτε γὰρ σωθήκης ὅτε παρακαταδίκης εἶναι δίκας. ὃ δὴ μαρτύρων ὐδὲ σφραγίδων αὐτοῖς δεῖν, ἀλλὰ πιστεύειν ἀλλήλοις. hoc est, *In legibus & contractibus maxime simplicitatem eo argui, quod non multum habeant litium: nam neque commissi neque depositi jura ulla habere, neque testibus uti nec sigillis,*

gillis, *sed simpliciter credere.* Verum & hodie reperiuntur & olim reperti sunt, qui annulis suis obsignata inficiari non verentur; de quibus queritur Juvenal. Satyra 13.

Si decies lectis diversa parte tabellis
Vana supervacui dicunt chirographa ligni,
Arguit ipsorum quos litera gemmaque princeps
Sardonichus, loculis quæ custoditur eburnis.

Male ob hanc rem audiverunt Græci, de quibus Polybius in fin. lib. 6. ὥσπερ μὲν τοῖς Ἕλλησιν ἐὰν τάλαντον μόνον πιστεύσωσιν, ἀλιγραφεῖς ἔχοντες δέκα, καὶ σφραγῖδας τοσαύτας καὶ μάρτυρας διπλασίους, ἀδυνατοῦσι τηρεῖν τὴν πίστιν. id est, *In Græcia talentum si forte creditur, & si decem adhibiti antigrapharii, & totidem sigilla, & testes duplo tanto (plures) fidem servare nesciunt.* De tabulis Nuptialibus diserte Suetonius in Claudio cap. 29. *Illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis & ipse consignaverit.* Apulejus in Apologia: *Habes Æmiliane causam totam, cur tabulæ nuptiales inter me ac Pudentillam non in oppido sint, sed in villa suburbana consignatæ.* Juvenalis Sat. 2.

Signatæ tabulæ, dictum Feliciter! ingens
Cœna sedet; gremio jacuit nova nupta mariti.

Sponſiones quoque obſignari ſolitas, liquet ex eo, quod Plutarchus de Cinnæ obitu narrat in Pompejo: ὁ δ' ἐ φεύγων κ) καθαλαμβανόμ@ ὑπό τιν@ τ λοχαγῶν χειρὶ τῷ ξίφ ἐλώντ@, ἐπεστέπισε τοῖς γόνασι κ) τὴν σφραγῖδα πρᾶτειν πολυτίμητον ἔσαν. ὁ δ' κ) μάλα ὑβριστικῶς εἶπὼν, Ἀλλ' οὐκ ἐγγύην ἔρχομαι σφραγιόμ@, ἀλλὰ ἀνόσιον κ) παράνομον τύραννον, ἀπέκτεινεν αὐτόν. hoc eſt: *Cinna fugiens & deprehenſus à quodam manipuli ductore, qui ſtricto enſe eum inſequebatur, ſubmiſit ſe ad hujus genua, eique annulum ſuum ſignatorium magni pretii obtulit. Ille vero cum eum increpaſſet perquam inſolenter, At ego non ad ſponſionem ſignandam adſum, ſed ad nefarium & ſceleratum tyrannum puniendum, eum obtruncavit.*

De Teſtamentis res eſt vulgatiſſima non ſolum ex Juriſconſultorum libris, ſed & aliis ſcriptoribus. Cæſar lib. 1. de bello Gallico, ubi militum ſuorum, quibus jam jam adverſus Germanos pugnandum erat, pavorem perſtringit: *Vulgo*, (ait) *totis caſtris teſtamenta obſignabantur*. Appianus Alexandrinus lib. 1. ἐμφυλίων de exceſſu Syllæ: Σύλλας ἦ ἐν τοῖς ἀγροῖς ἐνύπνιον ἔδοξεν ἰδεῖν, ὅτι αὐτὸν ὁ δαίμων ἤδη καλοίη. κ) ὁ μὲν αὐτίκα μεθ' ἡμέραν τοῖς φίλοις τὸ ὄναρ ἐξεπὼν, Διαθήκας συνέγραφεν ἐπειγόμ@, κ) αὐτῆς ἡμέρας συνετέλε. σφραγισαμένῳ ἦ αὐτὰς ὡς ἐπ' ἄριστον πυρετὸς ἐμπίπτει. *Sylla in ruſtico receſſu ſomniavit,*

vit, vocari se jam à fato: Quamobrem mox ut illuxit, enarrato amicis somnio, testamenti tabulas eadem die confecit: quibus obsignatis sub vesperam febris eum invasit. Cic. lib. 3. ad Quint. Fatrem Epist. ultima: *De Felicis testamento tum magis querêre, si scias. Quas enim tabulas se putavit obsignare (lapsus est per errorem & suum & Sicuræ servi) non obsignavit.* Et Leg. 15. D. De Testamento militari. *Et ideo, cum miles adduxisset testamentum suum, mox annulo suo signasset, qui super ea re cognituros erit, considerabit, quo proposito id fecerit.*

Ad hujusmodi tabulas signandas etiam amici advocabantur, qui rei gestæ testimonium perhiberent, easque suo annulo confirmarent: Idque inter recepta Romæ officia numerabatur. Plin. lib. 1. Epist. 9. *Ille me ad signandum Testamentum, ille in advocationem, ille in consilium rogavit.* Idem lib. 2. Epist. ult. *Aurelia ornatâ fœmina, signatura Testamentum sumpserat pulcherrimas tunicas. Regulus cum veniisset ad signandum, Rogo, inquit, has mihi leges.* Suetonius in Tib. Claudio cap. 44. *Non multo post Testamentum etiam conscripsit, ac signis omnium magistratuum obsignavit.* Seneca Epist. 8. *Non videor tibi plus prodesse, quam cum ad vadimonium advocatus descenderem, aut, tabulis testamenti annulum imprimerem, aut in senatu candidato vocem & manum commodarem.* Respexit hunc ritum Tertullianus in De Idololatria: *Si-*

gnatæ signis non Advocatorum, sed Angelorum. Dicebantur autem hi *testes classici.* Festus: *Classici testes dicebantur, qui signandis testamentis adhibebantur.* Dicti iidem & Signatores, vel *obsignatores.* Cic. l. 12. ad Attic. Ep. 18. *Quod scribis Terentiam de obsignatoribus mei testamenti loqui.* Et in orat. pro Cluent. *Oppianicus obsignatores ad eum, qui neque Asinium, neque Ajulum nossent, adducit.* Juvenalis Sat. 1.

Signator falso qui se lautum atque beatum
Exiguis tabulis & gemma fecerat uda.

Idem Sat. 10.

Veniet cum signatoribus auspex.

Suetonius in Tiber. cap. 23. Alluſit etiam huc Prudentius Hymno Epiphaniæ,

Hunc & Prophetis testibus,
Isdemque signatoribus
Testator, & sator jubet
Adire regnum & cernere.

Atque hos teſtes, ſi quidem ad tabulas teſtamenti obſignandas vocati erant, oportebat in conſpectu teſtatoris uno & eodem tempore convenire, nomen ſuum ſubſcribere, & annulo obſignare. Nam ſi quis ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſerit, veruntamen ſignarit: vel ſi adſcripſerit ſe, non tamen ſignarit, pro eo eſt, ac ſi adhibitus non eſſet, ut ait Ulpianus in l. *Ad teſtium.* §. *Si quis. D. Qui teſtamentum fac.* Si etiam coram teſtatore non omnes eodem loco teſtes ſuo vel alieno annulo ſignaverint, jure deficit teſtamen-

mentum, ut est in l. 12. *C. de Testamentis*, Michaël Attaliata in synopsi, Tit. 32. *de imperfecto testamento:* μὴ κεφαλαίῳ διαθήκη ἐνὸς τῶν μαρτύρων χωριζομένου εἰ μὴ παίδες, ὁρῶντος δὲ διαθεμένου, καὶ τὸν αὐτὸν τύπον σφραγίσασιν εἰς ἴδιον ἢ καὶ ἀλλοτρίου δακτυλίου. Unde etiam hoc discimus, testes non suo tantum, sed & alieno annulo signare potuisse: Imo si testis ab ipso testatore annulum accepisset, & signasset, valebit Testamentum, ut est in l. *Ad testium. D. Qui testa. facere.* Addit vero Justinianus Imperator in § *Possunt.* Instit. *de Testamentis ordinandis*, potuisse omnes testes & uno annulo signare Testamentum, potuisse & septem annulos eadem & una sculptura esse, id est, eundem χαρακτῆρα, idem ἀπόσφραγισμα habere. Michaël Attaliata in synopsi Tit. 31. *de Testamento & codicillis:* ὀφείλεις δὲ εἰδέναι, ὅτι καὶ ἑνὶ δακτυλίῳ ἤτοι βασιλικῷ ἢ ἰδιωτικῷ σφραγίζειν οἱ μάρτυρες τὴν διαθήκην. An vero quælibet alia, quam annuli impressio in testamentis locum habere possit, Jurisc. disputant, *ac magis est, ut annulo tantum quis possit signare, dum tamen habeat characterα*, l. 22. §. 5. D. *Qui testam. fac.* Vide Cujac. lib. 14. Obser. cap. 11. Giphan. ad Inst. de Test. ordin. §. Possunt autem testes. Quod si signa testamenti vetustate vel alio casu interierint, subscriptiones testium vero sint adhuc salvæ, testamenti fidem nullo modo labefactam vult Leo Imp.

constitutione 82. Κελεύομεν καὶ μὴ ἡ σφραγὶς ἡ σωτηρία ἔχειν τῇ ἀληθείᾳ τὴν ἀξιοπιστίαν ὑπογεγραφαὶ δυνάμενα μαρτυρεῖν, μὴ ἀμαρτάνειν ἢ εἶναι βέβαιον αὐτό. id est, *Iubemus etiamsi sigilla testamenti non supersint, si idoneam fidem subscriptiones testamento adhibeant, ne quid ob eam rem testamenti fides infirmetur:* ut emendat ac interpretatur idem Cujacius lib. 17. Obser. cap. 32. Rebuffus in Constit. Reg. Art. 2. gl. 1. n. 86.

CAP. VI.

Annuli usus in obsignandis literis. Persarum Reges & Cæsares Romanos probatæ fidei viris annuli curam commisisse, qui literas obsignarent.

NEc vero Tabulæ solum, quæ publici privatique contractus scripturam continebant, sed & Epistolæ, ac Diplomata annulis solebant obsignari; quem morem arbitror apud pleraſque omnes gentes usitatum fuisse. De Romanis quidem putidum sit exempla apponere. De Judæis vero planum ex historia Achabi Regis Samariæ, cujus annulo obsignatæ fuerunt literæ, quibus Nabothus occidi jubebatur, lib. 3. Reg. cap. 21. vers. 8. Apud Persas quoque eundem morem obtinuisse testatur historia Esther cap. 8. ubi Ahasuerus concedit Mardochæo potestatem mittendi literas regio annulo obsignatas ad omnes populos imperio suo subjectos, ut edictum de

de extirpandis Judæis, quod Haman à Rege impetraverat, abrogaretur. Et Xenophon lib. 1. Ἑλληνικῶν auctor est, Lacedæmoniorum legatum à Dario Persarum Rege ad omnes Asiæ inferioris homines literas sigillo regio munitas secum attulisse: Ἐπιστολὰς ἔφερε τοῖς κατ' ἄκρα τὰ βασίλεια ἔχουσαν σφράγισμα. Erat vero harum literarum, quæ Regis Persarum annulo obsignatæ erant, tanta auctoritas, ut iis nemo contradicere auderet. Nam cum Rex Mardochæo mandasset, ut literas suo nomine scriptas etiam annulo suo obsignaret, mox addit ad firmandam auctoritatem literarum, quibus regium sigillum impressum: ὅσα γὰρ γράφει ὑπὲρ βασιλέως ἐπιτάξαντος καὶ σφραγίσῃ τῷ δακτυλίῳ μου, οὐκ ἔστιν αὐτοῖς ἀντειπεῖν. Esther cap. 8. Ad eundem modum Alexander Magnus quoque *literas, quas in Europam mitteret, veteris annuli gemma obsignabat: iis, quas in Asiam scriberet, Darii annulus imprimebatur*, teste Curtio lib. 6. Et Persarum quidem reges videntur non solum ipsi annulos gestasse; sed & aliis, quorum fidem perspectam habebant, eorum curam commendasse. Ita enim Ahasuerus annulum Hamano, qui cruci affigendus erat, ademisse & Mardochæo tradidisse, legitur Esther cap. 8. vers. 2. videatur ibi Tirinus in Commentar.

Sed hunc morem quoque Cæsares Romanos usurpasse video. Nam Trogi Pom-

peii patrem *sub Cajo Cæsare militasse*, *Epistolarumque & Legationum simul & annuli curam habuisse*, tradit Justinus lib. 43. Est autem hîc intelligendus ille Cajus Cæsar, qui superato Pompejo Rempubl. tenuit; non is, qui post Tiberium imperio potitus est; cum à bello Mithridatico, quo Trogi pater jam fuit, ad Cæsarem Caligulam, sint ut minimum anni centum; ut recte, mea quidem opinione, existimat amplissimus, & antiquitatis peritissimus Jacobus Bongarsius Henrici IV. Galliæ & Navarræ Regis in Germaniam legatus, amicus noster, dum vivebat, singularis. Mæcenatem quoque & Agrippam in tanto honore ab Augusto Cæsare habitos, ut quascunque ille literas ad senatum vel alios mitteret, ipsi perlegerent, & iis, quæ vellent, immutatis, annulo, quem hac fine ab ipso acceperant, obsignarent, auctor Dio lib. 51. ποιούτῳ γε ἐπὶ πάντα καὶ ἐκείνῳ (Agrippam intelligit) καὶ τῷ Μαικήνᾳ ἐξουσίαν ἔδωκεν, ὥς τε σφᾶς καὶ πὰς ἐπιστολὰς ἅστε τῇ βουλῇ καὶ τοῖς ἄλλοις ἔγγραφε, σφραγινώσκειν, καὶ τοῦτο καὶ μεταγράφειν, ὅσα ἐβούλοντο, καὶ ἀφ' οὗ τὸν δακτύλιον ἔλαβον παρ' αὐτοῦ, ἵνα ἐπισφραγίζωσιν αὐτὰς ἔχωσι. Sic Mutianus cum omnia suo arbitratu, etiam absque mandato Vespasiani gereret scriberetque, nomine tantum Vespasiani adscripto, annulum gestabat, quem ad ipsum Vespasianus miserat, ut ea, quæ ediceret, sigillum principis habe-

haberent. Καὶ ἀφ' τοῦτό γε καὶ δακτύλιον περιφθέγξα ἐφόρει, ἵνα τὸ αὐτοκρατορικὸν σφράγισμα τὸ σημαινόμενον λαμβάνῃ, ut ait Xiphilinus in Vespasiano. Nec dubito, quin alii quoque principes hunc morem servarint. Sed silere malo, quæ testibus ac tabulis consignare non licet, quam conjecturis inniti. Postquam vero antiqua illa imperii sedes mutata, & à Constantino Magno Bizantium translata fuit, reperio inter officiales Palatii fuisse, qui Responsa Impp. signarent. Fit horum mentio in l. 14. Cod. Theodos. De Extraordinariis muneribus: *Eos qui cum honore Comitum, nomine Magistrorum, Memoriæ præfuerunt vel Epistolis vel Libellis: item eos, qui ibidem peragendis signandisque Responsis nostræ mansuetudini obsecundant, omnium vilium munerum fieri jubemus exsortes.* Quomodo autem & à quibus hujusmodi Responsa obsignata fuerint, mox ostendam. si prius morem obsignandi tabulas epistolasque priscis Romanis usitatum indicâro.

CAP. VII.

De Lino & Cera in obsignationibus usurpari solita. Cretam quoque huic rei inserviſſe. γῆ σφραγίδος. Incidere linum, Epiſtolam ſolvere. *Signa cognoſcebantur ante aperturam.*

IN obſignationibus literarum tabularumque tria adhibebantur: Linum, Cera vel Creta, & Signum. De Signis inferius dicemus. Linum erat vinculum illud, quo conſtringebatur obligaturque id, quod erat obſignandum. Huic imponebatur Cera vel Creta, in quam ſigillum imprimebant, ſed, quod hodieque vulgo fieri ſolet, prius ſalivâ madefactum, ne cera illi adhæreret. Unde Juvenalis Satyra 1. *Gemmam udam* dixit, quam Scholiaſtes interpretatur *ſalivâ tactam propter ſignaculi impreſſionem.* Et Ovidius libro 5. Triſt. Eleg. 5.

Flens quoque me ſcripſit, nec qua ſignabar ad os eſt
Ante, ſed ad madidas gemma relata genas.

Idem libro 9. in fabula Biblidos:

Protinus impreſſa ſignat ſua crimina gemma,
Quam tinxit lacrimis, linguæ defecerat humor.

Quæ duo loca mihi indicavit nobiliſſimus & ampliſſimus Dn. Janus Rutgerſius,

sius, amicus noster non è multis, quem honoris causa nomino.

Creta signandi mos est antiquissimus. Servius libro 4. Æneid. ad illa: longæva sacerdos. *Sibyllam Apollo pio amore dilexit: & ei obtulit poscendi quod vellet arbitrium. Illa hausit arenam manibus, & tam longam vitam poposcit. Cui Apollo respondit, id posse fieri, si Erythræam (in qua habitabat) insulam relinqueret, & eam nunquam videret. Profecta igitur Cumas tenuit: & illic defecta corporis viribus, vitam in solâ voce retinuit. Quod cum cives ejus cognovissent, sive invidia sive commiseratione commoti, ei Epistolam miserunt, cretâ antiquo more signatam: qua visa, quia erat de ejus insulâ, in mortem soluta est.* Meminit cretæ & Cicero 4. in Verrem: *Cum Valentio ejus interpreti Epistola Agrigenti allata esset, casu signum iste animadvertit in cretula. Placuit ei: exquisivit unde esset Epistola: respondit, Agrigento. Iste literas, ad quos solebat, misit, ut is annulus ad se primo quoque tempore afferretur.* Et pro Flacco: *Hæc quæ à nobis prolata laudatio, obsignata erat creta illa Asiatica, quæ fere est omnibus nota nobis: quâ utuntur omnes non modo in publicis, sed etiam in privatis literis.* Herodotus videtur appellare γλῶ σημαντρίδα libro 2. ubi describit morem Ægyptiorum sacerdotum, quem in probando bove sacrificiis apto solebant usurpare. Locum

cum alibi adduximus.

De Cera vero & Lino res est notissima. Cicero 4. Acad. Quæst. *Quid si in ejusmodi cera centum sigilla hoc annulo impressero, ecquæ poterit in agnoscendo esse distinctio? an tibi erit quærendus annularius.* Plaut. in Bacchidibus.

Cedo tu ceram ac linum: age obliga, obsigna cito.

Et in Pseudolo scena prima:

Phœnicium Calidoro amatori suo
Per ceram & linum, literasque interpretes
Salutem mittit.

Instit. libro 2. Tit. de pupillari substitutione. *Separatim in inferioribus partibus scribere, eamque partem proprio lino, propriâque cerâ consignare.* Cæterum morem istum vinculis colligandi tabellas apud Græcos quoque obtinuisse docent nos Æmylius Probus in Pausania, capite 4. *Interim Argilius quidam Adolescentulus, quem puerum Pausanias amore venereo dilexerat, cum epistolam ab eo ad Artabazum accepisset, eique in suspicionem venisset, aliquid in ea de se scriptum, quod nemo eorum rediisset, qui super tali causa eodem missi erant: vincula epistolæ laxavit, signoque detracto cognovit, si pertulisset, sibi esse pereundum.* Et Curtius lib. 7. cap. 2.

Par-

Parmenion vinculum epistolæ solvens, quidnam
Rex ageret, requirebat.

In tabulis tamen, quæ publici & privati contractus scripturam continebant, peculiaris aliquis modus observabatur, quem Paulus lib. 5. Sententiarum Tit. 25. describit his verbis: *Amplissimus ordo decrevit, eas Tabulas, quæ publici & privati contractus scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, ut in summa marginis ad mediam partem perforatæ triplici lino constringantur, atque impositum supra linum ceræ signa imprimantur, ut exteriores scripturæ fidem interiori servent. Aliter Tabulæ prolatæ nihil momenti habent.* Autor hujus formæ Senatus fuit Neronianis temporibus, quemadmodum Suetonius ostendit in Nerone capite 17. *Adversus falsarios tunc primum repertum, ne Tabulæ nisi pertusæ ac ter lino per foramina trajecto obsignarentur.* Non poterant autem Tabulæ vel Epistolæ aperiri, nisi lino soluto. Lucianus in Timone: Επειδὰν τὸ σημεῖον ἀφαιρεθῇ, & τὸ λίνον ἐντμηθῇ & ἡ δέλτος ἀνοιχθῇ & ἀναγνωσθῇ μοῦ ὁ & καινὸς δεσπότης. *Postea quam autem signum ablatum fuerit, & libum incisum, & tabulæ apertæ & declaratus meus novus dominus.* Unde apud Curtium libro 7. *Parmenio vinculum Epistolæ solvens, quidnam Rex ageret, requirebat.* Et apud Cicer. 3. Catil. *incidere linum;*

& ali-

& alibi *ſolvere Epiſtolam.* Plaut. in Amphitr. *ſolvere ciſtulam.* Plutarchus πολιᾶν ἐπιστολῶν, ait λύειν ἐπιστολώ. Soluto autem vel inciſo lino plerunque ſignum quoque cum eo frangebatur: ideo ante aperturam jubebant ſigna cognoſci, fidei cauſa. Plut. Amphitr. Actu 2. Scen. 2.

— So. *An etiam id credis quæ in hāc ciſtellula*
Tuo ſigno obſignata fertur? AMP. *ſalvum ſignum eſt.* So. *inſpice.*
AMP. *Recte, ita eſt ut obſignavi.* —

Et paulo poſt:

AMP. *Agedum eam ſolve ciſtulam.*
So. *Quid ego iſtam exſolvam? obſignata eſt recte: res geſta eſt bene.*
Tu peperiſti Amphitruonem, ego alium peperi Soſiam.
Nam ſi pateram patera peperit, omnes congeminavimus.
AMP. *Certum eſt aperire atque inſpicere.*
So. *vide ſis ſigni quid ſiet.*
Ne poſterius in me culpam transferas.

Et Bacchidibus Act. 4. Sc. 6.

CHR. *Nunc haſce tabellas ferre me juſſit tibi:*
Orabat, ut, quod iſtic eſſet ſcriptum, fieret.
NIC. *Cedo.* CHR. *noſce ſignum.* NIC. *novi.*

Et Pſeudolo Act. 4. Sc. 2.

BAL. *Cedo mihi Epiſtolam.*
SY. *Accipe; hem cognoſce ſignum.*

Cice-

Cicero 3. Catilin. *Tabellas proferri jussimus, quæ à quoque dicebantur datæ. Primum ostendimus Cethego: Signum cognovit: nos linum incidimus, legimus.* Et mox: *Introductus est Statilius: cognovit & signum & manum suam. Recitatæ sunt tabellæ in eandem fere sententiam. Confessus est. Tum ostendi tabellas Lentulo, & quæsivi cognosceretne signum? Annuit. Est vero, inquam, imago avi tui clarissimi viri.* Salustius de hac ipsa re in Conjurat. Catil. *Pellectis literis, cum prius omnes signa sua cognovissent, Senatus decrevit.* Apulejus in Apologia: *Porrige Æmiliano tabulas istas. Linum consideret, signa, quæ impressa sunt, recognoscat.* Respexit huc Plautus Vidularia: *Signum recte comparebat: hujus contendi annulum.* Et Quintilianus libro 12. capite 8. *Denique linum ruptum, aut turbata cera, aut sine agnitione signa frequenter invenies.* De Testamentorum apertione diserte Paulus lib. 4. Sententiar. Titul. 6. *Tabulæ Testamenti aperiuntur hoc modo, ut maxima pars eorum adhibeantur, qui signaverint testamentum: ita ut agnitis signis, rupto lino, aperiatur & recitetur, &c.* Hinc Suetonius in Tiberio capite 23. *Illatum deinde testamentum Augusti, non admissis signatoribus nisi Senatorii ordinis, ceteris extra curiam signa agnoscentibus, recitavit per libertum.* Eratque officium Prætoris, cum initio aperiendæ erant tabulæ, ut cogeret signa-

signatores convenire & sigilla sua recognoscere. l. 4 D. *Testament. quemadmodum aper.*

Ideo autem literarum signa recognoscebantur, quia inde, ut & è scribentis manu, autor illarum potest cognosci. Sic L Junius Brutus primus Romanorum Consul filiorum conjuratorum literas primum *ex utriusque sigillo, τοῖς σφραγῖσιν ἑκατέρων & μὴ τὸ λύσαι τὰ σημεῖα τοῖς αὐτοσφάροις, & post avulsa signacula etiam è manu* cognovit, teste Dionysio Halicarnassæo libro 5. Utrumque indicat & Ovidius libro 9. de Ponto Eleg. 9.

Ecquid ob impressæ cognoscis imagine ceræ
Hæc tibi Nasonem scribere verba Macer?
Autorisque sui si non est annulus index,
Cognita ne est nostra littera facta manu?

Interdum quoque ex ipso stylo vel sermone habito. D. Bernhardus Epist 330. *Sigillum non erat ad manum, sed qui leget, agnoscet stylum: quia ipse dictavi.* Et Epistola 339. ad Balduinum Episcopum. *Nupera materies locutionis pro sigillo sit: quia ad manum non erat.* Atque hæc potissimum de Privatorum hominum literis intelligenda sunt.

CAP.

Cap. VIII.

De obsignatione Principalium literarum, quæ fiebat Bullarum appensione. Bulla *quid*, Bullare. *Bullæ quadruplices: Aureæ, Argenteæ, Cereæ & Plumbeæ, singularumque usus. Ceream fuisse duplicem: Rubram & Prasinam.* Διχήρεον. *Rescripta Imperialia dicta* χρυσόβουλλα, *licet sigillum aureum non haberent. Aureas bullas miniatis literis & encausto muricco consignari consuevisse. Additas etiam in fronte bullarum tres cruces. Tutorem Imperatoris viridi colore usum, Patriarcham caruleo. Patriarchalis annuli custos Chartophylax.*

NUnc vero etiam de literis Principalibus dicemus, præsertim iis, quæ pragmaticas sanctiones ad totum imperium vel posteritatem pertinentes, quæ privilegia & constitutiones Principibus vel Præsulibus vel Collegiis vel civitatibus vel Præsulibus datas, aliasque magni momenti res continerent. Hæ non lino & cera, ut vulgo, obligari obsignarique solebant, sed erant, ut hodie loquimur, patentes. In quarum tamen ima parte fidei causa sigillum apponebatur, ut legimus in Pragmatico Childeberti Regis apud Aimoinum lib. 2. de gestis Francor. capite 20. *Et ut hæc præceptio cessionis nostræ futuris temporibus, Deo auxiliante, firmior habeatur, vel per tempora inviolabiliter conservetur, manibus propriis vel nostris signaculis subter infra decrevimus robo-*

roborare. Et in Edicto Caroli Magni de obedientia Episcopis & Sacerdotibus præstanda apud CL. Goldastum Tom. 3. pag. 146. *Vt has literas certius credatis, de annulo nostro subterius decrevimus roborare.* Et in donatione Ludovici Einhardo concessa, quæ præfixa est tomo veterum scriptorum à Justo Reubero collectorum : *Et ut hæc autoritas largitionis nostræ per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam perpetuo obtineat firmitatem, & à fidelibus nostris tam præsentibus quam & futuris, seu etiam à successoribus nostris à nobis facta verius certiusque credatur, eam manu propria subterfirmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus.* Et in privilegio Caroli Calvi Francorum Regis apud Aimoinum libro 5. de gestis Francor. cap. 34. *Et ut hæc autoritas, quam ob Dei amorem & remedium animæ nostræ statuimus atque roboravimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulsa perdurare queat, manus nostræ conscriptione eam subterfirmavimus, & de annulo nostro sigillari jussimus.* Observandum hîc quod Jacobus de Breul notat ad caput 10. libri 2. Aimoini ex Petro Caroli VI. Francorum Regis Capellano, qui in Chronicon Damasi Papæ vel potius in Catalogum & vitas Romanorum Pontificum commentatus. *Olim*, inquit, *non appendebantur sigilla per corrigiam vel fila, sicut hodie,*

sed

sed affigebantur literis, tenebantque chartam amplexam ab utraque parte cum bona quantitate ceræ. Idque observatum est usque ad Ludovicum Crassum, qui regnare cœpit Anno Domini CIↃ CX. *Hic enim primus cœpit appendere sigilla, cum patris ejus Philippi Primi & interiorum Regum privilegia, quæ in nostro Chartophylacio extant, habeant illa affixa, atque ab utraque parte Pergameni apparentia.* Hactenus ille.

Sigilla autem illa, quæ literis principum appendebantur, à sequioris ævi scriptoribus tam Græcis quam Latinis *Bullæ* appellantur: Unde & ipsas Principales literas, Pontificumque decreta interdum Bullas dici legimus: Non quod in iis consuleretur aut decerneretur aliquid ab Imperatore vel Pontifice, voce à Græco βυλὴ deducta: ut argute quidem ingeniosissimus Christophorus Colerus existimat capite 4. Parergôn: sed quod Bulla, id est, majus sigillum, vel ceræ impressum, vel capsulæ cuidam ex auro aut argento aut plumbo inclusum literis illis appenderetur, non aliter sane, quam olim bullæ pueris prætextatis, ut notat nobilissimus & antiquitatis historiarumque prudentissimus Marq. Freherus Notis in librum 2. Petri de Andlo. capite 5. ac Limnæus in suo de Jure Publ. tractatu egregio tom. 1. lib. 1. cap. 11. n. 14. & seqq. Hinc *Bullare* nihil aliud est, quam sigillare

gillare apud Petrum Bleſenſem & alios. Arnoldus Hiſtor. Slavor. libro 7. cap. 14. *Et Rex, vade, ait, & poſt modicum revertere, & invenies literas bullatas.* Petrus de vineis Epiſt. 21. libro 1. *Exiſtens ipſe bullator & ſcriptor & forſitan numerator.* c. licet. §. eos etiam de crimine falſi. Nec aliunde dicti *Doctores Bullati*, quam quod ejuſmodi literis ſuæ doctoræ ſigillatis, abſque legitimo examine & promotione nitantur.

Erant autem Bullæ hujuſmodi quadruplices: Aurea, Argentea, Cerea, Plumbea, Jul. Cæſar Bulingerus de Rom. Imp. lib. 2. p. 349. Omnibus utebatur Imperator, & Aurea quidem in majoris momenti negotiis: Cujuſmodi tres vidi in archivo inclytæ hujus Reipublicæ; duas Friderici II. Imperatoris, quarum unâ ille avi ſui Friderici I. cognomento Barbaroſſæ privilegia urbi Lubecæ Anno CIↃ C LXXXVIII. conceſſa confirmat: alterâ eam Liberam Imperii Urbem pronunciat & novis inſuper beneficiis cumulat. Tertia erat Ludovici IV. Imper. qua jus cudendæ monetæ tam aureæ quam argenteæ huic urbi concedit. In earum antica parte viſitur effigies Imperatoris in ſolio ſedentis & tenentis dextrâ ſceptrum, ſiniſtrâ globum cruciferum, cum hoc titulo: FRIDERICVS DEI GRATIA ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS REX JERLEM

JERLEM ET SICILIÆ. Item. LVDOVICVS IV. DEI GRATIA ROM. &c. In parte postica, castrum turritum cum hac inscriptione: ROMA CAPVT MVNDI REGIT ORBIS FRENA ROTVNDI. De aliis vid. Limnæum Tom. I. Juris P. l. I. c. II. n. 20. Talis est etiam illa nobilissima Caroli IV. Imperatoris, quæ κατ' ἐξοχὴν *Aurea Bulla* nuncupatur. Ejus descriptionem à Marq. Frehero Notis ad Petrum de Andlo allatam, non possum, quin hoc loco adjiciam. Esse autem ait verba cujusdam Pilei Cardinalis, ab Urbano VI. Pontifice in Germaniam missi, Anno cIↃ cccLxxIx. attestantis, se vidisse & tenuisse quasdam literas patentes bonæ memoriæ Caroli Imperatoris Romani tum librum illum Aureæ Bullæ, quem ita describit: Prædictus liber erat scriptus in pergameno in 24. foliis, cujus coopertura grossa, in quo erant scripta diversa negotia sacrum Imperium & Electores ejusdem tangentia: qui quidem liber transfixus erat cum filis sercis glauci & rubei coloris involutis, cum bulla seu sigillo aureo rotundo Imperiali appendente, in cujus uno latere apparebat figura Imperialis in majestate sedens cum Corona imperiali in capite, habens in manu dextra sceptrum, & in sinistra manu pomum cum cruce desuper modo Imperiali: & à latere dextro Clypeum cum Aquila, & sini-

siniſtro Clypeum cum forma Leonis. In circumferentia vero legebantur hæc verba: CAROLVS QVARTVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS ET BOHEMIÆ REX. Ab alio vero latere, caſtrum magnum cum duabus turribus, habens portam inferius in medio, cum literis: AVREA ROMA. In circumferentia vero legebantur hæc verba: ROMA CAPVT MVNDI REGIT ORBIS FRENA ROTVNDI. Hæc ille. Ad eundem modum per Bullam Auream Comitiva Palatina ab eodem Carolo IV. donata fuit Fr. Petrarchæ, ut ipſe teſtatur in Epiſtola ad Johannem Epiſcopum & Cancellarium, cui hoc nomine gratias agit, libro 12. Epiſt. Familiar. 2. *Quanto me nuper*, inquit *& quam raro privilegio honeſtaſti? Quod & ſi ſolum feceras, ſecretum tamen Imperii ſignum & ingentem bullam auream adjeciſti. Cujus vel aſpectus ſolus immenſum quiddam majeſtatis & gloriæ contemplantibus ingerit, & venerabundos cogit ſummi imperii & veteris Romæ atque aurei ſeculi meminiſſe.*

Ceterum hoc moris pariter & verbi Græcos etiam Impp. uſurpaſſe legimus. Novellas conſtitutiones Aurea bulla ſignatas fuiſſe clarum eſt illa Baſilii Porphyrogeniti tomo primo Juris Græco Romani pag. 118. Καὶ ὥστε ἀσφαλῆ ἐ

ἀμε-

ἀμεταθέτον εἶναι τὴν παροῦσαν ἀφαίρεσιν, οἰκείᾳ χειρὶ ὑπογράψαντες χρυσῷ σφραγῖδι ταύτην ὑπεσφραγίσθημεν διωρισάμεθα, μηνὶ Ἀπριλλίῳ δ' ἐπινεμήσεως α'. *Vtque sancta & immutabilis esset hæc constitutio, propria manu subnotatam, aureo quoque sigillo subsignari jussimus, mensis Aprilis die quarto, indictione prima.* Et Nicephori Botaniatæ tomo eodem pagina 123. Καὶ ἡ ἐπισφράγισις ἡ βασιλεία μου τὰ κεκριμένα καλῶς καὶ οἰκονομηθέντα συνοδικῶς, καὶ τὸ παρὸν ἐξέθετο χρυσόβουλλον εἰς ἐπικύρωσίν τε καὶ στερέωσιν ὑπογράψασα αὐτῷ δι' ἐρυθρῶν γραμμάτων, καὶ ἀφ' ὧν τὴν ἀλήθειαν φανερωτέραν ὑπαγορεύουσα, κηρῷ ὥσπερ δῆπεν χρυσῷ, τὴν ἀλήθειαν σφραγῖδα τούτῳ ἀπεικονίσασα: *Quippe majestas mea præclare dijudicata gestaque per ipsam Synodum obsignans, præsentem hanc auream bullam promulgavit, ad confirmandum & stabiliendum ea: cui bullæ rubris literis subscripsit, & per eas veritatem clariorem dictans, verum ei sigillum, quasi quoddam aureum corollarium, appendit.* Utebatur eâdem Imperator etiam in mandatis ad Reges, Sultanos & Toparchas. Clare Codinus De official. Palatii Constantinopolit. ὁ μέγας Λογοθέτης ἀφαιρεῖται τὰ ῥηθέντα τοῦ Βασιλέως ἀποστόλματα σφενδόνας καὶ χρυσόβουλλα σφενδόνας τε Ῥηγῶν, Σουλτάνων καὶ τοπάρχων. καὶ τοῦτο μὲν ἴδιον τοῦ μεγάλου Λογοθέτου ὑπηρέτημα. *Magnus Logotheta disponit mandata & bullas aureas, quæ ab*

Imperatore mittuntur, ad Reges, Sultanos & Toparchas: atque hoc quidem proprium est magni Logothetæ ministerium. Ad Clerum quoque datam Bullam auream innuit Nicetas in Manuële Comneno lib. 3. ubi narrat Logothetam magis contra Stypiotam Theodorum inflammatum, quod Imperator illi auream bullam cum radiantibus gemmis dedisset, mandassetque, ut in magna Blacherina Ecclesia jurijurando præesset, quo imperii successio Alexio Hungaro & filiæ Mariæ confirmaretur, quod munus ad Logothetæ potius officium pertinebat. Verba Nicetæ hæc sunt: ἐκεῖνον κατ' καρδίας ἑτέραν αὐλαίαν πολυτελῶ εἰληφὼς ὁ δηλωθεὶς Λογοθέτης ἐπὶ τῷ Στυπειώτῃ δοθῆναι δοκεῖον, ἐρυθροδάκτυλον ἀφάλιστον χρύσεον, καὶ τοῖς ὅρκοις τὸν τὸν ἐπιστατῆσαι κατ' τὸ ἐν Βλαχέρναις μέγαν νεὼν, ἀὐτῷ δὲ κράτος ἀφαιρεῖσθαι συνεπίδοξον Αλεξίῳ τε σῷ ἐξ Ουγγρίας, καὶ τῇ θυγατρὶ δὲ βασιλέως Μαρίᾳ, ἀὐτῷ λογοθετικῷ δήπουθεν ὀφφικίῳ ἦσαν ἁρμόδια.

De Argentea Phrantzes Chron. lib. 2. cap. 10. *Ego cum literis bulla argentea insignitis & jurejurando firmatis & multo milite missus sum, ut Athenas & Thebas in potestatem reciperem.* Luitprandus in Legat. *Tulerunt autem & alias literas argento signatas, atque dixerunt, Papam vestrum, &c.*

Cerea bulla utebantur ad matrem, uxorem, filium; ad Despotas vero; patriarchas,

chas, & reliquos principes honoratiores Plumbea. Hic enim sensus verborum Codini Curopalatæ De official. Aulæ Constantinopolit. Ὁ χρυσοσημάντωρ τὸ σφενδόνης τῷ τοῦ βασιλέως σφενδόνῃ λαμβάνων τὸ φακίζι ἀπὸ χηρὸν δηλαδὴ. ἐὰν μὲν γένῃ ἀλλαχοῦ παρὰ τοῦ βασιλέως, ἢ μὴ ὡσὰν τῷ δεσποίνῃ τῇ μητέρᾳ αὐτοῦ καὶ τῇ δεσποίνῃ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ καὶ τὸ βασιλέα τὸν υἱὸν αὐτοῦ. ὡσὰν δὲ δεσπότας, παλατίνους καὶ τοὺς λοιποὺς ἄρχοντας τὸ σύμπαν λίτρων, ἀπὸ μολιβδίνης βούλλης. Quæ quidem verba disertè testantur, Ceream & Plumbeam Bullam signatam fuisse ab Accubitore palæ vel Annuli: sic enim interpretantur τὸ χρυσοσημάντωρ τὸ σφενδόνης: quemadmodum Auream (opinor & Argenteam) à magno Logotheta fuisse signatam paulo ante dixerat. Sed Ceream quoque in Novellis Constitutionibus appendi solitam reperio: quod testatur solennis formula, δι' ἐρυθρῶν γραμμάτων τοῦ βασιλέως. καὶ ἡ ἀπὸ χηρὸν σωτηθὴς σφραγὶς, qua multorum Impp. Novellæ concluduntur. Ipse etiam Alexius Comnenus in quadam Novella Tom. 2. pag. 186. edicit, ne imposterum cujuscunque Rescripti ratio habeatur, quod alicui judicum transmissam ad se litem exhibere prohibeat, κἂν ἀπὸ κινναβάρεως ὑποσεσημασμένη τυγχάνῃ, κἂν τὸ κηρόβουλον σφραγίδα φέρῃ. *Licet minio forte subscriptum sit, licet bullæ cereæ sigillum habeat.* Et Nicolaus Patriarcha in Synhodali epistola ad

Alexium imperatorem affirmat, se accepisse ejus θείαν ἐπίλυσιν διὰ σφραγῖδος ἐν κηρῷ καὶ φοινικῶν αὐτοχείρων χαμαιμήκτων τὸ ἀξιόπιστον κεκτημένην. *Divinum rescriptum per sigillum cereum puniceasque propriæ manus literas idoneè munitum.* pag. 271.

Erat autem bulla Cerea, ut hoc quoque obiter moneamus, duplex: Rubra scilicet & Prasina, dicebaturque Δικήριον. Et utebatur quidem utraque Imperator: quo innuebatur ad eum pariter atque ad Patriarcham docendi munus pertinere. Balsamo de Privilegiis Patriarch. pag. 444. Ἐντεῦθεν γὰρ οἱ πιστοὶ βασιλεῖς ὁπόταν καὶ αὐτοκράτορες καθηχητικῶς ὁμιλῶσι τῷ χριστωνύμῳ λαῷ ἢ θυμιῶσιν, ὡς ἱερεῖς καὶ μὴ δικηρίῳ σφραγίζωσι. id est, *Hinc enim usu venit, ut fideles principes & imperatores Catechetico more cum populo Christiano colloquantur, aut suffitum faciant more sacerdotum, & cum cera duplici obsignent.* Sed Patriarcha tantum Prasinâ. Itaque legitur bis in Solutionibus quarundam quæstionum Manuëlis: Εἶχε τὸ μὲν ἰδίᾳ ἐπιστολὴν ἐν τῷ κηρίνῳ πρασίνῳ σφραγῖδα.

Præter Bullam autem Ceream Prasinam Patriarcha etiam Plumbea solebat uti. Quod discimus ex Sanctis quorundam Patriarcharum, quæ extant Tomo 1. Juris Græco-Rom. lib. 1. Sentent. Synhodalium Germani Patriarchæ. pag. 236. εἶχε τὸ, μὲν ἰδίᾳ. ἐπιστολὴν ἓν, διὰ τῆς παλαιαρχικῆς, ἐν θείᾳ χειρὶς. ἀπαώρητον ἓν

κρι

ἐκ κάτωθεν μολιβδίνη βοῦλλα, ἔχουσα ἐν μὲν τῷ μέρει τῆς ἐπιφανείας θεοδόκον, παλάμαις φέρουσαν τὸν κύριον ἡμῶν Χριστόν. ἐν δὲ τῷ ἑτέρᾳ γεγράμμαται ταῦτα. Γερμανὸς ἐλέῳ θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντίνου πόλεως, νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης. Id est, *Habuit scriptum, Mense Iunio, Indictione V. patriarchali & divina manu: Pendebat autem inferne plumbea bulla, habens ex una parte sanctissimam Deiparam, ulnis gestantem dominum nostrum Iesum Christum, ex altera autem has literas: Germanus Dei miseratione, archiepiscopus Constantinopoleos novæ Romæ, & œcumenicus patriarcha.* Et in Manuëlis pag. 242. εἶχε τὸ, μηνὶ Ἰουλίῳ ἐπινεμήσεως η'. διὰ τ πατριαρχικῆς καὶ θείας χειρὸς καὶ τῷ συνήθη μολιβδίνῳ βοῦλλαν, *Habuerunt hoc, Mense Iulio, Indictione 8. per patriarchalem divinamque manum & solitam plumbeam bullam.* Et libro Secundo in Alexii Patriarchæ, pag. 256. Ταῦτα οὕτω συνκεφαλαιωθέντα καὶ ἐξιδέντα καὶ ἐπὶ συνεδείων τ θεοφιλεστάτων μητροπολιτῶν ἐν τοῖς μνημείοις ἐντεθέντα, τῇ συνήθει διὰ μολύβδου σφραγῖδι ἐβεβαιώθη, καὶ ἐπεδόθη μηνὶ Ἰανουαρίῳ, ἐπινεμήσεως ια. *Hæc ita summatim exposita & definita, inque consessibus religiosissimorum metropolitanorum monumentis allata, consueto plumbeo sigillo corroborata sunt & data mense Ianuario, indictione* 11. Et in Constantini Lichudis pag. 264. Ἐγεγράφη τὸ διωρισμένα ἐκκλησιαστικὰ ἔτει καὶ σφραγι-

θέντα τῷ Δεκεμβρίῳ μηνὶ δὲ βουλητηρίῳ, ἐπιδόθη μηνὶ Δεκεμβρίῳ, ἰνδικτιῶνος ιβ. *Hæc ita sancita & ecclesiastico more perscripta & obsignata per bullam plumbeam, data sunt mense Decembri, indictione* 12. *&c.* Porro Romanos quoque Pontifices literis suis bullas plumbeas appendere solere, res est vulgo nota. Quod vero Venetorum Duces etiam literas & monumenta publica plumbo obsignant, id Alexandro Pontifici acceptum ferunt, quem Sabellicus l. 7. Decad. primæ scribit, *cum ducem literas ad Fridericum Imperat. de fide Legatis habenda cera obsignantem conspexisset, in Ciani & aliorum gratiam mandasse, ut Ducariæ deinceps literæ plumbo munirentur.* Quanquam ex Obbone veteri historico refert idem scriptor paulo post, *duplici Venetos principes ad eam diem signandi forma usos fuisse, ut publica monumenta plumbo, Epistolas ac reliquos libellos cerâ communirent: Sed tum primum Alexandro auctore receptum, ut in his quoque plumbo illi uterentur. Renatus, Chopvinus de Dominio Galliæ l. 2. t. 2. f. 224. n. 8.* Atque hæcce Pontificialis concessio Baldum fortean movit, quod literas Ducis Venetorum non plumbatas suspectas esse asserat in L. de quib. color. 2. ff. de Leg. Sed de Bullis quæ Impp. Regum, Patriarcharum & Pontificum literis appendi solebant, satis superque dictum est; hoc monendum restat; Imperatorum Edicta vel Rescripta, etsi quidem aureo

sigillo

sigillo munita non erant, χρυσόβουλα tamen interdum appellari, ut ex Johannis Comneni Novella, quæ statuit, *Ne quid ab Ecclesia Episcopo suo orbata Quæstor exigat*, videre est. Nam ea χρυσοβούλλου titulum præfert, cum tamen Cereum sigillum illi fuerit appensum. His aureis bullis Imperator manu, si Dis placet, divina subscribebat, & quidem singulari quodam genere encausti. Nam Leo Imp. in l. 6. C. *de diversis Rescriptis* diserte vetat, sacra Rescripta alio colore, quam purpurea inscriptione lustrari, & cocti muricis tritique conchylii ardore ea signari præcipit, atque hujus sacri encausti confessionem privatis sub gravi pœna interdicit. Etsi autem quale hoc encaustum (Græci appellant σφραγὶς χερσὶ, σφραγὶς ἐν ζωγραφικῇ χειρὶ. Gothofred) fuerit, liquido nobis non constat; tamen ex illa Leonis lege patet, imperialia rescripta purpureis literis & encausto muriceo insigniri consueviſse. Sic Palæologus Imperator Constantinopolitanus Romæ, in æde Spiritus S. Ecclesiæ Romanæ Subjectionem jurans Syngrapham, conchylii sanguine à se subscriptam, testatam relinquit. Epitome Chronicorum Werweronis Leodiensis monachi apud Brissonium. Gothofred. ad l. 6. jam jam allegatam C. de divers. rescriptis. Hinc illa usitata in Bullis Aureis verba, δι' ἐρυθρῶν γραμμάτων ἐκ βασιλικῆς χειρός. Nicetas in Manuel. Comneno. l. 1. ἐρυ-

ἐρυθρογράμμασιν γράμμα, & ἐρυθρογραμμάτῳ βασίλειον γραφῇ vocat, ubi scribit Johannem Axuchum Magnum Domesticum custodiæ palatii intentum, atque id agentem, ut Manuël etiam à civibus Imperator salutaretur, literas rubras, aureoque sigillo & serico filo munitas & conchæ sanguine pictas Clero magni templi obtulisse, quibus eis argenteæ monetæ nummi ad CC. minas promittebantur: eundem etiam alias rubricatas Imperatorias literas apportasse, quæ eandem summam nummis aureis designarent. Ὁ δὲ μέγας Δομέστικος τῶν βασιλείων φυλακῆς ἐπιμεληθείς, καὶ τὸν βασιλέως Μανουὴλ ἀσπασάμενος τοῖς ἀστοῖς ἀναγορεύσεως, γράμμα ἐρυθρογράμμασιν σφαγῖδι πεχυσείᾳ καὶ σηρικῷ νήματι ἔμπεδον κόσμῳ ἀναδεδεμένῳ αἵματι, τῷ κλήρῳ δὲ μαχάλης νεὼ ἐπιδίδωσι, τυποῖ αὐτοῖς χρύσεα ἑπτάκις κέρματα εἰς μυριάδας δὶς ἑκατὸν κορυφούμενα. Ἐλέγετο ἢ καὶ ἑτέραν ἐρυθρογραμμάτῳ βασίλειον γραφὴν ἐπιφέρειν τὴν Ἀξοῦχον, ἀφ' ἧς χρυσέαν ταύτην βραβεύσειν. Et lib. 6. idem Nicetas auctor est, Sultanum Imperatori Constantinopolitano objecisse, τὸ ἀσθενὲς εἰς φιλοπονθησίαν, καὶ τὸ φιλίας δόκιμος ἀπιστεῖν καὶ συγχεῖν ἐκ δικαίων τὰς ὑπὲρ εἰρήνης τεθείσας θεσμὰς καὶ τὸ πλείσας ἂν ἐκεῖνον ἐπαίρειν φιλοδωρίαν ὑποχείσεις, καὶ βασιλικὰς ὑποσημαίνειν ταύτας γραφὰς καὶ βαφάς, ὀλίγα δὲ χορηγεῖν. *Facilitatem in violandis fœderibus, levitatem in dissolvenda amicitia & pacis condi-*

conditionibus temere abrogandis & inanes magnorum munerum pollicitationes, quas rubricatis quidem literis insigniret, sed pauca præberet.

Sed & Cinnabari usos Imperatores in subscriptionibus legimus: quod præter locum ex Alexii Comneni Novella supra laudatum, testatur etiam Gregorius Dialogus Epist. 1. ad Leonem Isaurum, quæ extat tomo 9. Annalium Baronii. Καὶ πῶς πρῶτον, καὶ ἐξαίρετον, ὅτι τὰ σὰ γράμματα καὶ σὸν ἀλλότρια, ταῖς σφραγῖσιν ἰσφραγισμένα ἀσφαλῶς καὶ ἔσωθεν ἀσφαλεῖς ὑπογραφὰς διὰ κινναβάρεως ἰδιόχειρος σοῦ, ὡς εἴθισο τοῖς βασιλεῦσιν ὑπογράφειν. hoc est, *Inprimis autem & præcipue, quod literæ tuæ & non alienæ sigillis Imperatoriis obsignatæ diligenter essent, & accuratæ intus subscriptiones, per cinnabarim propria manu tua, ut mos est Imperatoribus subscribere.*

Præter hanc subscriptionem tres quoque in fronte cruces ejusdem coloris addebant, per quas tacite scilicet jurabant, rata se ea velle quæ scriberent. Phranzes lib. 3. cap. 4. *Imperator manu sua, eo vidente, cruces cinnabare in fronte bullæ ad confirmationem pro consuetudine exprimit, bullamque auream Legato in manu tradit.* Tutor Imperatoris impuberis viridi colore subscribebat, quod discimus ex Niceta, qui in Alexio Man. Comneni F. testatur, Alexium Protosebastum edictum impetrasse, quo continebatur, ea, quibus

manus Imperatoris adhuc impuberis subscripsisset, μὴ ἄλλως ὑπαρχόδικα οἴεσθαι, εἰ μὴ πρότερον ὀφθείη τῷ Ἀλεξίῳ, καὶ ὅτω τῶν δεξιὰν τῷ βασιλικῷ ἐπιδὼς χρώματι, τῶν ΕΤΗΡΗΘΗΣΑΝ ἐπισημασίαν βεβαιώσῃ. hoc est, *non aliter rata fore, nisi prius Alexius ea vidisset, & colore viridi subscripsisset*, RATA SUNT. Patriarcha vero subscriptione cærulea uti cœpit sub primis Palæologis. Cantacuzenus lib. 3. cap. 36. *Patriarcha quia gradum permutare non poterat, habitu se augustiorem fecerat, & in subscriptionibus, colore cæruleo usus est.* Sed quemadmodum Magno Logothetæ vel etiam Accubitori palæ curam annuli vel sigilli, quo literæ Imperatoriæ obsignabantur, commissam fuisse, paulo ante ostendimus: Ita etiam Chartophylax erat custos annuli Patriarchalis, quem ille à Patriarcha solenniter acceptum in pectore gestabat. Balsamon de privileg. Patriarch. pag. 458. Ἐσχηκέναι τοῦτο καὶ χρυσοῦν, ὡς ἄνθρωπος εἶπον, δακτύλιον, καθὼς εἶπε κύριος πρὸς Μωσῆν. Καὶ ἐπιθήσεις τὸ λογεῖον ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἀαρών, καὶ ποιήσεις δακτύλιον χρυσοῦν ἐσφραγισμένον αὐτὸν τοῦ λογείου τοῖς χείλεσιν, ἐφ' ᾧ δὴ αὐτοῦ τῶν ἡμῶν Ἰσραὴλ ἀπογράφεται τὰ ὀνόματα. Ποῖος δέ ἐστιν εἰσί; τὸ πατριαρχικὸν βασιλήϊον τὸ φορούμενον τοῦ στήθους τοῦ χαρτοφύλακος ἐσφραγισμένον, ὡς εἴωθε, δεχείῳ καθεστηκότι λογικῷ πανδέκτῃ. *Etiam ei porrigit in manum annulum aureum, sicut & Dominus*

minus ad Moſen dixit; Et impones Rationale ſuper Aaronis pectus & annulum facies aureum & accommodabis eum labris ipſius Rationalis, ut per eum nomina filiorum Iſraelis deſcribantur. Et quinam is eſt? Patriarchale bulloterium pro more ſuſpenſum ad Charthophylacis pectus, receptaculum ſtudii doctrinarum omnis generis. p. 458. &c. Horum magnam partem debemus Cl. & eruditiſſimo Meurſio, quem laude ſua fraudatum noluimus.

Cap. IX.

Mos regum Occidentis, in Annuli cura ſpectatæ fidei viro mandata. Referendarius. Cancellarii *unde: illorum officium apud veteres & dignitas.* Secretum. Secretarium. Levato velo cognoſcere. Velarii. ad velum ſiſti.

Atque hæc in imperio Orientis: In Occidente etiam non diſſimilem morem reperio. Nam quemadmodum in Conſtantinopolitana republica Logothetæ: ita apud Francos cuſtodia & cura annuli, quo regiæ literæ obſignarentur, committebatur alicui ſpectatæ virtutis viro, qui olim *Referendarius* dictus fuit: quo munere in aula Dagoberti Regis functum eſſe Audoënum, præter Sigebertum in Actis anni 637. teſtatur Aimoinus lib. 4. de Geſtis Francorum cap 41. *Ex quibus Audoënus (qui & Dado dictus eſt) Referendarius fuit Regis Dagoberti, filiuſque præcellentiſſimi viri Antharii. Qui Referenda-*

rius ideo est dictus, quod ad eum universæ publicæ deferrentur conscriptiones, ipseque eas annulo regis, sive ab eo sigillo sibi commisso muniret seu firmaret. Rob. Gaguinus lib. 3. histor. Francorum, hunc Audoënum vocat Cancellarium Dagoberti, ad sui seculi morem respiciens. Neque enim illa ætate ea erat Cancellarii dignitas; quam ut ostendam postea demum in tantum crevisse, ut proximum à rege locum occuparet, non possum mihi temperare, quin ea, quæ de Cancellariis vel ipsemet observavi, vel à Petro Pithæo, Isaacio Casaubono, Petro Colvio jampridem observata sunt, & diversis in locis sparsim leguntur, in hoc caput congeram.

Cancellariorum sub priscis Imperatoribus nulla omnino erat dignitas. Neque enim publici muneris id fuit nomen, sed tantum ministerii in aulis principum, & aliorum procerum. Erat quippe moris, ut magistratus, de negotiis pro ratione muneris quisque sui tractaturi, convenirent in aliquo loco, qui quod à vulgo secretus esset, *Secretum* vel *Secretarium* dicebatur. Donatus (Pithæus memoria lapsus Servius vocat) in lib. 1. Æneid. ad hæc verba, Tum foribus divæ. vers. 509. *Quomodo est*, inquit, *judiciorum omnium consuetudo. Ducuntur judices usque ad fores Secretarii, ibidemque officium remanet; illi vero ingressi solium ascendunt & sedent.* Constantinus in l. 1. C. Theodosii De offi-

cio

cio Rector. Provinc. *Non sit venale judicis velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus secretarium.* Hæc Secreta in primo aditu vela & deinde cancellos habebant: hos Græci vocant κιγκλίδας, δρυφάκτες, Polybius historia 15. θύρας διχλυωτὰς ἀφανεῖς, ut & Cassiodorus *fenestratas januas*: Aristophanis Scholiastes ad Vespas: Κιγκλὶς ἡ θύρα ἢ δικαστηρίε, ἣν καὶ καγκελωτὴν καλοῦσι. Julius Pollux lib. 8. αἱ μὲν ἔν τ δικαστηρίων θύραι κιγκλίδες ἐκαλοῦντο, ἃς οἱ Ῥωμαῖοι καγκελλοὺς λέγουσι. Illa vero nunc πεῖσμαῖα, nunc ἀντιπείσματα nunc ὑπερπείσματα dicuntur. De Cancellis quidem res clara est ex Ammiano Marcellino lib. 30. ubi de quarto genere causidicorum Romanorum agit: *Cumque intra cancellorum venerit septa & agi cœperint alicujus fortunæ vel salus, &c.* Et ex Basilio Seleuciæ Episcopo lib. 1. de vita Theclæ: ubi loquitur de Thamyre, qui D. Paulum sua manu in judicium trahebat: εἴσω δὲ τ δικαστικῆς κιγκλίδ@ παρελθὼν ἐς τοὺς ἐπὶ τ βήματ@, τοιῶν δὲ ἀπήξατο λόγων: *cum subselliorum cancellos esset ingressus, stans pro suggestu, hujusmodi orationem exorsus est.* Vela vero quod attinet, ea in causis quidem levioribus vulgaribusque removeri, & pandi solebant, quod *levato velo cognoscere*, dicebatur, id est, palam omnibus admissis, aperta fore: quomodo intelligenda est l. 5. C. De Naufragiis, ubi Honorius & Theodosius

dosius Imperatores ajunt : *De submersis navibus decernimus, ut levato velo causæ istæ cognoscantur.* vid. Menoch. de A. J. Qu. l. 2. c. 3. cas. 297. In causis vero gravioribus, & præcipue criminalibus, quæque ampliorem deliberationem requirerent, vela hæc obtendebantur, ut ita à conspectu litigantium reorum reliquique vulgi judices secernerentur, separarenturque : qua de re est insignis locus D Basilii Magni Epistola ad Eustathium, qui dignus totus hic legi : εἰ γὰρ οἱ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχοντες, ὅτ' ἄν τινα τῶν κακούργων θανάτῳ καταδικάζειν μέλλωσιν, ἐφίλησαν τὰ παραπετάσματα, καλοῦσι δὲ τοὺς ἐμπειροτάτους πρὸς τὸ ὑποκείμενον σκέψιν. Καὶ πολλὰ ἀναχολάζουσι χρόνον, νῦν μὲν τοῦ νόμου τὸ αὐστηρὸν ὁρῶντες, νῦν δὲ τὴν κοινωνίαν τῆς φύσεως δυσωπούμενοι καὶ πολλὰ στενάξαντες καὶ τὸ ἀνάγκαιον ἀπολοφυρόμενοι, δῆλοι πᾶσι γίνονται πρὸς ἀνάγκαν ὑπηρετοῦντες τῷ νόμῳ, ἀκατ' οἰκείαν ἡδονὴν ἐπάγοντες τὴν κατάκρισιν. hoc est, *Si enim principes hujus mundi, cum facinorosum aliquem ad mortem condemnare volunt, adducunt vela & advocant ad considerationem causæ experientissimos quosque multumque temporis insumunt, nunc legis rigorem contuentes, nunc naturæ communionem suspicientes, multumque ingemiscentes ac judicandi necessitatem deplorantes, nemini non manifestam faciunt, quod non ex propria libidine, sed ex necessario legis ministerio condemnationis inferant sententiam.*

Vid.

Vid. Magium lib. 2. Miscell. c. 13. in eandem sententiam quoque B. Clemens Romanus lib. 2. Constitutionum S. Apostolorum cap. 56. *Aspicite mundana judicia, quorum potestati videmus tradi homicidas, adulteros, veneficos, sepulchrorum perfossores, latrones: de quibus cum quæsiverunt præfecti judicio ab iis, qui illos in judicium adduxerunt, demum interrogant reos, an illa ita se habeant? Quibus affirmantibus, non continuo eos ad supplicium mittunt, sed per plures dies quæstiones exercent, cum multo consilio & velo interjecto. Tandem vero is, qui sententiam mortis in reum pronunciaturus est, sublatis manibus adversus solem, se innocentem ab illius sanguine contestatur.* Atque hinc jam lucem capit D. Chrysostomus homil. 5. in 2. ad Timotheum ubi ait, οἱ λῃσαὶ ἐν μὲν τῷ δεσμωτηρίῳ ζῶντες ἀδεῶς ζῶσιν. ὅταν δὲ παρὰ τὸ πέτασμα ἀγαγὼν τις αὐτοὺς, ἀφαιρεῖται τὸν φόβον. *Latrones quamdiu custodia detinentur, securi vivunt: ubi vero productos ad velum quis stiterit, tum jam metu dissolvuntur, quippe jam morti propius admoti.* Nam *ad velum sisti*, hic nihil aliud est, quam coram judice in judicio sisti. Ad hoc confirmandum faciunt & illa, quæ leguntur apud Baronium tom. 2. annalium fol. 784. edit. Plantin. in actis Euplii Diaconi: *Calvisianus, intra velum interius ingrediens, sententiam dictavit, & foras egressus, afferens tabellam legit: Euplium Chri-*

Christianum, edicta Principum contemnentem, gladio animadverti jubeo. Qui vela servabant *Velarii* dicti, ut in veteri lapide: TI. CL. THALLUS PRÆPOSITUS VELARIORUM DOMUS AVGUSTIANÆ. Qui cancellos, *Cancellarii.* Vox non admodum antiqua, cujus nullam in Digestis mentionem factam, notant viri docti: in Codicis vero titulo de Assessoribus & alibi, *ministerium cancellariorum* sæpius leges. Id vero cujusmodi fuerit, luculenter describit Agathias. Narrat ille lib. 1. Narsen ducem Justiniani, qui in Italia contra Gothos bellum gerebat, Ravennam aliquando venisse, solis famulis suis comitatum ac satellitibus & iis, inquit, ὅσοι τ' ἀρχῆς αὐτῷ ὑπηρέται ἐπύσχανοι ὄντες. οἷς δὴ καὶ ἀρχεῖα ἐπεφρόντιστο, τ' ἄλλης διακοσμίας ἕνεκα, ὡς εἰπεῖν μὴ χύδην ἅπασι τοῖς βουλομένοις ὡς αὐτὸν εἰσιτῆναι εἴη. τούτους δὲ ἔθος Ῥωμαίοις ἐν τῷ κιγκλίδων ἐπονομάζειν, καὶ τ' ἐν τούτοις ἐπιμελείας. Videmus appellari ὑπηρέτας & ministros τ' ἀρχῆς: præcipuumque fuisse eorum munus, ut ad cancellos hærerent, admissionem curarent, & nequid tumultus, ut fieri amat in turba, audiretur, prospicerent. Simile munus hodie in curia eorum, qui *ostiarii* dicuntur; quod nomen hi acceperunt ab ostio, ut illi à cancellis, quæ pro ostio erant. Hæc prima institutio & antiquissimum cancellariorum munus: Unde jam liquido appa-

apparet, cur Vopiscus rem indignam & fœdam fuisse pronunciet, quod Carinus Imperator præfecturam Urbis, omnibus, quæ intra urbem erant, dignitatibus antecellentem, uni ex Cancellariis suis commendasset: *Præfectum urbi*, inquit ille, *unum ex cancellariis suis fecit: quo fœdius nec cogitare potuit aliquando nec dici.*

Accessit postea aliquid dignitatis huic generi hominum, sed multo post Carini & Vopisci tempora. Nam Cassiodorus in formula Cancellariatus libro 11. sic munus hoc describit, ut appareat ipsius ætate Cancellarium, non, ut olim, ostiarii munus sustinuisse, verum ex parte etiam eorum, qui hodie in aulis principum à secretis nominantur, & à libellis supplicibus: Sic enim ille: *Hoc igitur laudabile præjudicium, sententiam gratiosam, militiam domesticam à* XII. *indictione Cancellorum tibi decus attribuit; ut consistorii nostri secreta fideli integritate custodias: per te præsentandus accedat: per te nostris auribus desiderium supplicis innotescat: jussa nostra sine studio venalitatis expedias; omniaque sic geras, ut nostram possis commendare justitiam.* Adhuc tamen, ut ibi dicitur, *lucidas fores tenebat & claustra patentia.* Sic passim apud scriptores citimæ vetustatis legimus fuisse in obsequiis imperatorum, regum & majorum utriusque imperii magistratuum Cancellarios, quorum ministerio varie utebantur. Nam

Præ-

Præfectum prætorio, cui inter cetera annonæ totius ſumma procuratio incumbebat, habuiſſe in officio Cancellarios, quos per provincias dimittebat, intelligimus ex Caſſiodoro, libro 12. ubi & Campaniæ, Lucaniæ, Brutiorum, Samnii & aliarum provinciarum Cancellarii nominantur. Præfectum quoque urbi Cancellarios cum ſcribis in officio habuiſſe, indicare videtur antiquum Edictum ex autóritate Turcii Aproniani Præf. Urb. propoſitum, quod extat apud Briſſon. libro 3. de Formulis, & Inſcript. pag. 647. *Ratio docuit utilitate ſuadente, conſuetudine micandi ſummota, ſub exagio potius pecora vendere, quam digitis conludentibus tradere: Sed adpenſo pecore, capite, pedibus, & ſevo lactante, & ſubgulari, lanio cedentibus; reliqua caro cum pelle & interaneis proficiat venditori, ſub conſpectu publico fide ponderis comprobata: ut quantum caro occiſi pecoris appendat, & emptor norit & venditor: commodus omnibus & præda damnata, quam Tribunus, officium, Cancellarius, & ſcriba de pecuariis capere conſueverant. Quæ forma interdicti & diſpoſitionis ſub gladii periculo, perpetuo cuſtodienda mandatur.* In imperio Orientis etiam Quæſtori ſuos fuiſſe Cancellarios, apparet ex Novella x. Conſtantini Tom 2. Juris Græco-Romani: pagina 154. περὶ ἀνοίξεως διαθηκῶν, de aperiendis teſtamentis: ἐπειδὴ αἱ διαθῆκαι πᾶσαι τῆς

Κοιαί-

Κοιαίσωρι ἀνοίγωνται, τοῖς ὑπηρέταις ἐν τῇ ἀνοίξει καγκελλαρίοις ἐπίτη τῇ σωμαγωγῇ τῶν μαρτύρων, καὶ τῶν ἐξ ἀληθείας κληρονόμων ἢ καὶ λεγατάριων, καὶ τῶν δι' ἑτέρας αἰτίας ὀφειλόντων παρεῖναι, παρέχεται νόμισμα καὶ τῷ πρωτοκαγκελλαρίῳ, ἕτερον νόμισμα ἐν ᾧ τοῖς δυσὶ νοταρίοις, ἀναπόμισον ἕκαστον νόμισμα. *Quoniam teſtamenta apud Quæſtorem aperiuntur, & in eorum apertione cancellarii ſuas exhibent operas, tam colligendis teſtibus & hæredibus ab inteſtato ſuccedentibus, aut etiam legatariis, quam ceteris, qui ob alias cauſas adeſſe debent, ſolidus unus primo cancellario præſtabitur, & unus item duobus notariis, dimidius ſcilicet ſingulis.* In Conſtitutionibus etiam Caroli Magni Cancellarius ſimpliciter pro ſcriba & actuario uſurpatur: *Ut nullus Cancellarius pro ullo judicato aut ſcripto aliquid amplius accipere valeat, niſi dimidiam libram argenti de majoribus ſcriptis.* Qui vero huic ordini erat præpoſitus, ſummus & primus Cancellarius, in quanta fuerit dignitate, ex Adalhardo Abbate Corbejenſi, Caroli Magni propinquo docet Hincmarus Rhemorum Archiepiſcopus Epiſtola 3. capite 16. *Apocriſiarius, quem noſtrates Capellanum vel Palatii Cuſtodem appellant, omnem clerum Palatii ſub cura & diſpoſitione ſua regebat. Cui ſociabatur ſummus Cancellarius, qui à ſecretis olim appellabatur, erantque illi ſubjecti prudentes & intelligentes ac fideles*

fideles viri, qui præcepta regia absque immoderata cupiditatis venalitate scriberent, & secreta illis fideliter custodirent. Tandem vero sub nostris Imperatoribus, ut & sub Regibus Francorum, eo ascendit Cancellarii dignitas, ut quo munere olim apud Romanos Quæstor sacri palatii, Gail. l. 1. de PP. c. 5. n. 29. Cothm. ad Cod. Rubr. n. 21. 22. vel Logotheta apud Constantinopolitanos, eodem hodie in aulis principum & Regum utatur Cancellarius: qua voce etiam Λογοθέτης interpretatur Nicetas Choniates lib. 7. de rebus gestis Manuelis Comneni; ubi narrat Fridericum I. Imperator. Episcopo Moguntino Cancellario suo cum magnis copiis misso urbes Italicas à Papa avulsas sine ullo motu subegisse: ὁ μὲ οἰκεῖον, ὡς ἡ Λατίνων βάλε) φωνὴ, Καρκελάριον, ὡς δ' Ἕλλησι εἴπωμεν, Λογοθέτην (ὃν ἦν ὅτε ὁ Μαγδούτζης ἐπίσκοπος) πέμψας μετὰ πολεμίου δυνάμεως, &c. Imo illi ipsi tres ad Rhenum Archiepiscopi Electorales pro tribus Imperii Germano-Romani regnis, quæ olim corpori Imperii Occidentalis inserta erant, hoc titulo insigniuntur, ita ut Moguntinus Antistes per Germaniam, Trevirensis per Galliam, Colonienſis per Italiam Cancellarii & Archicancellarii nomen & dignitatem usurpet. Quanquam deficientibus duobus regnis, Galliæ scilicet totius, & parte Italiæ posteriorum duorum Cancellariorum potestas

ſtas quodammodo exſpiravit, adeo ut nihil fere niſi nomina reſtare videantur. Reinking. de Regim. Sec. Lib. 1. Cl. 4. cap. 7. n. 11.

Cap. X.

Varias res annulis obſignatas, ut templa, domus, ſuppellectilem, pecuniam, alia. Conchas ſigillis appoſitam. Claxendix.

JAM vero è diverticulo in viam, à qua aliquantulum aberravimus, revertamur, & alia porro recenſere pergamus, in quibus obſignandis annulos uſurpatos legimus.

De templo obſignato extat illuſtris hiſtoria apud Danielem c. 14. ubi ſacerdotes Beli, Darium decepturi, ut templum annulo regio obſignetur, poſtulant; quod illi poſtea per occultos aditus ingreſſi, quicquid ciborum ſimulachro appoſitum erat, cum uxoribus & liberis abſumſerunt, fraude per Danielem animadverſa, qui in cinere, quo pavimentum clam aſperſerat, veſtigia introeuntium & exeuntium deprehendit.

In Elide quoque obſignatam eſſe illam domum, in qua tres vacui lebetes Dionyſio collocabantur, qui paulo poſt ſigillo, quod integrum manſerat, revulſo, ab ingreſſis vino pleni reperti ſint, tradit Ariſtoteles De Miraculoſis Auditis: verba mihi non poſſum temperare, quin huc aſcri-

ascribam. ἐν Ηλιδι, inquit, λέγεζιν εἶναι τι οἴκημα σταδίους ἀπέχον ὀκτὼ μάλιστα τῆς πόλεως, εἰς ὃ τιθέασι τοῖς Διονυσίοις λέβητας χαλκοῦς τρεῖς κενούς. τοῦτο ὑποίησαντες ἀνδρας καλοῦσι τῶν Ελλήνων τοὺς ἐπιδημοῦντας τὸν βουλόμενον ἐξετάζειν τὰ ἄγαλμα, καὶ τὴν οἴκησιν κατασφραγίζασι τοὺς θύρας· ἐπειδὰν μέλλωσιν ἀνοίγειν, ἐπιδείξαντες τοῖς πολίταις καὶ τοῖς ξένοις τὰς σφραγῖδας, ὕστως ἀνοίγουσιν. οἱ δὲ εἰσελθόντες εὑρίσκουσι τοὺς μὲν λέβητας πλήρεις, τὸδε ἔδαφος καὶ τοὺς τοίχους ὑγιεῖς, ὥστε μηδεμίαν ὑποψίαν λαμβάνειν, ὡς τέχνή τινι κατασκευάζουσιν. hoc est, *in Elide ædificium est, ut ferunt, stadiis distans octo ab urbe, in quo collocantur tres Dionysio lebetes vacui, vocatisque peregrinis, quibus scrutari hæc libeat, januarum claustra sigillis obsignant, quæ deinde reserant. Porro ingressi lebetes vino plenos cernunt, pavimento & parietibus omnibus integris & illæsis, ut artis dolosæ suspicio facile abesse videatur.*

Sic fores Gynæceorum sigillo & pessulo à maritis obfirmari, queritur mulier illa apud Aristophanem ἠσμοφοριαζούσας,

Εἶτα διὰ τοῦτο ταῖς γυναικωνίτισιν
Σφραγῖδας ἐπιβάλλουσιν ἤδη καὶ μοχλούς
Τηροῦσας ἡμᾶς, καθάπερ μηλοπώλιδας
Τρίφουσι μορμολύκεια τοῖς μοιχοῖς κυσίν.

De quo more etiam Menander apud Stobæum, irridens eos, qui tam arcte uxores observent.

Ορᾶς

Οπις ὁ μοχλοῖς ἐπ' ἀμφὶ σφραγισμάτων
Σώζει θάμαρτα, κ' ἀνδρὶ δὴ δοκῶν σοφὸς
Μάταιος ἦν, ἐς φρενᾶν ἀλλ' φρενεῖ.

Ad eundem modum lapidem illum, qui ponebatur super os lacus, in quem Daniel demissus, & bestiis objectus erat *Rex obsignavit annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem.* Daniel. capite 6. vers. 17. Joseph. lib. 10. Antiquit. cap. 12. Quomodo & lapis sepulchri, in quod Salvator noster illatus fuit, à Pharisæis obsignatus legitur. Matth. cap. 26. vers. ult.

Supellectilem atque adeo penum universam ab attentis patribusfamilias annulo obsignatam, ne quid negligentia aut furto periret, testatur Plinius lib. 33. c. 1. *Quæ fuit illa Priscorum vita, qualis innocentia, in qua nihil signabatur? At nunc cibi quoque & annulo vindicantur à rapina.* Plautina materfamilias in Casina:

Obsignate cellas, referte huc annulum ad me.

Et Sigastrio servus in Persa Act. 2. Scen. 2.

Id demum lepidum est, triparcos homines, vetulos, avidos, aridos,
Bene admordere, qui salinum servo obsignant cum sale.

Horat. lib. 2. epist. 2. vers. 133.

——— *Posset qui ignoscere servis,*
Et signo læso non insanire lagenæ.

Ubi vid. Torrentium.

Mar-

Martialis libro 9.

Nunc signat meus annulus lagenam.

Persius Sat. 6.

Et signum in vapida naso tetigisse lagena.

Tertullianus in Apologetico capite 6. matronam quandam olim *ob resignatos cellæ vinariæ loculos*, inedia à suis necatam scribit. Et matrem Ciceronum *lagenas etiam inanes obsignasse, ne dicerentur, inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ*, legimus in Epistola Qu. Fratris ad Tironem lib. 16. Hujus moris meminit & Theophrastus in Characteribus; ubi inter notas hominis ἀπίστου refert, si quis in lecto cubans uxorem interroget, εἰ κέκλεικε τὴν κιβωτὸν, ἢ εἰ σεσήμανται τὸ κωνάριον, ἢ εἰ ὁ μοχλὸς εἰς τὴν θύραν τὴν αὐλείων ἐμβέβληται. id est, *an capsam bene clauserit, aut probe sit arca obsignata, an vestibuli foribus pessulus sit obditus.* Juvenalis de homine sordido loquens, Satyra 14.

Ipse quoque esuriens, nec enim omnia sustinet unquam
Mucida cærulei panis consumere frusta:
Hesternum solitus medio servare minutal
Septembri, nec non differre in tempora cœnæ
Alterius concham, æstivi cum parte lacerti,
Signatam, vel dimidio putrique siluro.

Irrisus ob hanc rem à Parthis suis fuit Venones

nones Phraatis filius, quod diversus à majorum institutis, Græcos haberet comites, & vilem etiam suppellectilem annulo obsignaret. Tacitus libro 2. Annal. *Irridebantur & Græci comites ac vilissima utensilium annulo clausa.*

Solebant autem hujusmodi signa olim tegi & occultari concha, fortean ne vel per imprudentiam violarentur, vel alii in fraudem similia sculperent. Dicta illa concha *Claxendix.* Priscianus libro 5. *Claxendix, Significat conchum, qua signum tegitur.* Plautus Vidularia: *Apposita est claxendix. at ego signi dicam quid sit.*

Sed cur hæc in obsignandis domi rebus diligentia, modo ne modum excedat, adhibenda sit, rationem affert Clemens Alexandrinus libro 3. Pædag. 11. ubi cum dixisset, fœminis datum esse annulum aureum, non ad ornatum, sed ad signandum ea, quæ domi custodienda sunt, propter curam domesticam, quæ illis incumbit; statim subjungit: εἰ γὰρ οἱ πάντες ἦσαν παιδαγωγούμενοι, οὐδὲν ἂν σφραγίδων ἔδει. ἐπίσης ὄντων δικαίων καὶ οἰκετῶν καὶ δεσποτῶν. ἐπεὶ δὲ ἡ ἀπαιδευσία πολλὰ ἐκδίδωσι ποιεῖν εἰς ἀδικίαν, σφραγίδων ἐδεήθημεν. *Si omnes à Pædagogo recte instituti essemus, supervacua essent signacula, omnibus ex æquo bonis, servis, dominisque. Sed quoniam aut nulla aut mala institutio causam magnam præbet injuriæ, opus habuimus sigillis.* Quo pertinet ridi-

culum illud Neronianum de furace ſervo, apud Cicer. libro 2. de Orat. in Jocis, nimirum *ſolum eſſe, cui nihil ſit nec obſignatum nec occluſum, quod idem in bono ſervo dici ſolet.* Quemadmodum enim ſervo bonæ fidei herus omnia committit, nihil annulo obſignat, nihil claudit ſerâ: Ita ſervus furax omnia reſignat & recludit. Id quod teſtatur lepida illa de Lacyde narratiuncula, quæ extat apud Diogenem Laërtium lib. 4. de vita Philoſophorum. Ἐπειδὴ γὰρ τι ἀφέλοιτο ταμεῖον, σφραγισάμενος πάλιν εἴσω τὸ δακτύλιον διὰ τῆς ὀπῆς ἐρρίπτει, ὡς μηδέποτε αὐτῷ ἀφαιρεθείη, καίτοι βασκανθείη τὰ ἀποκείμενα. Μαθόντα δὴ τοῦτο τὰ θεραπόντια ἀπεσφράγιζε, καὶ ὅσα ἐβούλετο, ἐξῄρει. Ἐπὶ τὸ δακτύλιον διὰ τῆς ὀπῆς εἰς τὴν στοὰν. Καὶ τοῦτο ποιοῦντα ἐδεπώποτε ἐφωράθη. hoc eſt, *Cum ex penu promere quicquam voluiſſet, obſignato aditu, rurſus annulum per foramen intro jaculabatur, ut nihil inde ex reconditis rebus tolleretur. Id cum animadvertiſſent famuli, reſignabant, quæ ſignata erant, & quæ voluiſſent, inde tollebant, & deinde annulum in porticum per rimam immittebant: idque cum ſæpe facerent, nunquam deprehendi potuerunt.* Vide Salmaſium ad Solin. pag. 933. B. ad hunc morem reſignandi & obſignandi annulo ea, quæ aſſervare volumus, alludit Theognis non procul ab initio ſuæ Elegiæ:

Κύρνε

Κύρνε σφιζομένῳ μὲ ἐμοὶ σφρηγὶς ἐπικείσθω,
Τοῖς δ' ἔπεσιν λήσῃ δ' ὅπόσε κλεπτομένη.

Quod ingeniosissimus Caspar Barthius sic reddidit:

Annulus in signum hæc scisscenti Cyrne prematur,
Qui lateat nunquam surripiente dolo.

Et Lucianus Epigrammate, quod extat lib. 1. Antholog. Tit. 51.

Ἀῤῥήτων ἐπέων γλώσσῃ σφρηγὶς ἐπικείσθω·
Κρείσσων γὰρ μύθων ἡ κλεινῶν φυλακή.

Arcanis dictis linguam obsignare memento:
Dictorum majus depositum est opibus.

Atque huc pertinet memorabile illud Alexandri Magni factum, qui cum aliquando arcanas quasdam literas à matre Olympiade ad se scriptas Hephæstioni legendas dedisset, annulum digito detractum ori ejus admovit, hac ratione silentium illi imperans, ne quas ipsi monstrarat literas, aliis vulgaret. Plutarch. in Alexandro: Πολλάκις ἢ παῦσαι τὴν Ολυμπιάδα γράφουσης, ἐφύλαττεν ἀπόῤῥητα τὰ γράμματα, πολλῷ ἅπασι Φαιστίωνος, (ὥσπερ εἰώθη) λυθεῖσαν ἐπιστολὴν αὐτῷ συναναγινώσκοντος, οὐκ ἐκώλυε, ἀλλὰ τὸν δακτύλιον ἀφελόμενος τοῦ αὐτοῦ, προσέθηκεν τῷ ἐκείνου στόματι τὴν σφραγῖδα. hoc est, *Ea cum identidem ad ipsum scriberet Olympias, servabat in abdito epistolas, nisi*

semel Hephæstioni (ut assueverat) solutam epistolam secum legenti non vetuit, verum detracto annulo digito, sigillum ori illius admovit. Nec alienum ab hoc loco est votum illud Sirachi saluberrimum, quod extat cap. 22. vers. ult. Τις δώσει μοι ἐπὶ στόμα μου φυλακὴν, καὶ ἐπὶ τῶ χείλεών μου σφραγίδα πανύσοφον, ἵνα μὴ πέσω ἀφνιδίως ἀπ' αὐτῆς, καὶ ἡ γλῶσσά μου μὴ ἀπολέσῃ με. hoc est, *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, & lingua mea ne perdat me.*

Præterieram pæne morem obsignandi pecuniam in sacculo, vel cista conditam, si forte eam vel apud nummularios vel in æde sacra deponere volebant: cujus ritus crebra fit mentio apud Jurisconsultos, ut in l. 1. §. *Si pecunia in sacculo signato deposita sit:* & §. *Si cista signata deposita sit*, De Depositi. Item in l. 29. *Si sacculum vel argentum signatum deposuero.* D. eodem. It. in l. 8. *Et sacculum cum signatorum signis obsignavit.* D. de lege commissoria. Item in l. 39. *Si soluturus pecuniam tibi tuo jussu signatam, eam apud nummularium deposuerim, tui periculi eam fore.* Mela lib. 10. scribit: quod verum est, *cum eo tamen, ut illud spectetur, an per te steterit, quo minus in continenti probetur.* D. De solutionibus. Item in l. 1. §. *Sin autem socius vel socii recusaverint pretium accipere, licentiam ei damus*

offerre

offerre hoc per publicas personas & sigillo impresso in ædem sacram deponere, C. De Communi servo manumisso. Eundem obsignandi morem Plinius quoque tangit lib. 2. cap. 51. ubi de fulminum agit miraculis: *Aurum & æs & argentum liquitur intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis, ac ne confuso quidem signo ceræ.* ubi Ludov. Dorleans in Tacit. lib. 11. legit; *argentum signatum uritur intus, sacculis, &c.* Extat hujus obsignationis insigne exemplum apud Apul. lib. 10. Metamorph. *Sed ne forte aliquis istorum, quos affers; aureorum nequam vel adulter reperiatur, in hoc ipso sacculo conditos eos annulo tuo prænota, donec altero die nummulario præsente comprobentur. Sic inductus, signavit pecuniam: quam exinde, ut iste repræsentatus est judicio, jussi de meis aliqui curriculo tabernâ promptam afferre: & ecce prolatam coram exhibeo, videat, & suum sigillum recognoscat.* Et aliquanto post. *Qui præter judicii religionem cum fidem suam coram lacerari videret, multiplicato studio verberonem illum contendit redarguere, donec jussu magistratuum ministeria publica contrectatis nequissimi servi manibus, annulum ferreum deprehensum cum signo sacculi conferunt: quæ comparatio præcedentem roboravit suspicionem.*

Non etiam silentio prætereundum est, quod Cn. Pompejus, cum in Sicilia bellum gereret, audiretque milites flagitiose

vivere illorum gladiis sigillum impressit, quod qui amovisset, huic pœna infligebatur. Ἀχιλλεὺς ὃ τὰς σφαγὰς ταῖς ὁδοποιίαις ἐπικλεῖν, σφραγῖδα ταῖς μαχαίραις αὐτῶν ἐπέβαλεν, ᾗ ὁ μὴ φυλάξας ἐνοχλάζετο. in vita Pompeii. De Votorum obsignatione videndus nobilissimus D. Janus Rutgersius noster lib. 5. Var. Lect. cap. 5. ubi multis accurate docet, veteres vota concepta tabellis inscripsisse, obsignasse, Deorum genibus plerumque affixisse, & tandem votorum compotes, eas tabellas solvisse, hoc est, laceraſſe, ac Diis reddidisse ea, quæ daturos se promiserant. Colv. in 1. Apolog. Apuleji & ibi quoque Scipio Gentilis.

CAP. XI.

De sculptura annulorum. Δακτυλιογλύφοι. Flaturarius sigillarius. σφυρεῖς. *Deorum imagines in annulis gestatæ.* Pythagoræ *scitum:* ἐν δακτυλίῳ εἰκόνα θεῦ μὴ φορέειν *explicatum. Mos superstitiosorum, qui se juvari putabant gestatione alicujus simulacri.*

AD Signa jam propero, id est, imagines Annulorum sigillaritiorum. Hæ initio quidem insculpebantur cælabanturque in ipso metallo, ex quo annuli facti erant: augente vero luxuriâ, etiam in ipsis gemmis. Diserte id tradit Attejus Capito apud Macrobium lib. 7. cap. 18. *Imprimebatur autem sculptura in ipsa materiâ*

riâ annuli, ſive ex ferro, ſive ex auro foret. Poſtea uſus luxuriantis ætatis ſignaturas precioſis gemmis cœpit inſculpere, & certatim hæc omnis imitatio laceſſivit, ut de augmento precii, quo ſculpendos lapides paraſſent, gloriarentur. Etſi autem Claudii Cæſaris principatu nullas admittebant gemmas in annulis cælatas ſculptaſve, ſed auro ipſo ſignare tum moris erat, teſte Plinio l. 33. cap. 1. non tamen ille mos diu duravit, & paulo poſt tam in gemmis, quam metallo imagines fingi cœlarique jus fuit. Qui vero gemmas auro includebant, vel ſigna gemmis & auro incidebant inſculpebantve, Græcis δακτυλιογλύφοι dicebantur. Hieronymus in Hieremiam c. 24. *artifices incluſoreſque auri atque gemmarum* vocat. Auguſtinus lib. 21. de Civitate Dei cap. 4. *aurifices inſignitoreſque gemmarum.* Vetus Inſcriptio *Flaturarios ſigilliarios.* pag. 638. N. 6.

C. JUNIO THALATIONI
C. MÆCENATIS LIBERTO
FLATURARIO
SIGILLIARIO
C. JUNIUS EVOCATUS FELIX
TIT DD.

Atque hujuſmodi δακτυλιογλύφοι fuiſſe Mneſarcham Pythagoræ patrem, tradit Diogenes Laërtius in ejus vita lib. 8. Lapis autem, quo annularii gemmas abſtergent, dicitur Σμύεις. Dioſcorides lib 5. cap. 123. σμύεις λίθος ἐστιν, ᾗ τὰς ψήφους

φυς οἱ δακτυλιογλύφοι σμήχυσι.

Porro non erant annulorum ſculpturæ, ut hodie, gentilitiæ ac familiares, ſed fiebant pro cujuſque libitu: interdum etiam habebant aliquid ſignificationis occultæ. Quod ut planum fiat, pleraſque, quarum apud priſcos ſcriptores mentio fit, recenſebo, facto initio à Deorum Imaginibus, quas annulo inſculpi olim nefas fuit, & quidem, ut apparet, ex ſcito Numæ: quem Plutarchus ſcribit vetuiſſe, DEO hominis aut beſtiæ alicujus formam tribuere. ὡς ὅπι ὅσιον ἀφομοιῶν τὰ βελτίονα τοῖς χείροσι, ὅπι ἐφάπλεως θεῦ δυνατὸν ἄλλως ἢ νοήσει. hoc eſt, *tanquam fas non ſit auguſtiora exprimere humilioribus, nec fieri queat, ut quis* DEUM *aliter, quam mente aſſequatur.* Atque ex hoc eodem fonte promanavit quoque Pythagoræ ſymbolum: σὺν δακτυλίῳ εἰκόνα θεῦ μὴ φορέειν. Quod Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatωn ita effert, & interpretatur. Δακτύλιον μὴ φορεῖν, μηδὲ εἰκόνας αὐτοῖς ἐγχαράσσειν θεῶν, παραινῶν ὁ Πυθαγόρας. ὥσπερ Μωσῆς φησὶ πάλαι ἀφορήτως ἐνομοθέτησεν, μηδὲν δεῖν γλυπτὸν ἢ γραπτὸν ἄγαλμά τε καὶ ἀπεικόνισμα ποιεῖσθαι. Ὡς μὴ τοῖς αἰσθητοῖς προσανέχωμεν, ἐπὶ δὲ τὰ νοητὰ μετίωμεν. Ἐξυπαλίζει γὰρ τὸν τῦ θεῦ σεμνότητα ἡ σὺν ἐτοίμῳ τῦ ὄψεως συνήθεια, καὶ τῷ νοητῷ ἀπιστίαν δι' ὅλης σεβάζεσθαι, ἀπιμάζειν ἐστὶν αὐτῷ δι' αἰσθήσεως. *Non eſſe geſtandos annulos, neque* DEORUM *imagines eſſe ius inſculpen-*

sculpendas, præcepit Pythagoras: Sicut Moyses multis ante seculis aperte legem sanxit, nullam oportere sculptilem vel pictam vel fictam imaginem simulacrumve facere, ut sensilia minime attenderemus, sed ad ea transiremus, quæ percipiuntur intelligentia. Vt DEI *enim majestas vilis & contempta reddatur, efficit, quæ in promptu est videndi consuetudo: & quæ intelligentia percipitur, essentiam colere per materiam, est eam per sensum vilipendere.* Nec multum hinc abludit interpretatio Jamblichi in Protreptico Symbolo 24. qui postquam primam symboli hujus partem de non gestandis annulis exposuit, mox subjungit: Τὸ δὲ θεῦ τύπον μὴ ἐπίγλυφε δακτυλίῳ, κ᾽ τλω̃ σφραγισαμένου ἔννοιαν σφραγῖδι χρῆται τοιάδε. Φιλοσόφῳ, κ᾽ ἀσωμάτους σφ᾽ πάντας ἡγῦ Θεὸς ὑπάρχειν. Τὸ γὰρ κυριώτατον ῥίζωμα τ῀ Πυθαγορικῶν δογμάτων τοῦτό ἐστιν, ut legit Rittershusius, ἐξ οὗ τὰ πάντα χρὴ εἶναι, κ᾽ ὑφ᾽ οὗ μέχρι τέλους κρατεῖσθαι. Μὴ νόμιζε δὲ μορφαῖς αὐτὸν χρῆσθαι, ὅσαι εἰσὶ σωματικαί. μηδὲ σφρηγῖδι ὑποστάσῃ ὑλικῇ ᾗ οἷον δεσμῷ ὑλικῷ σώματι, ὥσπερ τὰ ἄλλα ζῶα. Αἱ δὲ ἐν δακτυλίοις γλυφαὶ, τοῦτο δεσμὸν δι᾽ αὐτοῦ ᾗ δακτυλίκ ἐμφαίνουσι, κ᾽ τλω̃ σωματοπλαθῆ τόπε αἰσθητὸν εἶδος, κ᾽ ὡσανεί τινος τ῀ ἐπὶ μέρους ζώων ἀφ᾽ τ῀ γλυπτῆς σφρηγῖδος. ἡ χαριστέον μᾶλλον τὸ τ῀ Θεῶν γένος, ὡς ἀϊδιόντε κ᾽ νοητόν, κ᾽ κ᾽ τὰ αὐτὰ, κ᾽ ὡσαύτως ἀεὶ ἔχον, ὡς ἐν τῷ σφρηγῖδι θεῦ ἰδέας κ᾽ σφραγίσματα τεχνολογεῖται. Ab his

his tamen diversus abit Malchus studio & industriâ Cl. Rittershusii nostri primum in lucem editus, qui in libro de vita Pythagoræ hoc Symbolum ita exponit. Θεῶν εἰκόνας ἐν δακτυλίοις μὴ φορεῖν, τυτίσι, τῶν περὶ θεῶν δόξαν & λόγον μὴ προχειρον, μηδὲ φανερὸν ἔχειν, μηδὲ εἰς πολλὰς προφέρειν.

Sed redeo ad Romanos, apud quos, etsi quidem (ut dictum & Attejus Capito diserte affirmat) fas non erat Deorum formas annulis insculpi: Video tamen illos hunc morem migrasse, & cum aliorum, tum Ægyptiorum numinum imagines in annulis gestasse. Unde Plinius perstringens hanc consuetudinem lib. 2. cap. 7. *Aliis nullus est Deorum respectus, aliis pudendus: Externis famulantur sacris, ac digitis* DEOS *gestant.* Et lib. 33. cap. 3. *Iam vero etiam Harpocratem statuasque Ægyptiorum numinum in digitis viri quoque portare incipiunt.* Non ignoro, hæc loca de annulis magicâ arte formatis exponi. Sed nihil impedit, quo minus etiam intelligamus de superstitione illorum, qui simulacrum alicujus numinis, à quo se juvari putarent, quotidie circumferebant. Sic Veneris armatæ effigiem gestabat C. Julius Cæsar. Dio l. 43. Τότε ὅλον τὴν Ἀφροδίτην πᾶς ἀνέκειτο, & πείθειν πάντας ἤθελεν, ὅτι & ἄνθος τι ἀφρὸς ἀπ' αὐτῆς ἔχει. & ἀφ' τοῦ & τὸ γλύμμα αὐτῆς ἐνόπλιον ἐφόρει, ἢ σωίθημα αὐτῶν ἐν τοῖς πολέμοις & μεγίστοις ἐποιεῖτο. *Omnino enim Venerem colebat, à quâ se etiam formæ quandam*

dam venustatem habere persuadere omnibus nitebatur. Ideo sculptam Veneris armatæ imaginem gestabat, eâque tesserâ in rebus summis plerumque utebatur. De Asclepiade Philosopho, qui illis temporibus vivebat, Am. Marcellinus lib. 22. narrat, ipsum *Deæ Cœlestis argenteum breve figmentum, quocunque ibat, secum solitum efferre.* Tale quid fuisse videtur, quod Apulejus habuit sudario linteo involutum: de quo ipse in Apologia. *Nam morem mihi habeo, quoquo eam, simulacrum alicujus* DEI *inter libellos conditum gestare.*

Nec solum DEI alicujus simulacrum: sed & hominis pro DEO habiti vel Herois interdum ferebant: Ut Alexandri Magni imaginem familia Macrianorum. Trebellius Pollio de Quieto uno ex 30. Tyrannis. *Videtur mihi non prætereundum de Macrianorum familiâ, quæ hodieque flôret, id dicere, quod speciale semper habuerunt. Alexandrum Magnum Macedonem viri in auro & argento, mulieres in reticulis & dextrocheriis & in annulis in omni ornamentorum genere exsculptum semper habuerunt; eo usque ut tunicæ & limbi & penulæ matronales in familiâ ejus hodieque sint, quæ Alexandri effigiem de liciis variantibus monstrent. Vidimus proxime Cornelium Macrum in eadem familia virum, cum cœnam in templo Herculis daret, pateram electrinam, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem historiam contineret,*

signis brevibus & minutulis Pontifici propinare: quam quidem circumferri ad omnes tanti illius viri cupidissimos jussit. Quod idcirco posui, quia dicuntur juvari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant, vel argento. Sed de Deorum imaginibus hæc quidem mihi in mentem veniebant: unum addo, nostris temporibus Viglium Zuichemum præstantissimum Jurisconsultum, Pallade signare solitum, teste Mureto in Catilinarias orationes Ciceronis, qui refert, se aliquot Erasmi Roterodami epistolas vidisse, quæ omnes signatæ fuerint Termino, additis duabus vocibus: NULLI CEDO, non sine suspicione arrogantiæ. vid. & Erasmi Adag. Chil. 3. cent. 5. adag. 42.

CAP. XII.

Effigies majorum, amicorum, Regum, Principum annulis insculptas. Principum imagines in annulo gestare non semper licitum, nec tutum fuisse.

SEquitur jam de Imaginibus Humanis, quas annulis insculptas legimus. Solebant autem plerumque effigiem alicujus ex Majoribus in annulis gestare, qui tamen illis, si à majorum virtute degenerabant, detrahebatur. Valerius Max. lib. 3. cap. 3. de Africani filio loquens, id diserte ostendit, *Cn Scipio superioris Africani filius præturæ petitor candidam togam adeo turpi-*

turpitudinis maculis obsolefactam in campum detulit, ut nisi gratia Ciceri, qui patris ejus scriba fuerat, adjutus esset, honorem à populo impetraturus non videretur. Quanquam quid interfuit, utrum repulsam, an sic adeptam prætoriam domum referret? Insuperque è manu ejus annulum, in quo caput Africani sculptum erat, detraxerunt. Sic Pub. Lentulus Sura quoque avi sui imagine in signando utebatur. Cicero 3. Catil. *Tum ostendi tabellas Lentulo & quæsivi, cognosceretne signum. Annuit. Est vero, inquam, signum quidem notum, imago avi tui, clarissimi viri, qui amavit unice patriam & cives suos, quæ quidem te à tanto scelere etiam muta revocare debuit.* Aut ex Amicis. Ovid. lib. 1. Trist. Eleg. 6.

Hæc tibi dissimula, sentis tamen omnia dici,
In digito qui me sersque refersque tuo,
Effigiemque meam fulvo complexus in auro,
Chara relegati, quæ potes, ora vides.

Sic Epicuri imaginem in annulis habuêre familiares ejus: Cic. lib. 5. de Finibus. *Nec tamen Epicuri licet oblivisci, si cupiam: cujus imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis & in anellis habent.* Et Commodum Imp. signo Amazoniæ (ea erat Concubina Martia, quam pictam in Amazone diligebat) literas signare solitum, videre est ex ipsius epistolâ ad Clodium Albinum, quam in hujus vi-

tâ

tâ Julius Capitolinus recitat, ubi inter cetera sic loquitur; *Quin & super hoc ad procuratores meos literas misi, quas ipse signatas excipies signo Amazoniæ.*

Nec amicorum tantum aut Majorum, sed & Regum ac Principum imagines gestabant. Aristomenem Agathoclis imaginem in annulo gestasse tradit Polybius lib. 15. Callicratem Ptolemæi adulatorem Ὀδυσσέως εἰκόνα ἐν τῇ σφραγίδι φερόμενον solitum, auctor Athenæus lib. 6. Dipnosoph. pag. 263. Alexandri Magni effigie Augustum, ipsius vero Augusti principes insecutos signasse narrat Sueton. c. 50. & Dion lib. 51. qui tamen Galbam excipit, & sigillo à majoribus accepto usum scribit. De Constantino Magno legimus, illum Chersonitis inter alia laborum pro Imperio Romano exantlatorum præmia etiam annulos aureos in quibus imago sua erat expressa, donasse, ut quas per occasionem ad se missuri essent, relationes supplicationesque, iis signarent, & ipse earum nuncios inde dignosceret. Verba Constantini Porphyrogeniti in libro de administrando imperio cap. 53. hæc sunt. Καὶ πρὸς τὴν γνησιότητα τῶν ὑμῶν δύνοιας δίδομεν ὑμῖν, ἐξ ἀκολύλους χρυσᾶς σφραγῖδας τὰς ἡμετέρας δύσεβεῖς εἰκόνας, δι' ὧν τὰς καθ' ἡμῶν μελλούσας ἀποστέλλεσθαι ἡμῖν παρ' ὑμῶν ἀναφορὰς τῇ δεήσει σφραγιζόντες ταύτας, γνωρίμους ἡμῖν ἀποδείκνυτε τοὺς ἑαυτῶν πέμπτους. Sic Meletii Episcopi sui imaginem

in

in annuli pala expressam gestasse Antiochenses, tradit Chrysostomus orat. de laudibus Meletii. Nec in auro solum, sed & ferro Imperatorum imagines insculpebantur: Unde Nazianzenus, ut ostenderet, Sacramentorum dignitatem non ab hominibus aut ministris eorum dependere, elegantem sumpsit similitudinem in Oratione, Εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα p. 242. ἔστω χρυσὸς, ἔστω σίδηρος, διαφύλιοι δὲ ἀμφότεροι, καὶ τῷ αὐτῷ ἐγκεχαράχθωσαν εἰκόνα βασιλικὴν, εἶτα κηρὸν ἐντυπώσωσιν, τὸ διοῖσει σφραγὶς αὕτη τῆς σφραγῖδος ἐκείνης; οὐδέν. ἐπίγνωθι τῷ ὕλῃ ἐν τῷ κηρῷ, κἂν ἧς σοφώτατος. Εἰ πέ μοι τὸν σίδηρον, τὸ δὲ τοῦ χρυσοῦ τὸ ἐκτύπωμα, καὶ πῶς ἓν ἐστι; Τῆς μὲν ὕλης τὸ διάφορον, οὐ τοῦ χαρακτῆρος. οὕτω ἔστω σοι πᾶς βαπτιστὴς, κἂν τῇ πολιτείᾳ προέχῃ, ἀλλ' ἥγε τοῦ βαπτίσματος δυνάμεις ἴση καὶ τελειοποιός ἐστι πᾶς ὁμοίως ὁ τῇ αὐτῇ πίστει μεμορφωμένος. *Sint annuli duo, aureus hic, ferreus alius: uterque eadem regia imagine sculptus. Cerae ambo imprimantur, quid inter signum hoc & illud intererit? nihil. Discerne materiam in cera, etiamsi sapientissimus existas. Dic quodnam ferri, quodnam auri sit signaculum. Sed quo pacto unum est? Quia inter materiam, non characterem est diversitas. Ita & tibi sit omnis baptisator, qui tametsi conditione excellat, aequalis tamen baptismatis vis est, ac unusquisque aequalis tibi sit expurgator, qui fide eadem formatus.*

Sed

Sed de Cæsarum imaginibus notandum Claudii principatu fas non fuisse, imaginem Principis in annulo aureo gestare, nisi quibus admissionum liberti jus illud dedissent. Ita enim intelligendus est locus Plinii lib. 33. cap. 3. *Fuit & alia Claudii principatu differentia in his solis, quibus admissionum liberti jus dedissent imaginem Principis in annulo ex auro gerendi, magna criminum occasione: quæ omnia salutaris exortus Vespasiani Principis abolevit, æqualiter publicando Principem.* Magna autem cautio adhibenda erat iis, qui Principis imaginem gestabant, nè delatoribus calumniandi occasio præberetur. Nam sub Tiberio capitale erat, teste Sueton. c. 43. *circa Augusti simulachrum servum cecidisse, vestem mutasse, nummo vel annulo effigiem impressam latrinæ aut lupanari intulisse.* Imo matulam sumere ea manu, quæ annulum principis imagine signatum habebat, crimini dabatur: Cujus rei memorabile exemplum extat apud Senecam lib. 3. de Benefic. cap. 26. *Cœnabat Paulus Prætorius in convivio quodam, imaginem Tiberii Cæsaris habens ectypa, & eminente gemma. Rem ineptissimam fecero, si nunc verba quæsiero, quemadmodum dicam illum matulam sumpsisse. Quod factum simul & Maro ex notis illius temporis vestigatoribus notavit. At servus ejus, cui nectebantur insidiæ, ei ebrio annulum extraxit. Et cum Maro convivas testaretur, admotam esse*

ima-

imaginem obscenis, & jam subscriptionem componeret, ostendit in manu sua servus annulum. Cui non multum absimile, quod Philostratus narrat in vita Apollonii, *quendam impietatis damnatum, quod servum suum verberasset, qui drachmam argenteam Tiberii imagine signatam gestabat.*

Quid? quod etiam sua ipsorum imagine insignitos gestabant annulos. Ecce in Pseudolo, scena 1.

Ea causa miles hic reliquit symbolum
Expressam in cera ex annulo suam imaginem.

Idem fecit Augustus Cæsar: Nam is initio quidem in diplomatibus libellisque & epistolis signandis Sphinge, mox imagine Alexandri Magni, novissime vero Dioscoridis manu sculpta utebatur, teste Suetonio. Neque enim semper idem signum usurpabant, sed mutabant pro libitu, aut si casu amisissent; quod planum ex Trinummo, Scena: *Vt mihi rem:*

Nonne arbitraris eum adolescentem annuli
Paterni signum noviſſe? Me. *Etiam tu taces?*
Sexcentæ ad eam causæ possunt colligi:
Eum quem habuit perdidit, fecit novum.

CAP. XIII.

Varia animalia, historias item & fabulas, res inanimatas, literas, Hieroglyphica & alia annulis insculpi solita. Symmachus explicatus. De annulis Christianorum.

SED Sphinx Augusti me monet, ut jam etiam aliquid agam de imaginibus Brutorum animalium, quæ in annulorum sculptura usurpari solebant. *Sphinge* Augustum inter initia signasse diximus: *duas enim* (ut Plinius ait lib. 37. cap. 1.) *in matris annulis jam indiscretæ similitudinis invenerat. Altera per bella civilia, absente eo, amici signavere epistolas & edicta, quæ ratio temporum nomine ejus reddi postulabat, non infaceto lepore accipientium: Ænigmata afferre eam Sphingem. Sed Augustus postea ad evitanda convicia Sphingis, Alexandri Magni imagine signavit.* Imaginem Sphingis nummo insculptam in honorem Augusti, qui ea signare solitus, affert Sebastianus Erizzo libro 2. de Numismatis Antiquis pagina 10. Mœcenas *Ranam* usurpabat; idem Plinius: *Quin etiam Mœcenatis Rana per collationem pecuniarum in magno terrore erat.* Pompejus Magnus in gemma habebat *Leonem* Μαχαιροφόρον teste Plutarcho in ipsius vita. Galba Imp. imagine *Canis* ex navis prorâ prospectantis, signo, quod à majoribus suis acceperat, utebatur. Dio lib. 51. ἔτω δὲ καὶ ἐπὶ τινι σφραγίσ-

ματι

μαλὶ Κυία ἐν τοῖς τῆς νεὼς τοῖχοις ἔχνλι ἐνόμιζεν. Apud Ægyptios *Scarabæum* viris bellicosis annuli sculpturam fuisse, tradit Plutarchus libro de Iside: τοῖς δὲ μαχίμοις Κάνθαρον ὡ γλυφὴ σφραγιδον· Et addit causam: ὁ γὰρ ἐστὶ κάνθαρος θῆλυς, ἀλλὰ πάντες ἄρσενες, *hoc enim insectum sexu fœmineo caret, omnes sunt masculi.* Eadem Ælianus lib. 10. de Animal. lib. cap. 15 Αἰγύπτιοι δὲ οἱ μάχιμοι ἐπὶ τῶ δακτυλίων εἶχον ἐγγεγλυμμένον κάνθαρον, αἰνιττομένου τὸν νομοθέτου, δεῖν ἄρρενας εἶναι πάντας πάντη τοὺς μαχιμένους ὑπὲρ τῆς χώρας, ἐπεὶ κὴ ὁ κάνθαρος θηλείας φύσεως οὐ μετείληχεν. *Ægyptiorum bellatores Scarabæum in annulis insculptum habere solebant; ex eo adumbrante Legislatore solos omnino mares pro patria bellum gerere oportere, quod Scarabæus fœminineo genere careat.* Areus Lacedæmoniorum Rex cum ad Oniam Pont. Max. scriberet, *Aquilæ* sigillo usus est, draconem unguibus tenentis, ἡ σφραγὶς ἦν ἀετὸς δράκοντος ἐπειλημμένος. Joseph. libro 12. capite 5. Porro etiam *historia* aliqua vel fabula annulis insculpebatur. Talis ille Darii Persarum Regis, qui in sigillo sculptum habuit equum, δι' ὃν χρεμετίσαντος ἐβασίλευσεν *per quem hinnitum edentem rex factus fuit*, ut notat Thucydidis Scholiastes. Historiam vide apud Justinum lib. 1. postremo. Talis erat ille, quem auspicanti Neroni obtulit Sporus, de quo Sue-

Suetonius capite 46. *Sporus annulum muneri obtulit: cujus gemmæ sculptura erat, Proserpinæ raptus.* Talis ille Amphitruonis apud Plautum, cujus sphragisma, Sol exoriens quadrigis vectus:

— So. *Vbi patera nunc est?* ME. *in cistula,*
Amphitruonis obsignata signo. So. *signi dic quid est?*
ME. *Cum quadrigis Sol exoriens: quid me captas carnifex?*

Non dissimile huic publicum sigillum Locrorum Hesperiorum, qui & Ozoli dicti, cui Hesperum stellam fuisse insculptum Strabo scribit lib. 9. Ἔχουσί τε ἐπὶ τῇ δημοσίᾳ σφραγῖδι τὸν Ἕσπερον ἀστέρα ἐστεφανωμένον. Talis quoque ille Regum Persarum, quorum sigillo insculptam fuisse imaginem Rhodogunes disjectis capillis præditæ, autor Polyænus libro 8. Verba ejus hæc sunt: Ῥοδογύνη λουομένη τὰς τρίχας ἐρρύπλεν. ἥκεν ἄγγελος ἔθνος ὑπήκοον ἀφίστασθαι, ἡ δὲ οὐκ ἀπεκρύψατο τὰς τρίχας, ἀλλὰ ὡς εἶχεν ἀναδησαμένη, τόν τε ἵππον ἀνίβη, καὶ τῷ στρατῷ ἐξήλασε καὶ ὤμοσε μὴ πρότερον ἀποκρύψασθαι τὰς τρίχας, εἰ μὴ κρατήσοιεν τῶν ἀποστάντων, ἃ δὴ πολλῷ χρόνῳ πολεμήσασα, ἐκράτησε. Μετὰ τὴν νίκην ἐλούσατο, καὶ τὰς τρίχας ἀπεκρύψατο. Τοῖς Περσῶν βασιλεῦσι σφραγὶς βασιλικὴ εἰκὼν ἐστὶ ἀναλελυμένου τὰς τρίχας ἔχουσα Ῥοδογύνης. *Rhodogune lavans crines abstergebat. Venit quidam nuncians*

cians subditam gentem defeciſſe. Illa non abterſis capillis, ſed ita ut erant, revinctis, equum conſcendit, & exercitum eduxit, juravitque non ante ſe crines purgaturam, quam à defectoribus victoriam reportaſſet, longoque tempore bellum ducens, tandem victoria potita eſt. Poſt victoriam lavabat, & crines colligebat: unde Perſarum Regum ſigillum etiamnum imaginem impreſſam habet Rhodogunem disjectis capillis præditam. Talis erat Clearchi, Græcorum, qui Cyro militaverant, ducis, in quo Caryatides ſaltantes inſculptæ erant. Plutarchus in Artaxerxe: ἐπεὶ δὲ Κλέαρχον καὶ τοὺς ἄλλους στρατηγοὺς Τισσαφέρνης ἐξηπάτησεν καὶ παρεσπόνδησεν ὅρκων γενομένων, καὶ συλλαβὼν ἀπέπεμψεν ἐν πέδαις δεδεμένους, δεηθῆναι φησὶ αὐτὸν τὸν Κλέαρχον ὁ Κτησίας, ὅπως κτενὸς εὐπορήσῃ. τυχόντα δὲ καὶ τιμελήσασθαι τῆς κεφαλῆς, ἠθῆσαι τῇ χειρὶ καὶ τὸ δακτύλιον αὐτῷ δοῦναι, σύμβολον φιλίας πρὸς τοὺς ἐν Λακεδαίμονι συγγενεῖς καὶ οἰκείους. Εἶναι δὲ γλυφὴν ἐν τῇ σφραγῖδι Καρυατίδας ὀρχουμένας. Quem locum male à Lapo verſum ita interpretatur Xylander: *Poſtquam Clearchum alioſque duces interpoſito jurejurando circumvenit Tiſſaphernes, comprehenſoſque & vinculis adſtrictos ad regem miſit: rogatum refert ſe à Clearcho Cteſias, ut pectinis copiam ſibi faceret. Quo accepto, curaſſe eum caput, oblectatumque pectinis uſu, & annulum ſuum amicitiæ mutuæ ad*

ne-

— *Illa Seleucum*
Nuncupat ingenuum cujus fuit anchora signum,
Qualis inusta solet, generis nota certa, per omnem
Nam sobolis seriem nativa cucurrit imago.

Ubi Scaliger: INGENUUM SIGNUM recte interpretemur σημεῖον σύμφυτον. Reperio etiam literas Hieroglyphicas annulis fuisse insculptas: id quod planum ex Heliodoro libro 8. pag. 392. apud quem memoratur Caricleæ annulus lapidem, qui Pantarde vocatur, in pala insertum habens, & literis quibusdam sacris pictus: Δακτύλιος-λίθῳ τῇ καλουμένῃ παντάρβῃ τῷ σφενδόνῃ ἐμπέπτωκε, γράμμασι δέ τισιν ἱεροῖς ποικίλον ἀνάγραπτος. Ut rem in pauca conferam, quod cuique in mentem veniebat, hoc vel illo Aposphragismate utebatur: plerumque tamen, ut CL. & doctissimus Meursius notavit, eas annulis signaturas insculpebant, quæ sibi convenirent, vel ob eventum quempiam, vel artem, quam factitarent, vel munus, quod gererent. *Ob Eventum*, ut colligere est ex isto, qui in munitione oppidi cujusdam inventus, Victoriæ effigiem, & tropæum habuit, quem à victore quopiam in rei præclare gestæ memoriam ita insignitum verisimile est. Sueton. in Galba c. 10. *Per idem forte tempus in munitione oppidi, quod sedem bello delegerat, repertus*

pertus est annulus opere antiquo, scalptura gemmæ Victoriam cum tropæo exprimente. Eadem de causa in annulo Pompeji tria tropæa fuere insculpta; quo signo etiam Syllam usum, tradit Dio: libro 42. ubi cum dixisset, Romanos Pompeji mortem non prius credidisse, quam annulum ejus viderent, subjungit: ἐνεγέγλυπτο δὲ ἐν αὐτῷ (δακτυλίῳ) τρόπαια τρία, ὥσπερ ἐν τῷ Σύλλα. Tropæum quoque fuit insculptum annulo, quem Thymoleon in sortitione primus eduxit, teste Plutarcho in ejus vita, cujus verba capite 32. adduco. *Ob artem munusve.* Sic apud Plautum Curculione Sc. *Beatus*, miles Terapontigonus annulo insculptum habet militem clypeatum, qui elephantum machæra dissecaret:

CU. *multam me tibi*
Salutem jussit Terapontigonus dicere
Et has tabellas dare me jussit. LY. *Mihin'?*
CU. *ita,*
Cape signum, nosce, nostin'? LY. *Quidni noverim:*
Clypeatus elephantum ubi machæra dissicit.

Interdum etiam iis signaturis utebantur, quæ nomen ejus, qui signasset, aliquo modo exprimerent. Id colligere est ex hoc loco Symmachi lib. 2. Epist. 12. *Non minore sane cura cupio cognoscere, an omnes obsignatas epistolas meas sumpseris eo annulo, quo nomen meum magis intelligi,*

tâ Julius Capitolinus recitat, ubi inter cetera sic loquitur; *Quin & super hoc ad procuratores meos literas misi, quas ipse signatas excipies signo Amazoniæ.*

Nec amicorum tantum aut Majorum, sed & Regum ac Principum imagines gestabant. Aristomenem Agathoclis imaginem in annulo gestasse tradit Polybius lib. 15. Callicratem Ptolemæi adulatorem Ὀδυσσέως εἰκόνα ἐν τῇ σφραγίδι φέρειν solitum, auctor Athenæus lib. 6. Dipnosoph. pag. 263. Alexandri Magni effigie Augustum, ipsius vero Augusti principes insecutos signasse narrat Sueton. c. 50. & Dion lib. 51. qui tamen Galbam excipit, & sigillo à majoribus accepto usum scribit. De Constantino Magno legimus, illum Chersonitis inter alia laborum pro Imperio Romano exantlatorum præmia etiam annulos aureos in quibus imago sua erat expressa, donasse, ut quas per occasionem ad se missuri essent, relationes supplicationesque, iis signarent, & ipse earum nuncios inde dignosceret. Verba Constantini Porphyrogeniti in libro de administrando imperio cap. 53. hæc sunt. Καὶ ὡς τὴν γνησιότητα τῶν ὑμῶν δύνοιας δόδομεν ὑμῖν, ἐδακτυλίους χρυσοὺς σφραγῖδας τὰς ἡμετέρας θείας εἰκόνας, δι' ὧν τὰς καθ' καιρὸν μελλούσας ἀποστέλλειν ἡμῖν παρ' ὑμῶν ἀναφορὰς καὶ δεήσεις σφραγίζοντες ταύτας, γνωρίμους ἡμῖν ἀποδείκνυτε τοὺς ἑαυτῶν πρέσβεις. Sic Meletii Episcopi sui imaginem

in

in annuli pala expressam gestasse Antiochenses, tradit Chrysostomus orat. de laudibus Meletii. Nec in auro solum, sed & ferro Imperatorum imagines insculpebantur: Unde Nazianzenus, ut ostenderet, Sacramentorum dignitatem non ab hominibus aut ministris eorum dependere, elegantem sumpsit similitudinem in Oratione, Εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα p. 242. ἔστω χρυσὸς, ἔστω σίδηρος, δακτύλιοι δὲ ἀμφότεροι, καὶ τῷ αὐτῷ ἐγκεχαράχθωσαν εἰκόνα βασιλικὴν, εἶτα κηρὸν ἐκτυπώσωσιν, τὸ διοίσει σφραγὶς αὕτη τῆς σφραγῖδος ἐκείνης; οὐδέν. ἐπίγνωθι τὴν ὕλην ἐν τῷ κηρῷ, καὶ ἣν σοφώτατος. Εἰπέ μοι τοῦ σιδήρου, τὸ δὲ τοῦ χρυσοῦ τὸ ἐκτύπωμα, καὶ πῶς ἕν ἐστι; Τῆς μὲν ὕλης τὸ διάφορον, οὐ τοῦ χαρακτῆρος. οὕτω ἔστω σοι πᾶς βαπτιστὴς, κἂν τῇ πολιτείᾳ προέχῃ, ἀλλ' ἥγε τοῦ βαπτίσματος δωρεὰν ἴσην καὶ τελειοποιός σοι πᾶς ὁμοίως ὁ τῇ αὐτῇ πίστει μεμορφωμένος. *Sint annuli duo, aureus hic, ferreus alius: uterque eadem regia imagine sculptus. Cerae ambo imprimantur, quid inter signum hoc & illud intererit? nihil. Discerne materiam in cera, etiamsi sapientissimus existas. Dic quodnam ferri, quodnam auri sit signaculum. Sed quo pacto unum est? Quia inter materiam, non characterem est diversitas. Ita & tibi sit omnis baptisator, qui tametsi conditione excellat, aequalis tamen baptismatis vis est, ac unusquisque aequalis tibi sit expurgator, qui fide eadem formatus.*

Sed

Sed de Cæsarum imaginibus notandum, Claudii principatu fas non fuisse, imaginem Principis in annulo aureo gestare, nisi quibus admissionum liberti jus illud dedissent. Ita enim intelligendus est locus Plinii lib. 33. cap. 3. *Fuit & alia Claudii principatu differentia in his solis, quibus admissionum liberti jus dedissent imaginem Principis in annulo ex auro gerendi, magna criminum occasione: quæ omnia salutaris exortus Vespasiani Principis abolevit, æqualiter publicando Principem.* Magna autem cautio adhibenda erat iis, qui Principis imaginem gestabant, ne delatoribus calumniandi occasio præberetur. Nam sub Tiberio capitale erat, teste Sueton. c. 43. *circa Augusti simulachrum servum cecidisse, vestem mutasse, nummo vel annulo effigiem impressam latrinæ aut lupanari intulisse.* Imo matulam sumere ea manu, quæ annulum principis imagine signatum habebat, crimini dabatur: Cujus rei memorabile exemplum extat apud Senecam lib. 3. de Benefic. cap. 26. *Cænabat Paulus Prætorius in convivio quodam, imaginem Tiberii Cæsaris habens ectypa, & eminente gemma. Rem ineptissimam fecero, si nunc verba quæsiero, quemadmodum dicam illum matulam sumpsisse. Quod factum simul & Maro ex notis illius temporis vestigatoribus notavit. At servus ejus, cui nectebantur insidiæ, ei ebrio annulum extraxit. Et cum Maro convivas testaretur, admotam esse.*

ima-

imaginem obscenis, & jam subscriptionem componeret, ostendit in manu sua servus annulum. Cui non multum absimile, quod Philostratus narrat in vita Apollonii, *quendam impietatis damnatum, quod servum suum verberasset, qui drachmam argenteam Tiberii imagine signatam gestabat.*

Quid? quod etiam sua ipsorum imagine insignitos gestabant annulos. Ecce in Pseudolo, scena 1.

Ea causa miles hic reliquit symbolum
Expressam in cera ex annulo suam imaginem.

Idem fecit Augustus Cæsar: Nam is initio quidem in diplomatibus libellisque & epistolis signandis Sphinge, mox imagine Alexandri Magni, novissime vero Dioscoridis manu sculpta utebatur, teste Suetonio. Neque enim semper idem signum usurpabant, sed mutabant pro libitu, aut si casu amisissent; quod planum ex Trinummo, Scena: *Ut mihi rem:*

Nonne arbitraris eum adolescentem annuli
Paterni signum noviſſe? Me. *Etiam tu taces?*
Sexcentæ ad eam causæ possunt colligi:
Eum quem habuit perdidit, fecit novum.

CAP. XIII.

Varia animalia, historias item & fabulas, res inanimatas, literas, Hieroglyphica & alia annulis insculpi solita. Symmachus explicatus. De annulis Christianorum.

SED Sphinx Augusti me monet, ut jam etiam aliquid agam de imaginibus Brutorum animalium, quæ in annulorum sculptura usurpari solebant. *Sphinge* Augustum inter initia signasse diximus: *duas enim* (ut Plinius ait lib. 37. cap. 1.) *in matris annulis jam indiscretæ similitudinis invenerat. Altera per bella civilia, absente eo, amici signavere epistolas & edicta, quæ ratio temporum nomine ejus reddi postulabat, non infaceto lepore accipientium: Ænigmata afferre eam Sphingem. Sed Augustus postea ad evitanda convicia Sphingis, Alexandri Magni imagine signavit.* Imaginem Sphingis nummo insculptam in honorem Augusti, qui ea signare solitus, affert Sebastianus Erizzo libro 2. de Numismatis Antiquis pagina 10. Mœcenas *Ranam* usurpabat; idem Plinius: *Quin etiam Mœcenatis Rana per collationem pecuniarum in magno terrore erat.* Pompejus Magnus in gemma habebat *Leonem* Μαχαιροφόρον teste Plutarcho in ipsius vita. Galba Imp. imagine *Canis* ex navis prorâ prospectantis, signo, quod à majoribus suis acceperat, utebatur. Dio lib. 51. ὅτε γὰρ πρεσβευτικῷ τινι σφραγισ-

μᾷ

μαλλ Κυνὸς ἐπ᾽ ἀσφάλειαν τοῦ ἀσφραγῖδος ἔχειν ἐνόμιζεν. Apud Ægyptios *Scarabæum* viris bellicosis annuli sculpturam fuisse, tradit Plutarchus libro de Iside: τοῖς δὲ μαχίμοις Κάνθαρον ἐν γλυφῇ σφραγῖδος Et addit causam: ὁ γὰρ ἐστὶ κάνθαρος θῆλυς, ἀλλὰ πάντες ἄρρενες, *hoc enim insectum sexu fœmineo caret, omnes sunt masculi.* Eadem Ælianus lib. 10. de Anim. lib. cap. 15 Αἰγυπτίων δὲ οἱ μάχιμοι ἐπὶ τῶν δακτυλίων εἶχον ἐγγεγλυμμένον κάνθαρον, αἰνιττομένου τοῦ νομοθέτου, δεῖν ὑπὲρ πάσης πάντας τοὺς μαχίμους τῆς χώρας, ἐπεὶ καὶ ὁ κάνθαρος θηλείας φύσεως ὢν μετέλαχεν. *Ægyptiorum bellatores Scarabæum in annulis insculptum habere solebant; ex eo adumbrante Legislatore solos omnino mares pro patria bellum gerere oportere, quod Scarabæus fœminineo genere careat.* Areus Lacedæmoniorum Rex cum ad Oniam Pont. Max. scriberet, *Aquilæ* sigillo usus est, draconem unguibus tenentis, ἡ σφραγὶς ἦν ἀετὸς δράκοντα ἐπειλημμένος. Joseph. libro 12. capite 5. Porro etiam *historia* aliqua vel fabula annulis insculpebatur. Talis ille Darii Persarum Regis, qui in sigillo sculptum habuit equum, δι᾽ ὃν χρεμετίσαντα ἐβασίλευσεν *per quem hinnitum edentem rex factus fuit*, ut notat Thucydidis Scholiastes. Historiam vide apud Justinum lib. 1. postremo. Talis erat ille, quem auspicanti Neroni obtulit Sporus, de quo Sue-

Suetonius capite 46. *Sporus annulum muneri obtulit: cujus gemmæ sculptura erat, Proserpinæ raptus.* Talis ille Amphitruonis apud Plautum, cujus sphragisma, Sol exoriens quadrigis vectus:

— So. *Vbi patera nunc est?* ME. *in cistula,*
Amphitruonis obsignata signo. So. *signi dic quid est?*
ME. *Cum quadrigis Sol exoriens: quid me captas carnifex?*

Non dissimile huic publicum sigillum Locrorum Hesperiorum, qui & Ozoli dicti, cui Hesperum stellam fuisse insculptum Strabo scribit lib. 9. Ἔχουσί τε ἐπὶ τῇ δημοσίᾳ σφραγῖδι τὸν Ἑσπερον ἀστέρα ἐσκεχαραγμένον. Talis quoque ille Regum Persarum, quorum sigillo insculptam fuisse imaginem Rhodogunes disjectis capillis præditæ, autor Polyænus libro 8. Verba ejus hæc sunt: Ῥοδογύνη λουομένη τὰς τρίχας ἐρρύπλεν. ἥκοντος ἀγγέλων ἔθνος ἐπὶ νίκῃ ἀφίκηται, ἡ δὲ οὐκ ἀπεκρύψατο τὰς τρίχας, ἀλλ' ὡς εἶχεν ἀναδησαμένη, τόν τε ἄγγελον ἀνέδην, καὶ τῷ στρατῷ ἐξήγγελε καὶ ἄμεινον μὴ πρότερον ἀπεκρύψατο τὰς τρίχας, εἰ μὴ κρατήσοιεν τῶν ἀποστάντων, ἐς δὴ πολλῷ χρόνῳ πολεμήσαντας, ἐκράτησε. Μετὰ τὴν νίκην ἐλούσατο, καὶ τὰς τρίχας ἀπεκρύψατο. Τοῖς Περσῶν βασιλεῦσι σφραγὶς βασιλικὴ εἰκών ἐστι ἀναλελυμένης τὰς τρίχας ἐχούσης Ῥοδογύνης. *Rhodogune lavans crines abstergebat. Venit quidam nuncians*

cians subditam gentem defeciſſe. Illa non abterſis capillis, ſed ita ut erant, revinctis, equum conſcendit, & exercitum eduxit, juravitque non ante ſe crines purgaturam, quam à defectoribus victoriam reportaſſet, longoque tempore bellum ducens, tandem victoria potita eſt. Poſt victoriam lavabat, & crines colligebat: unde Perſarum Regum ſigillum etiamnum imaginem impreſſam habet Rhodogunem disjectis capillis præditam. Talis erat Clearchi, Græcorum, qui Cyro militaverant, ducis, in quo Caryatides ſaltantes inſculptæ erant. Plutarchus in Artaxerxe: ἐπεὶ δὲ Κλέαρχον καὶ τοὺς ἄλλους στρατηγοὺς Τισσαφέρνης ἐξηπάτησεν καὶ παρεσπόνδησεν ὅρκων γενομένων, καὶ συλλαβὼν ἀπέπεμψεν ἐπὶ βάσανος δεδεμένους, δεηθῆναι φησὶ αὐτὸν τὸν Κλέαρχον ὁ Κτησίας, ὅπως κλινὸς ὑπορήσῃ. τυχόντα δὲ καὶ μεληάσαντα τὴν κεφαλὴν, ἡδῆναι τε τῇ χρείᾳ καὶ τὸ δακτύλιον αὐτῷ δοῦναι, σύμβολον φιλίας πρὸς τοὺς ἐν Λακεδαίμονι συγγενεῖς καὶ οἰκείους. Εἶναι δὲ γλυφὴν ἐν τῇ σφραγῖδι Καρυατίδας ὀρχουμένας. Quem locum male à Lapo verſum ita interpretatur Xylander: *Poſtquam Clearchum alioſque duces interpoſito jurejurando circumvenit Tiſſaphernes, comprehenſoſque & vinculis adſtrictos ad regem miſit: rogatum refert ſe à Clearcho Cthefias, ut pectinis copiam ſibi faceret. Quo accepto, curaſſe eum caput, oblectatumque pectinis uſu, & annulum ſuum amicitiæ mutuæ ad ne-*

necessarios & familiares Lacedæmone suos insigne sibi dedisse. Insculptas in pala fuisse Caryatidas saltantes. Erant autem Caryatides Virgines Lacenæ, annuas choreas Dianæ Caryatidi agitantes, ut legimus apud Pausaniam in Messeniacis & Laconicis. Talis L. Syllæ Dictatoris, qui *traditione Iugurthæ* signavit, ut præter Plin. libro 37. capite 1. memoriæ prodidit Plutarchus in Mario pag. 411. *Αὐτός τε Σύλλας σφραγῖδα ποιησάμενος, ἐφόρει γλυφὴν ἔχουσαν ἰσχειζόμενον ὑπὸ Βόκχου τὸν Ἰουγύρθαν ἑαυτῷ. Atque ipse Sylla sigillum habuit; in quo Bocchus erat Iugurtham ei tradens insculptus, quo sigillo usus est perpetuo.* Et Val. Max. lib. 8. cap. 14. *L. Sylla Iugurthæ à Bocchо Rege ad Marium perducti totam sibi laudem tam cupide asseruit, ut annulo, quo signatorio utebatur, insculptam illam traditionem haberet.* Et Intercatiensis illius, de quo Plin. lib. 37. cap. 1. *Est apud autores & Intercatiensem illum, cujus patrem Scipio Æmilianus ex provocatione interfecerat, pugnæ ejus effigie signasse: vulgato Stilonis Præconini sale, quidnam fuisse facturum eum, si Scipio à patre ejus interemptus esset.*

Sed & rebus inanimatis interdum signabant. Plinius *quadriga* se usum scribit Epist. 16. lib. 10. *Signata est annulo meo, cujus est ἀποφόρισμα Quadriga.* Celebratissimo illi Polycratis annulo *Lyram*

ram Muſicam fuiſſe inſculptam, tradit Clemens Alex. libro 3. Pædagog. qui etiam eodem loco *Ancoram nauticam* tribuit Seleuco: quod & Appianus Alexandrinus teſtatur libro de bellis Syriacis: Καὶ ὅναρ αὐτῇ μηνύσαι ἰδεῖν, ὃν δώσει δακτύλιον, δῶναι φόρημα Σελεύκῳ, ἔτι δὲ βασιλεύοντι ἔνθα ἂν ὁ δακτύλιος σημήνοι. ἐς ἣν μὲν δοῦναι αἰχμὴν ἐν σιδήρῳ κεχαραγμένην, ὁ δὲ τὸν σφραγῖδα τὸν δὲ ἀπώλεσε κτλ. ἔτι Εὐφράτου. Narrat *Seleuci matrem in ſomnis admonitam, ut quem primum annulum inveniret, geſtandum filio Seleuco traderet: Et invenit illa ferreum cum inſculpta Ancora; amiſſus eſt autem circa Euphratem.* Eadem fere Juſtinus libro 15. extremo: *Seleuci mater Laudice cum nupta eſſet Antiocho, claro inter Philippi duces viro, viſa eſt ſibi per quietem ex concubitu Apollinis concepiſſe, gravidamque factam, munus concubitus à DEO annulum accepiſſe, in cujus gemma anchora ſculpta eſſet, juſſa donum filio, quem peperiſſet, dare. Admirabilem fecit hunc viſum & annulus, qui poſtera die ejuſdem ſculpturæ in lecto repertus eſt. Figura etiam ancoræ in nato deinceps puero, cui Seleuco nomen, comparuit. Quamobrem Laudice annulum Seleuco eunti cum Alexandro ad Perſicam militiam edocto de origine ſua dedit.* Auſon. in Urbibus de Antiochia:

Illa

— *Illa Seleucum*
Nuncupat ingenuum cujus fuit anchora signum,
Qualis inusta solet, generis nota certa, per omnem
Nam sobolis seriem nativa cucurrit imago.

Ubi Scaliger: INGENUUM SIGNUM recte interpretemur σημεῖον σύμφυτον. Reperio etiam literas Hieroglyphicas annulis fuisse insculptas: id quod planum ex Heliodoro libro 8. pag. 392. apud quem memoratur Caricleæ annulus lapidem, qui Pantarde vocatur, in pala insertum habens, & literis quibusdam sacris pictus: Δακτύλιον-λίθῳ τῇ καλουμένῃ παντάρβῃ τῷ σφενδόνῃ ἐμφάθετον, γράμμασι δὲ ἱεροῖς πὴν ἀνάχαπτον. Ut rem in pauca conferam, quod cuique in mentem veniebat, hoc vel illo Apospragismate utebatur: plerumque tamen, ut CL. & doctissimus Meursius notavit, eas annulis signaturas insculpebant, quæ sibi convenirent, vel ob eventum quempiam, vel artem, quam factitarent, vel munus, quod gererent. *Ob Eventum*, ut colligere est ex isto, qui in munitione oppidi cujusdam inventus, Victoriæ effigiem, & tropæum habuit, quem à victore quopiam in rei præclare gestæ memoriam ita insignitum verisimile est. Sueton. in Galba c. 10. *Per idem forte tempus in munitione oppidi, quod sedem bello delegerat, repertus*

pertus est annulus opere antiquo, scalptura gemmæ Victoriam cum tropæo exprimente. Eadem de causa in annulo Pompeji tria tropæa fuere insculpta; quo signo etiam Syllam usum, tradit Dio: libro 42. ubi cum dixisset, Romanos Pompeji mortem non prius credidisse, quam annulum ejus viderent, subjungit: ἐνεγέγλυπτο δὲ ἐν αὐτῷ (δακτυλίῳ) τροπαῖα τρία, ὥσπερ ἐπὶ τῷ Σύλλᾳ. Tropæum quoque fuit insculptum annulo, quem Thymoleon in sortitione primus eduxit, teste Plutarcho in ejus vita, cujus verba capite 32. adduco. *Ob artem munusve.* Sic apud Plautum Curculione Sc. *Beatus*, miles Terapontigonus annulo insculptum habet militem clypeatum, qui elephantum machæra dissecaret:

CU. *multam me tibi*
Salutem jussit Terapontigonus dicere
Et has tabellas dare me jussit. LY. *Mihin'?*
CU. *ita,*
Cape signum, nosce, nostin'? LY. *Quidni noverim:*
Clypeatus elephantum ubi machæra dissicit.

Interdum etiam iis signaturis utebantur, quæ nomen ejus, qui signasset, aliquo modo exprimerent. Id colligere est ex hoc loco Symmachi lib. 2. Epist. 12. *Non minore sane cura cupio cognoscere, an omnes obsignatas epistolas meas sumpseris eo annulo, quo nomen meum magis intelligi,*

quam legi promptum est. Neque enim dubium est, quin annulo huic insculptum aliquid fuerit, quod ad Symmachiorum nomen alluderet. Quomodo Ciceronem, cum Quæstor in Sicilia donum argenteum Diis dedicaret, *M. Tullium* inscripsisse & loco cognominis *cicer* à fabro insculpi jussisse, auctor est Plutarchus in ejus vita. Sic in Accoleii Lariscoli nummo *Phaëthontis sorores mutatas in larices* apud Anton. Augustinum, 4. Dialogo de Nummis Vett. pag. 130. editionis Italicæ. Et Ful. Ursinum de Familiis Rom. pag. 2. Et *Florem* in L. Aquillii Flori apud Fulvium pag. 29. Et *Ciconiam* (quæ pietatis symbolum) in Q. Metelli Pii apud Fulvium, pag. 38. & L. Antonii, qui ob pietatem erga M. Antonium fratrem Pietas cognominatus est, apud eundem Fulvium p. 18. & Sebast. Erizzo pag. 216. Et *Malleum* in C. Malleoli (ex ejus majoribus aliquis forte primus malleum invenerit) apud Fulvium pag. 202. & plura hujus generis in aliis aliorum observare licet. Finiam hoc caput elegantissimo loco Clementis Alexandrini, qui lib. 3. cap. 2. pag. 106. Pædagogi, multus est in præscribenda Christianis annulorum scalptura; cautione, ut apparet, adhibita, ne vel se ipsos proderent, si aut crucem aut quidvis è Christianis mysteriis imprimerent, vel in religionem peccarent, si idololatrico aliquo aut libidinoso signo uterentur. Verba

ba ejus hæc sunt. Αἱ δὲ σφραγῖδες ἡμῶν ἔστωσαν πελειὰς, ἢ ἰχθῦς, ἢ ναῦς ἱρανοδρομοῦσα, ἢ λύρα μουσικὴ, ἣ κέχρηται Πολυκράτης, ἢ ἡ ἀγκύρα ναυλικὴ, ἣν Σέλευκος ἐνεχαράττετο τῇ γλυφῇ. κἂν ἁλιεύων τὶς ᾖ, ἀποστόλου μεμνήσεται, καὶ τῶν ἐξ ὕδατος ἀναδυομένων παιδίων. οὐ γὰρ εἰδώλων ὀφείλομεν ἀνατυποῦσθαι πρόσωπα· οἷς καὶ τὸ ὁρᾶσθαι ἀπείρηται. οὐδὲ μὴν ξίφος, ἢ τόξον τοῖς εἰρήνην διώκουσιν· ἢ κύπελλα τοῖς σωφρονοῦσιν. πολλοὶ δὲ τῶν ἀκολάστων, γεγυμνωμένους ἔχουσι τοὺς ἐρωμένους, ἢ τὰς ἑταίρας· ὡς μηδὲ ἐθελήσασιν αὐτοῖς, λήθην ποτὲ ἐσχεῖν δυνηθῆναι τῶν ἐρωτικῶν παθημάτων, διὰ τὴν συντελεχῆ τῆς ἀκολασίας ὑπόμνησιν. id est, *Sint autem nobis signacula Columba vel Piscis, vel Navis, quæ celeri cursu à vento fertur: vel lyra Musica, qua usus est Polycrates, vel Ancora nautica, quam insculpebat Seleucus: Et si piscans aliquis, meminerit Apostoli & puerorum, qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum sunt imprimendæ facies, quibus vel solum attendere prohibitum est: Sed nec ensis vel arcus iis, qui pacem persequuntur: nec pocula iis, qui sunt moderati aut temperantes. Multi autem libidinosi nudatos habent eos, quos amant vel amicas, ut ne si velint quidem, possint affectionis amoris oblivisci, quod libido & intemperantia ejus perpetuo in mentem revocatur.* Scalpturam Columbæ, cujus hic meminit, sed olivæ ramum rostro ferentis, addita supra Iride, infra autem

arca Noëtica, ut plane Christianum agnoscas hominem, exhibuit Gorlæus in Dactyliotheca sua Num. 118. Solebant etiam Christiani annulos suos insignire duabus literis Christi nomen exprimentibus, per primos duntaxat characteres, litera Græcanica P scilicet decussata & sciſſa per medium ipso X. hoc modo:



Pcujusmodi aliquot è ruderibus effossos se vidisse testatur Cardinalis Baronius tomo primo Annalium, in Actis anni 57. pag. 505. & extat ejusmodi scalptura apud Gorlæum Nu. 184. quam tamen figuram non in annulis solum, sed & Nummis & Labaro, & Clypeis & galeis, prisci Christiani Impp. usurpabant, ut videre est apud Ant. Augustinum Dialogo primo de Nummis Antiquis, & Lipsi. lib. 3. de Cruce. Ipsum quoque signum Crucis in signatorio annulo Matrinæ virginis fuisse impressum, testatur Gregorius Nyssenus in ejus vita. Notat autem idem Baronius dicto loco apud Christianos antiquum usum obtinuisse, ut sponsalitius annulus Fidei signo, quod est mutui fœderis ac concordię symbolum, sculperetur. Id enim præ se ferunt conjunctæ simul dextræ, quarum porrectione fidem sponderi, res est vel pueris nota.

CAP.

Cap. XIV.

De annuli signatorii custodia. Annulo non diligenter asservato fraudem sæpe commissam. Signa adulterina, *quæ? Lex Solonis de annuli sigillo. Tabulas & literas non lectas annulo non esse obsignandas.*

CEterum de annulo signatorio plusquam satis: illud tamen etiam monendum, hujusmodi annulo non diligenter asservato magnam sæpe fraudem commissam esse: id quod sacra pariter & prophana historia testatur. In sacra legimus Jesabelem, postquam intellexit Nabothum nolle suam vineam, cujus emendæ desiderio rex tenebatur, vendere, literas nomine Achabi regis ad seniores populi dedisse, easque annulo regio obsignasse, quibus inscio marito innocentis Nabothi cædem mandavit 3. Reg. cap. 21. vers. 8. Eodem dolo etiam usus Hannibal, cum annulo Marcelli consulis potitus esset. Nam Salapiam literas misit Marcelli nomine compositas, quibus significavit se nocte, quæ diem illum sequutura esset, eo venturum, parati milites essent, qui in præsidio erant, si qua opera eorum opus esset. Et vero hoc strategema ipsi forsan non infeliciter successisset, nisi Crispinus alter Consul circa proximas civitates misisset nuncios, occisum esse collegam, annuloque ejus hostem potitum, ne quibus literis crederent annulo Marcelli

celli obsignatas. Nam hic nuncius paulo ante Salapiam venerat, cum literæ ab Annibale allatæ sunt, Marcelli nomen & signum præferentes, teste Livio lib. 27. Idem tradit Jul. Frontinus lib. 4. Strategemat. cap. 8. *T. Quintus Crispinus, post infaustam adversus Pœnos dimicationem, qua collegam Marcellum amiserat, cum comperisset potitum annulo interfecti Hannibalem, literas circa municipia totius Italiæ dimisit, ne crederent Epistolis, si quæ Marcelli annulo obsignatæ perferrentur; monitione consecutus, ut Salapia & aliæ urbes frustra Hannibalis dolis tentarentur.* Plancum quoque Syriæ præsidem in majoris momenti literis solitum fuisse nomen adscribere Antonii, & annulo ejus signatorio uti, atque hac occasione cædem Sex. Pompeii mandasse, auctor est Appianus lib. 5. belli civilis pag. 753. Εἰσὶ δ' οἱ Πλάγκον τὸν Αντώνιον λέγοντες ἐπιστεῖλαι, καὶ νομίζεσιν ἄρχοντα Συρίας καὶ παῖς ἐπιστολαῖς ἐπιτέλγμφον ἐς τὰ ἐπείγοντα ἐπιγράφειν τ Αντώνιον, καὶ τῇ σφραγῖδι χρῆσθαι. Hac fraude Valentinianus Placidiæ F. imperator uxorem Petronii Maximi Senatoris & Patricii Romani, quam perdite deperibat, ad se pellectam per vim stupravit, teste Procopio Cæsarienſi lib. 1. de bello Vandalico, cujus Latina verba adscribam, cum Græca non sint in promptu: *Erat Maximo uxor ut formosissima, ita pudicissima: qua Valentinus amore captus cum potiri*

tiri cuperet, resque admodum ardua foret, rem iniquam excogitavit. Maximum jussit ad se in Palatium venire, quo cum talis colludens auro certo proposito, annulum ejus victor nactus est. Hunc clam ad uxorem misit viri nomine, ut quam primum signo perspecto in Palatium salutatum Eudoxiam Imperatricem veniat. Illa subito paret: quam certi, quibus res nota ac mandata erat, protinus in Aula excipientes, longe in gynæceum duxerunt. Voi Valentinianus occurrens, vim ei intulit. Illa post hæc mæsta domum regressa calamitatem fatumque suum deflere, virumque magnopere detestari cœpit, ut qui occasionem huic rei nimia sua temeritate, annulique sigillique sui datione præbuit. Videndus & Sigonius lib. 13. de Imperio Occidentali in actis Anni 454. Et ut fabulas etiam afferamus, Miles ille Therapontigonus, apud Lyconem Trapezitam depositerat quadraginta minas, eique mandarat, qui annulo suo tabulas obsignatas attulisset, daret operam, ut mulierem ille à Lenone cum auro & veste abduceret. Cum verò ipsi dormienti Curculio annulum subduxisset, & tabulas ille à se obsignatas ad Trapezitam dedisset, factum ut virginem cum auro & veste perdiderit. Vide Plautum Curculione. Sc. *Date viam mihi*, & *Beatus videor*, & *Quoi homini*, *&c.* Mulier etiam illa apud Apulejum lib. 10. de Asino aureo, ut mariti sui sororem velut æmulam

tori è medio tolleret, tale comminiſcitur facinus: *Annulo mariti ſurrepto, rus profecta, mittit quendam ſervulum, ſibi quidem fidelem, ſed de ipſa Fide peſſime merentem, qui puellæ nunciaret, quod eam juvenis profectus ad villulam vocaret ad ſeſe, addito, ut ſola & ſine ullo comite, quam maturiſſime perveniret. Et ne qua forte naſceretur veniendi contatio, tradit annulum maritō ſubtractum, qui monſtratus, fidem verbis adſtipularetur. At illa mandato fratris obſequens, hoc enim nomen ſola ſciebat, reſpecto etiam ſigno ejus, quod offerebatur, gnaviter ut præceptum fuerat incomitata feſtinat, &c.* Quo fine autem Conſtantinus Magnus duodecim illis Romanis, quos contra Perſarum regem cum exercitu miſit, annulos clam ademerit, narrat Codinus libro de originibus Conſtantinopolitanis à Georgio Duza edito, cujus verba, propter hiſtoriam memorabilem, quam continent, non poſſum quin adſcribam: Θέλων ὁ μέγας Κωνσταντῖνος οἰκῆσαι τὴν πόλιν αὐτοῦ, μέλισσα ἦ τὸς Ρωμαίους εἰς τὸ Βυζάντιον, ἔλαθεν ἐξ αὐτῶν λαθραίως τὰ δακτυλίδια αὐτῶν ἑνὸς ἑκάστου ἰδίως, καὶ ἀπέστειλεν αὐτὸς εἰς τὸ τῶν Περσῶν βασιλέα, ὅστις ἐκαλεῖτο Σάβαρ. Τέσσαρας μὲν μαγίστρους, τὸν Ἀδὴν, τὸν Περπέσιον, τὸν Σκάλυμβρον, τὸν Φιλόξενον. Ὁπλὰ δὲ παλατίνους, τὸν Πρόβον, τὸν Δομνῖνον, τὸν Δάμιον, τὸν Μαῦρον, τὸν Ῥωδανὸν, τὸν Σαλτάνα, τὸν ἔπαρχον Μαΐδεν, τὸν Εὔξενον,

μὲν

μὴ πλείους τριῶν ἐξαπίσειλον αὐτὸς, ποιήσαντας δέκα ἐξ μῆνας ἐν Περσίδι. Ὁδὲ μέγας Κωνσαντῖνος ἀποστείλας εἰς Ρώμην, ἀνελάβετο τὰς γυναῖκας αὐτῶν, καὶ τὰ τέκνα, καὶ τὰς φαμιλίας. ὥρισε δὲ καὶ κλίσας μηχανικὰς, ἵνα ἴδωσι τοὺς οἴκους αὐτῶν καὶ τοὺς τόπους ἐνὸς ἑκάστου, ποῦ κεῖν) ὅπως, ἑτέρας ἐπὶ τοὺς αἰχμαλώτους τῆς θυλάσσης, ἄλλας ἐπὶ τοὺς ἠπείρους, καὶ τὰ χήματα τῶν κλισμάτων, καὶ τὰς ἀνόδους οἵας ἦσαν κοχλιώδεις. Καὶ λαβόντες τὰς φαμιλίας τῶν συσκληπικῶν, ἀπῆλθον ἐπὶ τὸ Βυζάντιον, καὶ ἔκλισαν ὅμοια ἔκασε, καὶ ἐκάθισαν ἐντὸς αὐτῶν τὰς φαμιλίας τούτων ἐκεῖσε. Ἐλθόντες γὰρ ἐν τῇ Περσικῇ χώρᾳ κατὰ νίκης, ἀναλαβόμενοι καὶ ἐπαιζὰ κεντιναρέλια τριακόσια ἑξήκοντα πέντε, ἐδίξατο αὐτοὺς ὁ βασιλεὺς, καὶ ποιήσας δώκλας εἶπεν αὐτοῖς· θέλετε ἀπελθεῖν εἰς τὴν Ρώμην; δοκιμάζων αὐτούς. Οἱ δὲ ἔφησαν μὴ καθελθεῖν μέχρι δύο μηνῶν. Ὁ δὲ βασιλεὺς ἔφη, Ἀπόψε ἔχων δῶναι ὑμῖν τὰς οἰκίας ὑμῶν, προστάξας Εὐφράτῃ τῷ παρακοιμωμένῳ αὐτοῦ, ὅπως καὶ ἐποίησε τὸ μέγαν Κωνσαντῖνον χρισιανὸν, ἐν ἑκάστῳ ἀποδῶναι αὐτῶν τοὺς οἴκους. ὡς γοῦν εἶδον τοὺς πυλαιώνας, καὶ τὰς αὐλὰς, καὶ τὰς ἀνόδους ὁμοίας ταῖς ἐν τῇ Ρώμῃ, καὶ τὰ μέτρα, καὶ τὰ χήματα, καὶ τὰ ὕψη, καὶ τὸ ἀπίβλεψιν τῶν θυρίδων, ἔδοξαν εἶναι ἐν φαντασίας εἰς τὴν Ρώμην. Εὑρόντες δὲ καὶ τὰς φαμιλίας αὐτῶν, ἐξεπλάγησαν. ἐρωτήσαντες δὲ τὰς ἑαυτῶν φαμιλίας, καὶ μαθόντες ἀκριβῶς, τότε ἐπίστευσαν ὡς ὄντως ἐστὶ φάντασμα, ἀλλὰ φρόνησις τοῦ βασιλέως, ὅτι ἀκούσας, καὶ μὴ

βελομένης ᾤκησεν ἐνταῦθα. *Magnus autem Constantinus cum vellet suam civitatem Byzantium maxime à Romanis habitari, annulos cujusque viri occulte accepit & misit ipsos contra Persarum regem, qui vocabatur Sabarus, quatuor magistros, Adum, Protasium, Scolimbrum, Philoxenum, & octo patricios, Probum, Dominum, Darium, Maurum, Rhodanum, Saltionem, Modestum Præfectum, Eubulum, cum Magno exercitu in Persiam misit, ubi sedecim menses commorabantur. Magnus vero Constantinus legatis Romam missis, uxores ipsorum, liberos & familias vocavit. Constituit etiam opifices, ut domos ipsorum & loca singula, ubi & quomodo sitæ essent, in orane maritima vel continente, ut formam structuræ, & quales gradus essent tortuosi observarent. Assumtis ergo secum familiis vocatorum, Byzantium redierunt, ibique singula simili modo condiderunt, in iisque familias ipsorum habitare jusserunt. Cum itaque ex Persia potiti victoria rediissent, & trecenta sexaginta quinque centenaria allata recepissent, imperator eos convivio excepit, illisque dixit, Vultis abire Romam? probans eos. Illi autem dixerunt, se ante duos menses non reversuros. Imperator vero dixit, Vesperi dabo vobis ædes vestras. Iusserat enim Euphrati accubitori suo, qui & Magnum Constantinum Christianum effecerat, ut unicuique ædes suas restitueret. Vt igitur viderunt portas, atria, gradus, mensuram*

& for-

& formam, altitudinem, & prospectum fenestrarum Romanis similes, putabant se per somnium esse Romæ. Cum vero & familias suas invenirent, obstupescebant. Et cum interrogarent suas familias, & penitus intelligerent, crediderunt non esse phantasiam, sed prudentiam imperatoris, quod invitos & nolentes degere hic jusserit.

Sed & fictis annulis interdum fraudem esse factam legimus: quomodo Sextum Tarquinii Superbi filium, qui Gabiis erat, literas fictas & *patris sigillo obsignatas*, σεσημειωμένας τῇ τοῦ πατρὸς σφραγῖδι, domi Antistii Petronis, qui præcipuæ apud Gabinos dignitatis erat, per ejus servos pecunia corruptos deponendas curasse, ut illum, quem sibi obstare videbat, proditionis convictum è medio tolleret, & Gabios in suam potestatem redigeret, auctor est Dionysius Halicarnassæus lib. 4. Haud dissimili dolo Sisoni Persæ exitum machinatus est Alexander Macedo, de quo Curtius lib. 3. cap. 7. *Erat in exercitu Regis Sisenes Perses, quondam à Prætore Ægypti missus ad Philippum, donisque & omni honore cultus exilium patria sede mutaverat. Secutus deinde in Asiam Alexandrum, inter fideles socios habebatur. Huic epistolam Cretensis miles obsignatam annulo, cujus signum haud sane notum erat, tradidit. Naburazanes Prætor Darii miserat eam, hortabaturque Sisenem, ut dignum aliquid nobilitate ac moribus suis ederet,*

(alii legunt, auderet) *magno id ei apud regem honori fore. Has literas Siſenes, ut pote innoxius, ad Alexandrum ſæpe deferre tentavit, ſed cum tot curis, apparatuque belli regem videret urgeri, aptius ſubinde tempus exſpectans, ſuſpicionem iniiti ſceleſti conſilii præbuit: namque epiſtola, priuſquam ei redderetur, in manus Alexandri pervenerat, lectamque eam ignoti annuli ſigillo impreſſo, Siſeni dare juſſerat ad æſtimandam fidem Barbari. Qui quia per complures dies non adierat regem, ſceleſto conſilio eam viſus eſt ſuppreſſiſſe, & in agmine à Cretenſibus, haud dubie juſſu Regis occiſus eſt.* Nec contentus hoc in vili peregrini capite facinus admiſiſſe, eadem poſtea fraude in Parmenione, Macedonum ſuorum facile Principe uſus eſt, namque epiſtolam Philotæ nomine ad Parmenionem patrem ſcriptam, ejuſdem ſigno obſignavit. Curtius lib. 7. cap. 2. *Ad Parmenionem quoque epiſtolas feres, unam à me, alteram Philotæ nomine ſcriptam. Signum annuli ejus in meâ poteſtate eſt. Pater credet à filio impreſſum, ſic, cum te viderit, nihil metuet.*

Hujuſmodi fraudis ſuſpicionem ut à ſe prorſus removerent Ægyptii, poſt cæſum Pompejum annulum ejus Cæſari tradendum curarunt. Aurelius Victor de viris illuſtribus capite 77. *Caput ab Acchilla, Ptolomæi ſatellit, Ægyptio velamine involutum, cum annulo Cæſari præſentatum eſt. Qui non continens lacrymas, illud plurimis*

& pre-

& pretioſiſſimis odoribus cremandum curavit. Eadem quoque ratione Vitalianum præfectum prætorio occiſum tradit Jul. Capitolinus in Gordianis tribus: *Fictæ ſunt literæ Maximini, ſignatæ quaſi ejuſdem annulo, & miſſi cum quæſtore milites, qui eas ferrent, addentes quædam propter literas, ſecreto eſſe dicenda. Longam igitur porticum petierunt, & cum ille ea, quæ ſibi erant ſecreto dicenda, perquireret, hortantibus ut prius ſignum inſpiceret Epiſtolæ, dum conſiderat, interemptus eſt. Perſuaſum deinde eſt militibus, juſſu Maximini Vitalianum interemptum.* De hujuſmodi crimine falſi à legatis Græcis commiſſo Guntherus lib. 5. Ligurini v. 368.

Nam qui prædicti mandata priora tyranni
Auſonias urbes Hetruſcaque regna tenenti
Attulerant, Friderice, tibi, gentilibus uſi
Fraudibus, impreſſas falſo ſub nomine Regis
Mendaces chartas ſibi confecere ſigillo.

Tale quid ſibi quoque accidiſſe à quodam falſario conqueritur S. Bernhardus Epiſtola CCLXXXIV. ad Eugenium Papam: *Periclitati ſumus in falſis fratribus & multæ literæ falſatæ ſigillo noſtro in manus multorum exierunt, & quod magis vereor, etiam uſque ad nos dicitur falſitas pervolaſſe. Hac neceſſitate objecto illo novello,*

quod

quod cernitis de novo utimur, continente & imaginem nostram & nomen. Figuram aliam tanquam ex nostra parte jam non recipiatis, nisi forte pro Episcopo Clarimontis, cui sub altero sigillo literas, cum nondum istud haberem. Atque hujusmodi crimen falsi à se non esse commissum cum indicare Ovidius vellet, sic l. 2. de Ponto Elegia 9. loquitur:

Nec mea subjecta convicta est gemma tabella
Mendacem ceris imposuisse notam.

Vel ut JCtorúm princeps Cujacius teste Grutero lib. 3. Suspicionum cap. 8. distichon in MSS. invenit:

Nec mea convicta est fallaci gemma sigillo
Mendaces linis imposuisse notas.

De falsis literis adulterino T. Quinctii ánnulo obsignatis vid. Fragm. Polybii lib. 46. cujus meminit Rutgersius lib. 1. var. lect. c. 1. Dicta autem fuerunt hæc signa *Adulterina.* Festus: *Adulterina signa dicuntur alienis annulis facta.* L. 30. D. Ad leg. Corneliam de falsis: *Lege Cornelia testamentaria obligatur, qui signum adulterinum fecerit, sculpserit.* l. 4. Institut. de publ. judiciis. §. 7. Ad hujusmodi fraudem igitur cavendam Solon legem tulit, ne liceret annulario retinere sigillum annuli venditi, teste Laërtio: Δακτυλιογλύφῳ μὴ ἐξεῖναι σφραγῖδα φυλάττειν ἣ πεπράτο δακτυλίς. Ratio legis erat, ne pos-

set

set ὁ δακτυλιογλύφος alio facto simili annulo fraudem ei facere, cui priorem vendidisset.

Quare cum adeo in proclivi sit crimen falsi per alterius annulum committere, cavendum, ne veniat in potestatem eorum, qui illo possint abuti. Atque hæc mihi causa videtur fuisse cur Sextus Pompejus, pugnâ navali victus & fractus in miserabili fuga annulos suos in mare abjecerit, ut narrat Suetonius lib.4. cap.8. *Quippe modo trecentarum quinquaginta navium Dominus, cum sex septemve fugiebat, exstincto Prætoriæ navis lumine, annulis in mare abjectis, pavens atque respectans.* Itemque Petronius, qui flagitia Principis sub nominibus exoletorum feminarumque & novitate cujusque stupri perscripserat, atque obsignata miserat Neroni, annulum fregit, ne mox usui esset ad facienda pericula, ut ait Tacitus lib.16. Annal. c.19.

Sed nec temere quibuslibet tabellis Annulus imprimendus est. Magnum enim levitatis & supinæ negligentiæ indicium est, præsertim in principe viro, tabulas vel diplomata non lecta nec expensa annulo obsignare, vel annulum signatorium temere cuivis committere: quod Cicero Qu. Fratri studiose cavendum monet in elegantissima illa & plane aurea, quam ad ipsum Asiæ minoris rectorem scripsit, Epistola; his verbis: *Sit annu-*

annulus tuus non ut vas aliquod, sed tanquam ipse tu: non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ. Hoc enim sentit Cicero, quemadmodum Turnebus libro 27. Adversar. cap. 1. interpretatur, ne passim sinat annulum suum à quovis, ut domestica vasa, tractari, vulgoque & temere sine delectu quidvis obsignari, sed eo solus utatur, alius non abutatur, soluſque, quod jus fasque sit, annulo signet. Vas igitur est, ut si Græce σκεῦος diceres. Vāsorum autem in domestica familia usus est communis. Hic verus est, meo quidem judicio, hujus loci sensus: quanquam Franciscus Robortellus libro 2. Emendationum cap. 17. contra P. Manutium contendit esse legendum *vas aliquis*, ita, ut *vas vadis* non pro vase accipiatur, sed pro sponsore, quasi dicat Cicero: videndum tibi est, ô Quinte ne annulus tuus sit tanquam vas aut sponsor alienæ voluntatis, id est, ne aliquis tuorum quæstum hâc ratione faciat in provincia, dum annulo tuo prætorio multa obsignat, te insciente, corruptus largitione alicujus provincialis. Fuisset igitur tum annulus tuus vere sponsor ac vas voluntatis alienæ, id est, eorum qui pecunia corrupti erant. Nam sicuti creditores vadem postulant: ita illi provinciales, ne temere pecuniam darent iis, qui polliciti erant, se obsignaturos prætoris edictum aut interdictum aliquod, postulabant

ante

ante vadem ac veluti ſponſorem aliquem, Is autem erat annulus proprætorius. Obſignationem autem ubi viderant, ſe decipi poſtea poſſe non credebant. Nam vulgo ſi habemus manum & ſigillum alicujus, tum dicimus nos vadem ſeu fidejuſſionem ſufficientem habere. Ita accipit & emendat hunc locum Fr. Robortellus. Sed cum lectio uſitata ſententiam contineat nec ineptam, nec inſulſam, imo vero prudentiæ & gravitatis plenam, cauſæ nihil eſt, cur ab ea ſit recedendum.

Ceterum cum quanto periculo conjunctum ſit, ſi principes viri decretis, tabulis, vel literis non lectis, nec diligenter ponderatis annulum ſignatorium ſtatim imprimant, vel ſaltem, quod idem eſt, ſubſcribant, teſtatur exemplum Theodoſii II. Imp. cujus cum tanta eſſet in obſequendo quibuſlibet facilitas, ut ſæpe literis non lectis manu ſua ſubſcriberet, Pulcheria ejus ſoror callide ſe munus petere ſimulans, per literas poſcebat ſibi in ſervitutem tradi Eudoxiam conjugem, quam impenſe ab ipſo diligi non ignorabat. Quas cum ille non lectas ſubſcriptione confirmaſſet; ſoror monſtratis & lectis literis, acriter eum reprehendit, & ut deinceps in re tanti momenti cautior eſſet, graviter ac amice monuit, teſte Suida in voce πυλχερία: ubi de Theodoſio ſic loquitur: Ὁ δὲ φύσει ναθρὸς τὴν διάνοιαν, εἰς πάντα μὲν ὑπῆρχε, μάλιστα δὲ εἰς

ἐς τὰς ὑποβαλλομένας αὐτῷ χάριτας ἀπαραγνώστως ὑπέσφαλεν. ὅπερ ἡ σωφροσύνη γνοῦσα τῆς Πελαγερίας, σοφῶς ὑπῆλθεν αὐτὸν δωρεὰν ὑπολαβοῦσα δῆθεν παρὰ δούλης τῆς ἑαυτῆς γαμετῆς Εὐδοκίαν. διὸ καὶ καθυποτραπεῖσα μὴ πρότερον ἀναγνοῦσ, ὕστερον δήπου ἀνεδίζητο παρ' τῆς Πελαγερίας. Vide & Nicephorum l. 4. c. 23. Socratem lib. 7. cap. 22. Theodoretum lib. 5. c. 36. Eandem levitatem in Imperatore Alexio Comneno perstringit Nicetas libro 1. ubi ait, illum in honoribus conferendis adeo facilem fuisse, ut quodcunque scriptum quis ipsi porrexisset, id è vestigio subsignaretur, sive inepta dictione constaret sive qui id obtulerat peteret, ut terra quidem navigaretur, mare autem araretur, & montes in medium mare transferrentur, vel, ut est in fabulis, Athon Olympo imponeretur. Verba ejus hæc sunt: ὁ γὰρ ἂν τις παρασπάσειε χάριτας τῷ βασιλεῖ, αὐτίκα ὑπεσημαίνετο, κἂν σολοίκως εἶχε τῆς φράσεως, κἂν ὁ παρεισάγων, ἐδεῖτο ναυπήγεσι μὲν τὴν ξηράν, ὁρᾶσθαι δὲ τὴν θάλασσαν, ἢ τὰ ὄρη ἐν καρδίαις θαλασσῶν μεθαρμόσθαι, εἴπ μὴν (ὡς ὁ μῦθος βούλεται) Ὀλύμπῳ Ἄθων ἐπανατίθεσθαι. Idipsum etiam tanquam crimen Fridericus I. objecit Papæ Adriano IV. apud cujus legatos cum multa paria literarum reperta essent, & schedulæ sigillatæ ad arbitrium eorum scribendæ adhuc, quibus per singulas Ecclesias Teutonici regni

gni conceptum iniquitatis ſuæ virus reſpergere, altaria denudare, vaſa domus aſportare, cruces excoriare nitebantur, ne ultra procedendi facultas daretur, Imperator eadem, qua venerant, via ad urbem illos juſſit redire, ut patet ex Epiſtola Friderici Barbaroſſæ ad principes Imperii, quæ extat inter conſtitutiones imperiales à Nob. & Cl. V. Melchiore Haiminsfeldio Goldaſto collectas, pag. 60. Atque hæc fuit una ex cauſis, cur Wenceſlao imperium ademptum: ut teſtatur ſententia Exauctorationis Wenceſlai Rom. Regis à principibus Electoribus Imper. Ita & pronunciata Anno cIↃ cccc. *Præterea membranas perplures nudas raſaſque, ſuæ tamen majeſtatis ſigillo munitas amicis pecunia vendidit: in quibus cum illis, tum aliis, in quorum manus iſtiusmodi membranæ venerunt ſub regio ſigillo quod ſcribere vellent, licuit. Qua ex re ob ſacri Romani Imperii jurium & emolumentorum damnoſam imminutionem, & diſſipationem, graves querelæ ſubortæ ſunt.*

Solet etiam in obſignando hæc fraus interdum committi, ut aliud pro alio obſignetur, & id quod obſignatum eſt, illis perniciem afferat, quod ſalutem ſibi laturum arbitrabantur. Quo dolo Pharnabazus impoſuit Lyſandro Lacedæmonio, qui *præfectus claſſis cum in bello multa crudeliter avareque feciſſet, deque his rebus ſuſpicaretur ad cives ſuos eſſe perlatum, petiit*

tiit à Pharnabazo, ut ad ephoros sibi testimonium daret, quanta sanctitate bellum gessisset, sociosque tractasset, deque ea re accurate scriberet: magnam enim ejus autoritatem in ea re futuram. Huic ille liberaliter pollicetur: librum gravem multis verbis conscripsit, in quo summis eum effert laudibus. Quem cum legisset, probassetque, dum obsignatur, alterum pari magnitudine, tanta similitudine ut discerni non posset, signatum subjecit, in quo accuratissime ejus avaritiam perfidiamque accusarat. Hinc Lysander domum quum rediisset, postquam de suis rebus gestis apud maximum magistratum, quæ voluerat, dixerat: testimonii loco librum à Pharnabazo datum tradidit. Hunc summoto Lysandro quum Ephori cognovissent, ipsi legendum dederunt. Ita ille imprudens ipse suus fuit accusator, ut ait Æmilius Probus. Vide & Plutarchum in vita Lysandri. Interdum etiam fraus fraudi opponitur: ut litteris damnosis salutiferæ substituantur. Ferunt enim Conradum II. Imperatorem valde severe animadvertisse Imperii sui tempore in pacis publicæ violatores, cujus severitatem cum Lupoldus quidam Comes, criminis dicti reus admodum metueret, secessisse eum cum uxore in solitudinem, & sylvam quandam longe ab hominum oculis & consuetudine remotam, ibique in tuguriolo quodam aliquamdiu latitasse. Non multo post contigisse,

tigiſſe, ut illis in locis venatui indulgeret Imperator, cumque aberraſſet in ſectando feras ardore à ſuis, & nox illum præter opinionem corripuiſſet, forte ad illud Comitis tuguriolum deveniſſe, ibique noctem illam manſiſſe. Eadem nocte Comitis latitantis uxorem maſculum peperiſſe, eoque recens à partu vagiente, vocem de cælo auribus Imperatoris adlapſam hujus argumenti: Infans hic, ô Imperator, tibi quandoque gener erit & hæres. Eamque vocem cum tertium rediiſſet, terruiſſe Imperatorem, itaque primo diluculo ſurrexiſſe, & inventis duobus ex ſuis, qui Imperatorem in ſylvis perſecuti fuerant, ſerio injunxiſſe, arriperent recens natum infantem, confeſtimque necarent, Famulos paruiſſe jubenti, puerumque parentibus ereptum cum jam jam necaturi eſſent, blandum adeo ipſis arriſiſſe, ut in necem ejus durare non valuerint, itaque in arbore repoſuiſſe vivum, atque ut fidem occiſi infantis Domino facerent, cor lepuſculi, tanquam infantis eſſet, attuliſſe. Illis digreſſis tranſiviſſe ibidem alium quendam Ducem, & ex vagitu infantem in arbore reperiſſe, relatumque domum aluiſſe pro ſuo. Multo poſt tempore divertiſſe Imperatorem ad illum Ducem, & adoleſcentem hunc conſpexiſſe, de natalibus ejus inquiſiſſe, & cum ambigue reſponſum eſſet, pro eo habere cepiſſe, qui erat, quem-

quemque olim necandum famulis tradidisset. Aucta suspicione nec minus metu veteri animum subeunte petiisse illum à Duce puerum ministeriis suis & tandem impetrasse. Inde literas statim ad reginam concepisse, quibus præcipiebat, ut cum primum litteras accepisset, earum bajulum vitâ exigi juberet, litterasque illas adolescenti ad Reginam perferendas tradidisse. Adolescentem literas acceptasse, inque viam se dedisse, cumque itineris ratione in domo Sacerdotis cujusdam nocte ingruente hospitari necesse habuisset, Sacerdotem curiosum, quid rerum literis regiis contineretur, scire voluisse, itaque eas aperuisse, cumque mortem miserrimi adolescentis illis contineri intellexisset, numine vel misericordia motum alias literas & quidem contrarii ac longe diversi argumenti substituisse: cum primum videlicet literas regina resignasset, filiam adolescenti ferenti illas matrimonio copularet, sic jubere se, nec cessationem illi è bono fore. Illas adolescentem tulisse, reginamque dicto audientem fuisse. Regem, ubi, quid factum, edoctus est, initio quidem fremuisse, demum vim fati ineluctabilem animo revocantem, in eo quod accidisset, quievisse.

Hanc Historiam debemus Michaëli Piccarto amico nostro, dum vivebat, summo, qui eam, ex Viterbiensi, & Rolewincho, Observationum suarum Historico-

rico-Politic. Dec. 16. capite 9. intexuit. Huc refero & falsas istas literas falso Reginæ Berengariæ sigillo munitas, quibus Comes Alvarus Alphonso Regis Castellæ filio Enrico, Berengariæ Fratri vitæ insidias struxit. Historiam nobis suppeditat Rodericus Toletanus lib. 9. c. 2. ac 3.

Cum enim Alphonsus relicto prænominato Filio Enrico, parvulo admodum, post mortem patris statim ad regni fastigium evecto, diem obiret, ac Comes Alvarus novi hujus Regis custodiam, abdicata Regina Berengaria, Regis Sorore (cui alias & custodia Regis & Regni concessa erat) in se transferret & una cum Rege peragratis Regni ditionibus Maquedam, quæ est oppidum in Diœcesi Toletana, veniset, Regina Berengaria nuncium misit de fratris statu, (sunt verba Toletani) clanculo percunctari. Erat enim sollicita, eo quod à Comite Alvaro negligentius servabatur. Et cum Comes Alvarus de nuntio comperisset, fecit scribi literas impostura, & falso sigillo Reginæ nobilis intercludi, in quibus continebatur, quod Regina nobilis scribebat aliquibus de Consilio magnatum de campis, ut cum toxico sibi misso fratri suo exitiale poculum propinarent, ut sic puerum ad sororis odium gravius provocarent, & hominem continuo suspenderent. Sed cum labia malignorum (sun verba Toletani) tibi velut ebria mentiantur

tur; qui Susannam à falso testimonio liberavit, Reginam nobilem & innocentem, ab impostura mendacio liberam declaravit, &c.

CAP. XV.

De discrimine Annulorum. Aureos gestare licuisse primum Legatis: deinde Senatoribus, mox & Equitibus, qui annulo à plebe distincti. Triumphantes ferreum retinuisse. Equitibus etiam militiæ fuisse jus aureorum annulorum, contra Lipsium ostenditur: non autem militibus gregariis, quibus id primum Severus Imp. indulsit. Plebeiis argenteos in usu fuisse visderi: ferreos servis, quorum fraus, & occulta superbia in annulis indicatur.

HActenus de annulorum usu, qui insignando: nunc ostendemus annulos etiam fuisse peculiare ornamentum & insigne, quo status hominum olim & ordines Romæ distinguebantur. Ex auro, argento, ferro factos esse annulos, supra diximus. Ex his ferreorum usus apud Romanos erat antiquissimus. Nam primis ejus Reipub. temporibus, ne Senatori quidem jus erat gestare aureum annulum, sed his tantum, qui legati ad exteras gentes ituri essent, annuli aurei publice dabantur, *Credo*, inquit Plinius, *quoniam ita exteris honoratissimi intelligebantur.* Atque hi ipsi legatione perfuncti annulo publice accepto, in publico tantum utebantur, intra domos vero ferreis, teste Plinio

Plinio libro 32. cap. 1. Etsi autem paulatim non solum Senatores, verum etiam Equites aureos annulos usurparunt; fuisse tamen memoria avorum etiam inter Senatores nonnullos, qui *prætura quoque functi in ferro consenuerint*, tradit idem Plinius: qui etiam auctor est, Divo Augusto decurias ordinante, *majorem partem judicum in ferreo annulo fuisse*. Imo vero ipsi Triumphantes retinuerunt vestigia priscæ simplicitatis. Nam ferreo annulo usos fuisse Romanos Imperatores, cum curru auro gemmisque magnifice ornato de hostibus victis triumphantes in Capitolium inveherentur, auctor est idem Plinius d. l. *Vulgoque sic triumphabant, & cum corona ex auro Etrusca sustineretur à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æqua fortuna & triumphantis, & servi coronam sustinentis. Sic triumphavit de Iugurtha C. Marius, aureumque non ante tertium consulatum sumsisse traditur.* Verum hoc præter communem morem fiebat, & ad retundendam triumphantis arrogantiam. Nam aliis certum est, Senatoribus primum, mox & Equitibus jus aureorum annulorum fuisse: quibus tamen *non licebat annulis uti, nisi à prætoribus donati fuissent*, ut ait Acron ad Horatii Sat. 5. lib. 2. Prima mentio annulorum aureorum, quibus quidem Romani usi sint, extat apud Livium lib. 9. in actis anni ab urbe condita quadringente-

simi trigesimi secundi, Caudinâ pace infamis, ubi narrat ob deditionem tam fœde factam Romæ extemplo sine ulla publica auctoritate concessum in omnem formam luctus esse, *tabernas circa forum clausas, justitiumque in foro sua sponte cœptum prius, quam indictum, latos clavos, annulos aureos positos.* Sed à quibus annuli aurei positi sint non addit. In fine autem ejusdem libri in actis anni 449. tradit idem Livius, *plerosque nobilium annulos & phaleras deposuisse*, hac causa motos, quod Cn. Flavius libertino patre genitus & CL. Appii Scriba, qui jus civile repositum in penetralibus Pontificum evulgaverat, & fastos circa forum in albo proposuerat à turba forensi Ædilis curulis creatus esset. Ceterum Plinius, qui procul dubio veterum annales diligentissime super hac re consuluit, id solis Senatoribus adscribit: *Quo facto*, inquiens, *tanta Senatus indignatione exarsit, ut annulos ab eo abjectos fuisse in antiquissimis reperiatur annalibus. Fallit plerosque qui tum & Equestrem ordinem id fecisse arbitrantur. Est enim adjectum hoc quoque, sed & Phalera posita, propter quæ nomen Equitum adjectum est.* Mox autem subjungit: *Annulos quoque depositos à nobilitate, in Annales relatum est, non à Senatu universo.* Quæ verba dum recte considero, & cum Livianis contendo, facile adducor in illam sententiam, ut existimem solos

los nobiles & quidem eos tantum, qui in ſenatum allecti erant, aureis annulis uſos eſſe. Atque hos annulos Senatus, tanquam dignitatis ſuæ inſignia retinebat, cum poſt cladem Cannenſem in ſumma ærarii inopia, ut ad æmulandum animos primum equeſtris ordinis, dein reliquæ plebis excitaret, omne ſuum aurum, argentum, æs ſignatum in publicum conferret. De qua re Livius lib. 26. in oratione Levini Conſulis, *Itaque ut claſſem habeat, quam ornare volumus, Populus Romanus, privatos ſine recuſatione remiges dare, nobiſmet ipſis primum imperemus: aurum, argentum, æs ſignatum omnes ſenatores craſtina die in publicum conferamus, ita ut annulos, ſibi quiſque & conjugi & liberis & filio bullam: & quibus uxor filiæve ſunt, ſingulas uncias auri, pondo relinquant argenti.* Flor. lib. 2. cap. 6. *Opes ſuas libens Senatus in medium protulit, nec præter quod in bullis ſingulis atque annulis erat quicquam ſibi auri reliquere.* Huc reſpexit Auguſtinus lib. 3. de Civit. Dei cap. 19. *Tum etiam ſtipendiis ſufficiendis cum deficiſſet ærarium, in uſus publicos opes venere privatæ, adeo unoquoque id quod habuit conferente, ut præter ſingulos annulos aureos, ſingulaſque bullas, miſerabilia dignitatis inſignia, nihil ſibi auri Senatus ipſe, quanto magis ceteri ordines tribuſque relinquerent.* Quod autem paulo ante idem Plinius affirmat, hoc primum eſſe

veſtigium aureorum annulorum, in eo videtur memoria lapſus, ſi modo vera ſunt, quæ de poſitis ob pacem Caudinam annulis Livius commemorat.

Poſtillâ vero etiam Equites uſurpare cœperunt. Nam ſecundo bello Punico, Annibalis frater Mago nuncius victoriæ, quam Pœni ad Cannas obtinuerant, Carthaginem miſſus cum res geſtas in Italia expoſuiſſet, *ad fidem tam lætarum rerum* (verba ſunt Livii lib. 23.) *effundi in veſtibulo curiæ juſſit annulos aureos, qui tantus acervus fuit, ut metientibus dimidium ſuper tres modios expleſſe, ſint quidam auctores. Fama tenuit, quæ propior vero eſt, haud plus fuiſſe modio. Adjecit deinde verbis, quo majoris cladis indicium eſſet, neminem niſi equitem atque ipſorum primores id gerere inſigne.* Tertullianus Apol. 40. *Annibal apud Cannas per Romanos annulos cædes ſuas modio metiebatur.* Vide & Auguſtinum de Civit. Dei lib. 3. cap. 19. Ex illo igitur tempore Annulus aureus peculiare Equitum erat ornamentum, quo à plebe diſtinguebantur. Plinius lib. 33. cap. 2. *Annuli diſtinxêre alterum ordinem à plebe, ut ſemel cœperunt eſſe celebres, ſicut tunica ab annulis Senatum tantum.* Quod vero Iſidorus liberis omnibus aureum annulum tribuit, libertinis argenteum, diſtinctio non videtur vera. Verba ejus ſunt: *Annulum aureum neque ſervus neque libertinus geſtabat in publico, ſed annulo au-*

reo liberi utebantur, libertini argenteo, servi ferreo. Falsa inquam, hæc est Isidori distinctio. Nam inter omnes liberos soli Equites Senatoresque hoc jure aureorum annulorum gaudebant. Dion lib. 48. in actis anni 716. ἐδίνι τ πάλαι Ρωμαίων ἐχ ὅτι τ ἐλευθερωθέντων πᾶσι, ἀλλ' ἐδὲ τ ἐν ἐλευθέρῳ γένει τεθραμμένων δακτυλίοις χρυσοῖς, πλὴν τ βουλευτῶν καὶ τ ἱππέων χρῆναι ἐξῆν. *Apud antiquos Romanos non modo liberto, sed nec ingenuo quidem illi aureo annulo licebat uti, nisi Senator esset aut Eques.* Planum est hoc ipsum ex eo, quod Plutarchus narrat, Cornuti servos, cum herum suum occultassent, plebeii hominis cadaver ad rogum extulisse, eique annulum aureum induisse, ne Marii satellites, à quibus ille ad cædem conquirebatur, alium pro Cornuto exportari suspicarentur. Verba Plutarchi crudelissimam illam cædem à Cinna & Mario Romæ factam describentis in Mario hæc sunt. Ἄξιον δ' ἄγαμαι καὶ θαυμάσαι τὰς τ Κορνούτου θεράπαινας, αἱ τ δεσπότην ἀποκρύψασαι οἴκοι, νεκρὸν δέ τινα τ πολλῶν ἀναρπάσασαι ἐκ τ τραχήλου καὶ φέρεσθαι σύτῳ χρυσοῦν δακτύλιον, ἐπιδείκνυον τοῖς Μαρίου δορυφόροις καὶ νομίσαντες ὡς ἐκεῖνον αὐτὸν ἔθαψαν. Quomodo enim ista suspicio hac ratione tolli potuisset, si plebi æque ac Equitibus aureorum jus annulorum fuisset? idem confirmat Appianus, qui lib. 2. ἐμφυλίων narrat, Tribunos plebis ob cædem Clo-

dii tumultuantes, cum armata multitudine in forum irruisse, & obvios quosque trucidasse, ac præsertim eos, ὅσοι παῖς ἐσθῆσιν ἢ σφραγῖσι ἀπὸ χρυσῦ διέφερον. *qui vestitu annulisque aureis ab aliis distabant.* Neque tamen verisimile est Equites Romanos domi quidem jus aureorum annulorum habuisse, sed militiæ non habuisse. Id enim diserte pugnat cum historia de trimodiis annulorum ab Annibale Carthaginem missis, cujus paulo ante facta est mentio. Nec audiendus est Lipsius in Electis lib. 2. cap. 8. qui existimat hanc severitatem statim à bello Punico secundo introductam esse, propterea quod Appianus in bello Punico tertio militibus omnibus annulos aureos adimat præter Tribunis. Appiani locus in Libycis hic est: Ἀχθομένων δὲ πάντων ἐπὶ τῇ τῶν πεσόντων ἀταφίᾳ, καὶ μάλιστα ἐπὶ τοῖς χιλιάρχοις, ὁ Σκιπίων τινὰ λύσας τῶν αἰχμαλώτων ἔπεμψε πρὸς Ἀσδρούβαν καὶ παρηύδα θάψαι τοὺς χιλιάρχους. ὁ δ' ἐρυθριασάμενος τὸ νεκρὸν ἐκ τοῦ σφραγίδος δύρων (χρυσοφορῶσι γὰρ τῶν στρατευομένων οἱ χιλίαρχοι, τῶν ἐλαττόνων σιδηροφορούντων) ἔθαψεν αὐτούς. εἴτε τὸ ἔργον ἀνθρώπειον ἐκ ἠθικὸν ἐν τοῖς πολέμοις ἡγεμόνος, εἴτε τῷ Σκιπίωνος δόξαν ἤδη δεδιὼς τε καὶ θεραπεύων. id est, *Cuin omnes moleste ferrent relictos inhumatos milites, præcipue Tribunos, Scipio captivum quendam solutum vinculis misit ad Asdrubalem, rogans ut sepeliret Tribunos; ille quæ-*

quæsitos inter cadavera & aureorum annulorum agnitos indicio (hi enim differunt à vulgo militum ferreos gestantium) sepeliit; sive humanum hoc ratus & à belli jure non alienum : sive metuens jam tum Scipionis gloriam & tantum virum hoc officio demereri cupiens. Verum hæc verba [τῶν πλατέων διηνεγφορότων] non nisi ad pedites & gregarios milites producenda sunt, ut ipse Lipsius postea de Militia lib. 2. Dialog. 9. recte monuit. Nam equites pari pene loco & dignitate erant cum Tribunis: atque ideo etiam cum militarent, aureis annulis utebantur. Nec patrocinatur sententiæ Lipsii Suetonius, qui in Galba cap. 10. narrat, *delegisse eum Equestris ordinis juvenes, qui manente annulorum aureorum usu Evocati appellarentur, excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent.* Nam non tam de retentione annulorum Suetonius, ut insolens & præter communem morem, notat, quam quod Equestris ordinis juvenes vice militum excubias circa cubiculum Principis agerent, & quod illi ipsi juvenes appellarentur Evocati, quos constat veteranos fuisse, gnaros prudentesque militiæ, qui expletis stipendiis sponte in gratiam Consulum aut Ducum militiam sumebant. Tandem vero Severus Imp. recens ad imperium evectus, cum multa alia militibus indulsit, quæ antea non habebant, tum etiam δακτυλίοις χρυσοῖς χρήσασθαι ἐπέτρεψε, *aureis*

reis annulis uti permiſit, teſte Herodiano lib. 3. Imo Valerius Aurelianus Imperator diſerte mandat Vicario ſuo inter alia, ut miles *ſtipendium in baltheo habeat, non in popina: torquem brachialem & annulum apponat*, teſte Vopiſco. Pag. 302.

Sed nec de argenteo annulo, quem Libertini geſtarint, ut Iſidorus affirma', quicquam apud probatæ fidei ſcriptores me legere memini. Si tamen conjecturis agendum, plebs videtur eo uſa eſſe. Id ut credam movet me Plinius, qui fœminas plebejas ſibi compedes (ita annulos appellat) ex argento feciſſe aſſerit. lib. 33. cap. 12. *Argentum ſuccedit aliquando & auro, luxu fœminarum plebis compedes ſibi ex eo facientium, quas induere aureas mos triſtior vetat.* Cum enim hîc muliebrem ſexum plebejum uſurpaſſe argenteos audiamus, quidni eoſdem etiam à virili uſurpatos cenſeamus?

Ferrum autem inter ſervos hæſit. Plinius cum triumphantibus in digito annulum ferreum fuiſſe dixiſſet, ſubdit, *æqua fortuna triumphantis & ſervi coronam ſuſtinentis.* Hinc etiam eſt, quod ſenex ille amator Stalino apud Plautum Caſina Act. 3. Sc. 5. verſ. 63. ancillæ Pardaliſcæ annulum aureum pollicetur, ſi quod cupiebat, poſſet efficere:

——— *audin'*
Si effexis hoc, ſoleas tibi dabo & annulum in digito

Au-

Aureum & bona plurima.

Nam habere quidem aureos annulos in peculio suo illis licebat, non vero gestare. Quanquam fuere qui novitio quodam invento aurum ferro solebant superinducere, vel etiam merum purumque aurum decolorare & deformare in modum ferri: atque ita gestabant aurum nec videbantur gestare, cum colore aliquo atro, quod hodieque usitatum, aut fusco id velarent. Ita enim recte interpretatur Lipsius verba Plinii servorum fraudem & occultam in annulis superbiam perstringentis: *Nec non & servitia jam ferrum auro cingunt, alii per sese mero auro decolorant.* Annulus autem hic servis erat ad usum potius, quam ad ornatum, nempe ad signandum. Apulejus lib. 10. *Donec jussu magistratuum ministeria publica contrectatis nequissimi servi manibus annulum ferreum deprehensum cum signo sacculi conferunt.* Sed de ferreis annulis hoc etiam in transcursu notandum, illos contactu magnetis attritos habere vim quandam attrahendi & sese mutuo alligandi; de qua re elegans locus extat apud Platonem in Ione: Ἐπὶ γὰρ τῇδε τῇ τέχνῃ μὲ οὐκ ὀν ᾧδέ σοι θεὸς Ομήρῳ δὺλέγειν (ὃ νυῦ δὴ ἔλεγον) θεία δὲ δυνάμις ἥτε κινεῖ ὥσπερ ἐν τῇ λίθῳ, ἣν Εὐριπίδης μὲ Μαγνῆτιν ὠνόμασεν, οἱ δὲ πολλοὶ, Ηρακλείαν. ἔστι γὰρ αὕτη ἡ λίθος ὃ μόνον αὐτὸς τὸς δακτυλίους ἄγει τὸς σιδηροῦς, ἀλλὰ ἔστι δυνάμιν ἐντίθησι τοῖς δακτυλίοις, ὥς τε

δυνάμις ταυτὸν τοῦτο ποιεῖν ὅπερ ἡ λίθος, ἄλλας ἄλλην δακτυλίους. ὥς τ' ἐνίοτε ὁρμαθὸς μακρὸς πάνυ σιδηρίων ἐκ δακτυλίων ἐξ ἀλλήλων ἥρτηται. πᾶσι δὲ τούτοις ἐξ ἐκείνης τῆς λίθου ἡ δύναμις ἀνήρτηται. ὅτω δὲ καὶ ἡ Μοῦσα ἐνθέους μὲν ποιεῖ αὐτὴ ἀφ' ἑαυτῆς δὲ τῶν ἐνθέων τούτων ἄλλων ἐνθουσιαζόντων ὁρμαθὸς ἐξαρτῶται. hoc est, *Vt bene de Homero loquaris, ars tibi non præstat, ut modo dicebam, sed divina vis est quæ te movet, sicut in lapide, quem Magnetem Euripides nominavit, nonnulli Heraclium vocant. Qui lapis non solum ferreos annulos trahit, sed vim etiam annulis ipsis infundit, qua hoc idem efficere possint, ac perinde ut lapis, alios annulos trahere. Vnde longa plerumque concatenatio ferri & annulorum invicem pendet & omnibus his ex illo lapide vis attrahitur: Ita ipsa Musa poëtas divino instinctu concitat, poëtæ concitti alios furore corripiunt: quare ex his omnibus series ipsa contexitur.* De eadem re & D. Augustinus lib. 21. de civitate Dei cap. 4. *Magnetem lapidem novimus mirabilem ferri esse raptorem. Quod cum primum vidi, vehementer inhorrui. Quippe cernebam à lapide ferreum annulum raptum atque suspensam, deinde tanquam ferro, quod rapuerat, vim dedisset suam communemque fecisset, idem annulus admotus est alteri, eumque suspendit, atque ut ille prior lapidi, sic alter annulus priori lapidi cohærebat. Accessit eodem modo tertius, accessit & quartus. Iamque sibi per mutua connexis circulis*

non

non implicatorum intrinsecus, sed extrinsecus adhærentium quasi catena pependerat annulorum.

Cap. XVI.

Annulorum jus fuisse tantum illis Equitibus, qui censum equestrem habebant: quo imminuto annulus deponebatur: quod & incessione bonorum factum. Quomodo Annuli aurei non solum cum plebe, sed & cum libertinis libertisque fuerint communicati, ostensum. Apud Brachmanas qui aurum in digitis gestarint?

Sed redeo ad aureos annulos, quibus Equites fuisse à plebe distinctos dictum est. Neque tamen omnibus Equitibus, sed iis tantum, qui censum equestrem, id est, quadringenta millia sestertiûm habebant, aureos annulos gestare licuit. Id vel ex eo intelligi potest, quod Suetonius in Cæsare cap. 39. de Laberio Eq. Rom. scripsit, eum, cum Ludis postulatu Cæsaris mimum egisset, *donatum ab eodem quingentis sestertiis & annulo aureo, sessum in quatuordecim è scena per orchestram transisse.* Vide Macrob. lib. 2. Saturnal. cap. 7. Senecam lib. 7. Controvers. Declam. 3. Atque hæc est causa, cur milites illi, qui magnis præmiis à Jul. Cæsare ad Rubiconem transeundum Arimini sollicitabantur, promissa sibi 40. millia ariolati sint, cum prius falsam de promisso jure aureorum annulorum opinionem concepissent. Sciebant enim aureos an-

nulos & censum equestrem eidem competere nec separari posse. Suetonius in eodem Cæsare cap. 33. *Existimatur etiam equestres census pollicitus singulis: quod accidit opinione falsa. Nam cum in alloquendo exhortandoque, sæpius digitum lævæ manus ostentans, affirmaret se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset, annulum æquo animo quoque detracturum sibi: extrema concio, cui facilius erat videre concionantem, quam audire, pro dicto accepit, quod visu suspicabatur; promissumque jus aureorum annulorum cum millibus quadringentis fama distulit.* Istam aureorum annulorum, cum adjuncto censu equestri, donationem olim usitatam, suo seculo in desuetudinem abiisse lamentatur Martialis lib. 14. lem. 120. ubi annulos ita loquentes inducit:

Ante frequens, sed nunc rarus nos donat amicus:
Felix, cui comes est, non alienus eques.

Ante dicit solitos esse divites multis censum equestrem supplere, annulosque aureos dare, qui equitum erant gestamina, quod ætate sua rarum queritur. Veruntamen felicem dicit qui comitem habet equitem: non alienum sed suum, id est, quem ipse sua liberalitate equestri censu donato equitem fecerit. Turnebus lib. 9. cap. 24. Ad hunc morem respexit eumque perstrinxit Arnobius lib. 4. adversus gentes: *Quis ad extremum Deam Pecuniam esse*

esse credat, quam velut maximum numen vestræ indicant literæ, donare annulos aureos, loca in ludis atque in spectaculis priora, honorum suggestus summos, amplitudinem magistratus & quod maxime pigri ament, securum per opulentias otium? Eundem vero annulum Equites non nisi re decocta vel censu imminuto deponebant, vel oppignorabant vel etiam vendebant. Martialis lib. 8. Epigr. 5.

Dum donas, Macer, annulos puellis;
Desisti, Macer, annulos habere.

Et lib. 2. Epigram. 57.

Quem grex togatus sequitur & capillatus
Recensque cella linteisque loriciisque
Oppignoravit ad modo Claudii mensam
Vix octo numis annulum unde cœnaret.

Juvenalis Sat. 9.

Talibus à dominis post cuncta novissimus exit
Annulus & digito mendicat Pollio nudo.

Turpi itidem judicio damnatos & ordine motos equites aureorum annulorum gestatione abstinuisse, argumento est Arellius Fuscus, de quo Plinius lib. 32. cap. 12. *Argentum succedit ex re aliquando & auro, luxu fœminarum plebis compedes sibi ex eo facientium, quas induere aureas mos tritior vetat. Vidimus & ipsi Arellium Fuscum, motum equestri ordine, ob insignem cum celebritate affectationem adolescentum scholæ, ex argento annulos habentem.* Qui locus in edi-

editione Dalecampii, & Elzeviriana, sensu, ut opinor, clariore, ita legitur: *ob insignem calumniam, (quod) cum celebritate affectarentur adolescentium scholæ, &c.* In cessione quoque bonorum olim, quæ ex lege Julia fiebat, inter alias rerum & verborum solemnitates in ea usurpari solitas (quæ tamen cujusmodi fuerint hodie ignoratur) etiam hanc fuisse, ut annuli & alia, quæ dignitatis alicujus, & ordinis essent insignia, solenni ritu deponerentur, recte suspicatur CL. & ingeniosissimus Scipio Gentilis, noster, dum vivebat, amicus, ex hoc loco Apulei in Apologia. *Lex*, inquit, *negat posse dissolvere: annulos aureos & omnia insignia dignitatis abjicit: cum creditoribus depacisci tur.* Quanquam tale quid in cessione bonorum usitatum fuisse etiam tempore Ciceronis, colligere est ex oratione illius, quam habuit pro Sex. Roscio Amerino, in qua Chrysogonum his verbis compellat: *Regat oratque te, Chrysogone, si nihil de patris fortunis amplissimis in rem suam convertit, si nulla in re te fraudavit, si tibi optima fide sua omnia commisit; adnumeravit, appendit, si vestitum, quo ipse tectus erat, annulumque dedit, &c. Ut sibi per te liceat innocenti amicorum opibus vitam in egestate degere.* Nec incommode huc trahi potest illud Cæsaris factum, cujus paulo ante facta est mentio, qui *se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defen-*

surus

furus esset, annulum quoque æquo animo detracturum sibi, arrecto digito affirmabat.

Erat igitur Equestris equidem ordinis insigne annulus aureus: interdum tamen factum, ut etiam è plebe aliqui eo à magistratibus donarentur. Testatur id Cicero lib. 3. in Verrem. *Sæpe nostri Imperatores superatis hostibus optime Repub. gesta, scribas suos annulis aureis in concione donaverunt.* Et paulo post, ubi reprehendit Verrem, quod Scribæ suo, quem prius mirum in modum locupletaverat, talem annulum dedisset, recitat solennia illa verba, quibus in donatione aureorum annulorum Romani utebantur: *Annulo est aureo Scriba donatus & ad eam donationem concio est advocata. Quod erat os tuum, cum videbas in concione eos homines, quorum ex bonis iste annulus aureus donabatur, qui ipsi annulos aureos posuerant, liberisque detraxerant, ut esset unde Scriba tuus hoc tuum munus & beneficium tueretur? Quæ porro præfatio tuæ donationis fuit? Illa scilicet vetus, atque imperatoria?* Quando tu quidem in prælio, in bello, in re militari; *Cujus ne mentio quidem te Prætore ulla facta est: an illa?* Quandoquidem tu nulla unquam mihi in cupiditate ac turpitudine defuisti, omnibusque in iisdem flagitiis mecum & in legatione & prætura & hîc in Sicilia versatus es; ob hasce res quoniam te locupletavi, hoc annulo aureo

reo dono. *Vera hæc fuisset oratio: non enim iste annulus aureus abs te datus istum virum fortem, sed hominem locupletem esse declarat. Ita eundem annulum ab alio datum testem virtutis duceremus, abs te donatum comitem pecuniæ judicamus.* Clarum id & ex Inscriptione vetere, quæ decimo ab Ebora lapide:

D. M. S.
C. ANTONIO. C. F. FLA
VINO. VI. VIRO. JUN.
HAST. LEG. II. AUG. TORQ.
AUR. ET. AN. DUPL. OD. VIRT.
DONATO. JUN. VERECUN
DA. FLAM. PERP. MUN. EBOR.
MATER P. C.

Hoc honore Sylla Roscium comœdum affecit, Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 10. *Is est Roscius, qui etiam L. Syllæ carissimus fuit, & annulo aureo ab eodem Dictatore donatus est.* De C. Julio Cæsare, qui Laberium quantumvis Equitem aureo annulo donavit, paulo ante diximus. Ejus vero exemplo etiam Balbus Quæstor *ludis, quos Gadibus facit, Herennium Gallum histrionem, summo ludorum die annulo aureo donatum in* XIV. *sessum deduxit: tot enim fecerat ordines equestris loci*, ut scribit Asinius Pollio ad Ciceron. lib. 10. Epist. 31.

Atque hoc jus aureorum annulorum solis ingenuis concedi solebat à magistratibus ante tempora Augusti. Hic primus eodem honore insigniisse legitur Menam

& Ant.

& Ant. Musam libertos: Menam quidem ob id, quod Sex. Pompejo relicto ad Augustum cum classe & exercitu confugisset. Dio lib. 48. Καὶ αὐτὸν ἐκεῖνος ἀσμένως ἰδὼν ὅτε ἐξέδωκεν ἐξαιτηθέντα τε καὶ ἐν πομπῇ μεγάλῃ ἤγαγε, δακτυλίοις τε χρυσοῖς ἐκόσμησε καὶ εἰς τὸ τῶν ἱππέων τέλος ἐσέγραψε. hoc est, *Cæsar Menam libentissime accepit, neque dedidit Pompejo postulanti & magno insuper in honore habuit, annulisque aureis decoravit, & in Equestrem ordinem adscripsit.* Ant. Musam vero, quod ejus opera ex ancipiti morbo convaluisset. Dio lib. 53. Καὶ αὐτὸν μηδὲν ὅ, τι μὴ δὶς τῶν πάνυ ἀναγκαίων ποιεῖν δυνάμενον, Ἀντώνιος Μῦσαν καὶ ψυχρολουσίαις καὶ ψυχροποσίαις ἀνίσωσε, καὶ διὰ τοῦτο καὶ χρήματα ὁ δῆμος καὶ Αὐγούστου καὶ παρὰ τῆς βουλῆς πολλὰ, καὶ τὸ χρυσοῖς δακτυλίοις (ἀπελεύθερος γὰρ ἦν) χρῆσθαι. τιμὴν ἀτέλειαν καὶ ἑαυτῷ καὶ τοῖς ὁμοτέχνοις, οὐχ ὅτι τοῖς τότε οὖσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔπειτα ἰσομοίοις ἔλαβεν. hoc est, *Antonius vero Musa, cum nihil Augustus eorum, quæ maxime ad donationem opus erant, posset facere, lavacris frigidis, frigidisque potionibus, sanitati restituit: quam ob rem etiam pecunia ei ab Augusto & Senatu multa, ususque annuli aurei, (libertus enim erat) datus est, immunitasque non ipsi modo, sed omnibus eandem artem exercentibus in posterum quoque tempus concessa.* Eadem Zonaras lib. 2. Gestarunt tamen etiam Prisci Medici annulos. Quid enim aliud esse putabimus

bimus illa πλεσμάτια, οἷς οἱ ἰατροὶ, οἱ δὲ παλαιοὶ τὰς δακτυλίους ἐνίβαλον apud Arist. lib. 4. Pact. Animal. 9. quam annulos?

Ceterum cum annulorum usus increbesceret, & cum vilibus etiam personis communicaretur, constitutum, *ne cui jus id* (annulorum aureorum) *esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, avoque patrono sestertia* 400. *census fuisset, & lege Iulia theatrali in* XIV. *ordinibus sedendi.* Factum hoc Tiberii principatus anno nono, C. Asinio Pollione, C. Antistio Vetere Coss. anno urbis conditæ septingentesimo septuagesimo quinto, futili pene de causa, *cum C. Sulpitius Galba, dum juvenilem famam apud Principem poptinarum pœnis aucupatur, quæstus esset in Senatu, vulgo institores ejus culpæ defendi annulis.* Plinius lib. 33. cap. 2. Sed constitutio illa non diu duravit. Nam statim sub Claudio Senatus (quod tamen tanquam rem indignam reprehendit Plinius) Pallanti Claudii liberto prætoria ornamenta decrevit, ipsumque censuit *non exhortandum modo, verum etiam compellendum ad usum aureorum annulorum. Erat enim*, ut Plinius l. 8. Epist. 5. ironicῶς inquit, *contra majestatem Senatus, si ferreis prætorius uteretur.* Icellum quoque Galbæ libertum annulis aureis & Marciani cognomine donatum, tradit Tacitus lib 1. histor. & Suetonius in Galba cap. 14. Vitellius Imp. libertum suum Asiaticum *primo imperii die aureis donavit*

navit annulis ſuper cœnam, cum mane rogantibus pro eo cunctis, deteſtatus eſſet ſeveriſſime talem equeſtris ordinis maculam, ut ait Sueton. cap. 12. vel ut Taciti verbis utar lib. 2. hiſtor. *Poſtulante exercitu, ut libertum ſuum Aſiaticum equeſtri dignitate donaret, inhoneſtam adulationem compeſcuit. Dein mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter ſecreta convivii largitur, honoravitque Aſiaticum annulis, fœdum mancipium & malis artibus ambitioſum.* Ejuſdem Vitellii frater Lucius ſervum Verginii Capitonis annulis donavit, in quibus etiam aliquanto poſt hic patibulo affixus eſt. Tacitus lib. 4. hiſtor. *Solatio fuit ſervus Verginii Capitonis, quem proditorem Tarracinenſium diximus, patibulo affixus, in iiſdem annulis, quos acceptos à Vitellio geſtabat.* Sic Domitianus ſervum Hetruſcum (libertinum fuiſſe ait Salmaſ. ad Capitol. p. 170.) aureo annulo donatum inter equites retulit: quod indicare voluit Statius lib. 3. Syl. in Lacrimis Hetruſci, cum inquit:

Mutavitque genus, lævaque ignobile ferrum
Exuit & celſo natorum æquavit honore.

Salm. ad Capit. p. 170. l. *celſe.* Opilium Macrinum quoque libertinum hominem, qui occiſo Antonino Baſſiano imperium arripuit, donatum aureis annulis, ex Aurelio Victore refert Jul. Capitolinus in Macrino.

Sed

omnibusque conceſſi, etiam Libertinis, aurei annuli. Novella 78. *Διὰ τῦτο φαμὲν, εἴπις ἐλευθερώσας οἰκέτιν ἢ θεράπαιναν αὐτῦ, πολίτας αὐτὰς ἀποφήνειε Ρωμαίους (οὐδὲ γὰρ ἄλλως ἔξεσιν) ἴσω καὶ τῦτο τῦδε τῦ νόμου ὁ τὴν ἐλευθερίαν λαβὼν, ἔξει παρεπόμενον αὐτῆς καὶ τὸ τὰ χρυσᾶ δακτυλίων καὶ τὸ τὰ παλιγγενεσίας δίκαιον, καὶ οὐκ ἐξ ἀνάγκης αἰτήσει τοῦτο παρὰ τῦ βασιλέως ἔπι, οὐδὲ δεήσει παρὰ τῦ βασιλέως πολυπραγμοσύνης. Propterea ſancimus, ſi quis manumittens ſervum aut ancillam ſuam, cives denunciaverit Romanos, (neque enim aliter licet) ſciat ex hac lege, quod qui libertatem acceperit, habebit ſubſequens mox & aureorum annulorum & regenerationis jus, & non jam ex neceſſitate hoc à principibus poſtulabit.* Ipſe etiam Leo Imp. cum privatis interdixiſſet uſum auri & gemmarum, tamen excepit ornamenta matronalia & muliebrium virilium que annulorum habitum. *l. unica. C. Nulli licere in frenis. Et conſtitut. Leonis* LXXXI, ſolis clericis, niſi ſint in dignitate conſtituti, annulos geſtare non licet, ex decreto Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. & Baſileenſis ſub Sigiſmundo Imperatore habiti: *Nullus portet annulum, niſi cui competit ex officio dignitatis, & unum duntaxat.* Nam alias vulgo dici ſolet: *Clericus annulatus aut eſt fatuus aut prælatus.*

Antequam hoc caput concludam, non poſſum

possum, quin mentionem faciam ritus olim apud Brachmanas Indorum Gymnosophistas usitati. Autor est Strabo libro 15. Geograph. illos extra urbem in luco rebus divinis humanisque perdiscendis occupatos vivere ἀπεχομένους ἐμψύχων & ἀφροδισίων, *animalibus & Venere abstinentes*, annos triginta circiter persistere, ita modestos, ut qui screet, aut expuat illo die, è cœtu tanquam incontinens excludatur: quibus finitis in sua quemque secedere, laxius licentiusque vivere σινδονοφορεῖν & χρυσοφορεῖν μετρίως ἐν ταῖς χερσὶ & τοῖς ὠσί. hoc est, *sindonem induere & aurum in manibus & auribus moderate gestare.* Sed nec illud ab hoc loco, ubi in mentionem incidimus Philosophorum Indorum, alienum videtur commemorare, quod de Philosophorum apud Græcos facile Principe, Aristotele, refert Diogenes Laërtius in ejus vitâ; illum veste usum eximia, gestasse annulos, & comam totondisse, ἐσθῆτι τε ἐπισήμῳ χρώμενον & δακτυλίοις & κόμῃ.

CAP.

Cap. XVII.

De luxu Annulorum. Plures annulos gestare priscis temporibus vitio datum. Tandem non solum in omnibus digitis, sed & digitorum articulis plures gestati: quod tamen mollitiei signum semper habitum. De Annulis hibernis & æstivis. Annuli Natalitii *qui? Bella ob annulos orta. Annulos & vestes qui nunquam mutarint.*

QUomodo annulus aureus primum plebi, deinde & ipsis libertinis libertisque communis factus sit, ex his constat. Dici autem non potest, quantopere postillâ se luxus Romanorum in annulis ostentarit. Etenim primis quidem temporibus vitio dabatur viro plures annulos, quam unum digitis gestare. Isidorus libro penult. capite 32. *Apud veteres*, inquit, *ultra unum annulum uti infame habitum viro.* Gracchus in Menium: *Considerate, Quirites, sinistram ejus: en cujus auctoritatem sequimini, qui propter mulierum cupiditatem, ut mulier, ornatus est.* Pergit mox Isidorus exemplum apponere: *Crassus*, inquit, *qui apud Parthos periit, in senectute duos habuit annulos, causam proferens, quod pecunia ei immensa crevisset. Multi etiam Romanorum præ gravitate annulum gestare in digito abstinuerunt.* Apud Carthaginenses Lege cautum erat, ne quis plures annulos gestaret, quam expeditiones obivisset, teste Aristot. lib. 7. Polit.

Polit. cap 2. Καρχηδόνι φασὶ τὸν ἐν τῷ κεί-χων χρυσῷν λαμβάνειν, ὅσας ἂν τραπέζας τραπέζας. Sed de uno annulo, etiam Attejus Capito apud Macrobium libro 7. Saturnal. cap. 13. *Apud veteres*, inquit, *nec plus annulorum habere quam unum licebat, nec cuiquam nisi libero.* Sed & Horatii adhuc ævo tres annuli videntur vitio versi: quo nomine perstringit Priscum quendam Satyra 7. lib. 2. his verbis:

— sæpe notatus
Cum tribus anellis, modo læva Priscus inani.

Tandem vero luxus annulorum adeo inolevit, ut etiam omnibus digitis gestarint. Martialis lib. 5. Epigr. 62.

Per cujus digitos currit levis annulus omnes.

Imo vero uno digito plures. Idem Martialis de Charino lib. 11. Epigr. 60.

Senos Charinus omnibus digitis gerit,
Nec nocte ponit annulos.

Lucianus in Dialogo, qui Gallus inscribitur, diviti alicui sedecim annulos tribuit. Sic enim ibi Gallus ad herum suum Micyllum: Ἐγὼ δὲ τὸν ἐκείνου ἔχων ἐσθῆτα καὶ δακτυλίους βαρεῖς, ὅσον ἑκκαίδεκα, ἐξημμένους τῶν δακτύλων, ἐκέλευον ἑτοιμάζειν τινὰ λαμπρὰν δεῖπνον ἐς ὑποδοχὴν τῶν φίλων, hoc est, *Ego interim illius indutus vestitum & annulos graves gerens circiter sedecim digitis insertos, epulum quoddam splendidum jubebam adornari, quo amicos acciperem.* Quid?

Quid? quod etiam in ſingulis articulis & quidem in uno plures geſtabant. Martialis lib. 5. Epigr. 11.

Sardonichas, Smaragdos, Adamantas, Iaſpidas uno
Portat in articulo Stella, Severe, meus.

Fuit autem fere mollis & delicati animi ſignum ſemper habitum, plures annulos & eos quidem in extremis digitis geſtare. Id in Trimalcione notavit Petronius, dum ipſum ait habuiſſe *extremo articulo digiti ſequentis minorem annulum totum aureum.* Et Seneca lib. 7. Natur. Quæſt. cap. 31. cum varias luxuriæ ſpecies recenſuiſſet, mox addit: *Exornamus annulis digitos & in omni articulo gemma diſponitur: Quotidie comminiſcimur, per quæ virilitati fiat injuria, ut traducatur, quia non poteſt erui.* Quintilianus etiam in Oratore ſuo hoc reprehendit lib. 11. cap. ult. *Manus non impleatur annulis, præcipue medios articulos non tranſeuntibus.* Sed omnium diſertiſſime morem hunc improbat Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagog. c. 11. Ἀλλὰ ϵ̓ τ̓ δακτύλιον σὸν ἐπ' ἄρθρῳ φορητέον τοῖς ἀνδράσι. γυναικεῖον γὰρ τοῦτο. εἰς τὸν ἔσχατον καθιέναι. ἔστω γὰρ ὅτως ἀνεργὴς ἡ χεὶρ, ἐν οἷς αὐτῆς δεόμεθα. καὶ ῥᾴστα ἐπισημαινέσθω, τῇ μείζονι τοῦ ἄρθρου σωδεσμῷ φυλαττόμενον. hoc eſt, *Sed neque eſt à viris annulus in articulo ferendus: hoc enim eſt muliebre: ſed in parvo digito,*

atque adeo in extrema ejus parte est demittendus. Ita enim erit manus maxime ad operandum expedita in iis, in quibus ea egemus: neque facile excidet sigillum, quod majore articuli ligamento custoditur. Aristophanes in Nubibus eos, qui digitos ad ungues usque annulis onerant & comam nutriunt, confragosa voce appellat σφηνοδινυχαρσοκομήτας. Suidas exponit τὰς κόμας ἐν σφενδονοειδέσι δακτυλίοις τὰς χεῖρας κοσμουμένους, ὡς μέχρι τῶν ὀνύχων καὶ τῶν δακτυλίων σκέπειν τοὺς δακτύλους. Hesychius paulo brevius, τοὺς ἔχοντας σφηκίδας ἐν δακτυλίοις ἐν ὄνυξιν λιθινοὺς ἐν κομῶντας.

Sed & invarietate annulorum quidam luxus fuit. Habebant enim ut æstivas vestes & hibernas, l. 1. D. De acq. quotid. & æstiva: ita & annulos, quos hieme sola: alios, quos æstate sola gestarent. Juvenalis Sat. 1.

Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat majoris pondera dextræ.

Ubi Glossæ veteres notant, hoc tam delicatum annulorum discrimen à Crispino inventum, cui per æstatem molesta fuerint illa *majoris pondera gemmæ.* Verisimile autem est, ut Marquardus Freherus putat, quos æstate gestare solerent, Heliotropios fuisse & Asteritas & Mithridacas, & Irides, quarum vis & delectatio quæ-

quædam peculiaris est, cum Soli opponuntur, ut Plinius, Isidorus & Solinus scribunt. Et hoc genus annulos, quia non nisi media anni parte gestari solerent, *Semestres* vocat idem Juvenalis, Sat. 7.

Semestri vatum digitos circumligat auro.

Reperio etiam quosdam annulos solo natali die gestari solitos. Ita enim plerique capiunt hunc locum Persii Sat. 1. ubi introducitur Recitator

pexusque togaque recenti
Et natalitia tandem cum Sardonyche albus.

Quanquam intelligi etiam potest annulus natali die à cliente dono missus, quem in magno pretio habitum & cum cura servatum, patet ex Plauti Curculione Scena penult. ubi cum Planesium virgo dixisset,

Verum hunc servavi semper mecum una annulum,
Cum hoc olim perii.

Miles paulo post inspecto annulo subjungit:

proh Iupiter!
Hic est, quem ego tibi misi natali die,
Tam facile novi, quam me.

Porro tanta fuit quorumdam vesania, ut in annulos fere omne patrimonium profunderent. Tertullianus De habitu Mulier. *In sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit.* Atque hujus generis fuit ille

annulus, quem Nonius Senator Strumæ filius, ac Servilii Noniani avus ab Antonio proscriptus secum abstulit, cujus pretium æquabat viginti mille sestertia, id est, decies centena millia florenorum. Plinius memorat lib. 37. cap. 6. ubi de Opalis: *Magnitudo nucem avellanam æquat, insigni apud nos historia. Siquidem extat hodieque hujus generis gemma, propter quam ab Antonio proscriptus Nonius Senator est. Illeque proscriptus fugiens, hunc è fortunis suis omnibus annulum abstulit secum, quem certum est sestertiis viginti millibus æstimatum. Sed mira Antonii feritas atque luxuria, propter gemmam proscribentis, nec minor Nonii contumacia proscriptionem suam amantis, cum etiam feræ abrosas partes corporis relinquant, propter quas se periclitari sciant.* Talis fuit & Adamas Caroli Burgundi, de quo Comineus ita loquitur: *Fugiente Carolo, Helvetii ingentem prædam fecerunt, verum quantas opes consecuti essent, ignorabant. Tabernaculum quoddam illius longe pulcherrimum & exquisitissimum partitum fuit ab eis in multa frusta. Patinas argenteas nonnulli, cum stanneas esse putarent, viliſſimo pretio vendebant. Adamantem ipsius toto orbe celeberrimum, cui erant appensi aliquot uniones, quidam, ubi reperiret, in pyxidem reposuit, mox sub currum abjecit, paulo post reversus sustulit, & sacrifico cuidam vendidit aureo nummo. Is deinde à sui oppidi*

Ma gi-

Magiſtratu, cui miſerat, accepit aureos duos. lib. 7. Quid? quod bella etiam ob annulos extitiſſe legimus. Diſerte Plinius lib. 33. cap. 1. *Inter Cæpionem quoque & Druſum ex annulo in auctione venali, inimicitiæ cœpere, unde origo ſocialis belli & exitia rerum.* Quomodo & majorum noſtrorum memoria Reges Arachan & Pegu pro gemma aliqua totos viginti quatuor annos, atrociſſimum bellum geſſiſſe, hiſtorici teſtantur.

Omnium vero luxuriam videtur ſuperaſſe Ant. Heliogabalus Imp. qui calceamentum nunquam iteravit, *annulos etiam negatur iteraſſe*, teſte Lampridio: imitatus forte Neronem, *qui nullam veſtem bis induit*, ut ait Suetonius cap. 30. Cæterum arcula ſeu capſula, in quam recondebantur annuli dicebatur Dactylotheca, quam Martialis lib. 14. epigrammate 123. ita deſcribit:

Sæpe gravis digitis elabitur annulus unctis.
Tuta meâ fiet ſed tua gemma fide.

Ulpianus lib. 24 ad Sabinum l. 52. §. 8. D. De legatis 3. *Quod in bibliotheca tractavimus, idem Pomponius lib. 6. ex Sabino in Dactylothecâ legata tractat, & ait, annulos quoque contineri, non ſolum thecam, quæ annulorum cauſa parata ſit. Hoc autem ex eo conjectat, quod ita proponitur quis legaſſe, Dactylothecam meam, & ſi quos præterea annulos habeo.* Facit

hujus quoque mentionem Paulus l. 53. D. eodem. *Argento legato constat arculas ad legatarium non pertinere.* Item, *annulis legatis dactylothecæ non cedunt.* Item Celsus l. 67. D. De furtis: *Nec refert, in digito habeat annulum, an dactylothecam, &c.* Erat autem Dactylotheca plerumque ex ebore. Juvenalis Sat. 13.

Sardonychus loculis quæ custoditur eburnis.

Hanc primus Romæ habuit Scaurus. Plinius lib. 37. cap. 1. *Gemmas plures, quod peregrino nomine appellant Dactylothecam, primus omnium Romæ habuit privignus Syllæ Scaurus. Diuque nulla alia fuit, donec Pompejus Magnus eam, quæ Mithridatis regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret, ut M. Varro aliique ejusdem ætatis auctores confirmant, multam prælatam Scauri. Hoc exemplo Cæsar Dictator sex Dactylothecas in Veneris Genitricis consecravit. Marcellus, Octaviâ genitus, in Palatina Apollinis æde unam.*

Sed à luxu annulorum dehortantem nos audiamus D. Basilium Magnum, qui ὁμιλίᾳ, πρὸς τὸς πλουσίους ita loquitur: Τί τοσοῦτον ἐπλήσατο πρὸς τὸ χρυσόν. λίθος ὁ ἄργυρος, λίθος ὁ μαργαρίτης, λίθος τῶν λίθων ἕκαστος. χρυσόλιθος, καὶ βηρύλλιον καὶ ἀχάτης, καὶ ὑάκινθος, καὶ ἀμέθυστος, καὶ ἰάσπις. Ταῦτα δὴ καὶ πλούτου τὰ ἄνθη, ὧν σὺ τὰ μὲν ἀποπίεσαι καλαχρύπλων, καὶ τὸς ἀμφανεῖς τῶν λίθων σκότῳ καλύπλων. Τὸς

δὲ,

λὲ, φεριφέρῃς τ βαρυλίμων, ἐναβρυνόμ-
ῳ αὐτῶν τῇ αὐχῇ. εἰπὲ, τί ὄφελ-
ος λίθοις λαμπομένοις φερισφῦ τὸν
χέρα; ὅτι ἐρυθρᾶς λιθιδίων κυανῶν ὡς
γυναῖκες ὅταν κύωσι. Καὶ γὰ ἐκείναις λι-
θίδια φέρεσθαι. Σὺ λίχνως ἔχῃς φὸς
τὰ ἄνθη τ λίθων, σαρδόνυχας, ἰάσπιδας
ἀμεθύστους ἐπιζητῶν. Τὶς καλλωπισὴς
μίαν ἡμέραν ἡδονὴν τῷ βίῳ φροθεῖναι;
τίν ἐφείσατο θηρίαλ ἕνεκα τ πλούτου;
τίν ἀπέχεται νόσ, ἕνεκα τὰ χρήματα.
hoc est, *Quid attonitus aurum miraris? Lapis est aurum, argentum lapis, margarita lapis, lapides sunt chrysolithus, beryllus, achates, hyacinthus, amethystus, iaspis. Hi sunt flores opum magnarum. Hos partim, cum sint clarissimi, in tenebris abscondis: partim in digitis micantibus aliisque in ornatibus circumfers. Dic quaeso, quae utilitas digitos vertere lapillis coruscantes, atque ostentare? Nonne erubescis, te lapillorum avidum ostendens, quemadmodum praegnantes foeminae ob malaziam interdum lapillos edunt? Tu item tanquam ipsarum helluo, sardonychas, iaspidas, amethystos omni studio conquiris? Quis pulchritudini formaeque fingendae studens unam vitae diem sibi prorogare poterit? aut cui mors ob divitias parcit? à quo morbus ob pecuniam abstinet?* nec non Boëthium lib 2. de Consol. Philosoph. *An gemmarum fulgor oculos trahit? sed si quid in hoc est splendore praecipui, gemmarum est*

lux illa, non hominum: quas quidem mirari homines vehementer admiror: Quid est enim carens animæ motu atque membrorum compage, quod animatæ rationabilique naturæ pulchrum esse jure videatur? Quæ tametsi conditoris opera, suique distinctione postremæ aliquid pulchritudinis trahunt, infra vestram tamen excellentiam collocatæ admirationem vestram nullo modo merebantur.

CAP. XVIII.

Usus annulorum in dandis arris. Annulus pro symbolo datus. Ne symbolum quidem habere, *de quo dicatur. De annulo Sponsalitio, ferreusne is, an aureus fuerit? Plinius & Tertullianus conciliati.* Pronubus annulus. *Annuli datione fidem conjugii confirmari aliquot exemplis probatur. Sed non semper: Erat enim interdum tantum amoris aucupium. Amatores annulos amicarum osculabantur: imo eos per lasciviam amicis detrahebant.*

PRogredior ad alios annulorum usus. Nam & sponsionis causa arræque nomine datos annulos legimus. De quo annuli usu Plinius lib. 33. cap. 1. *Celebratior annuli usus cum fœnore cœpisse debet. Argumento est consuetudo vulgi, ad sponsiones etiamnum annulo exsiliente, tracta ab eo tempore, quo nondum erat arra velocior: ut plane affirmare possimus numos ante apud nos, mox cœpisse annulos:* Et ante illum Theophrastus in quodam Fragmento, citato

tato à Casaubono ad Athenæum, ubi disputat de forma & jure contractuum: πάλαι δ' ἦσαν οἳ καὶ τὸν δραχμῶν πόσον δεῖ διδόναι, ὥσθ' τὸ πλῆθος τῆς ποινῆς μειόζονας. ἄτοπον γὰρ ἐὰν δακτύλιον δῷ τις δίκης παλαίων. Meminerunt hujus consuetudinis & Jurisconsulti, ut in l. 17. D. De præscriptis verbis: *Si quis sponsionis causa annulos acceperit, nec reddit victori, præscriptis verbis actio in eum competit.* Et l. 11. §. 6. D. De Actionibus empti & venditi: *Ego illud quæro, si annulus datus sit arræ nomine & secuta emptione pretioque numerato, & tradita re annulus non reddatur, qua actione agendum sit.* Et l. 5. §. penult. D. De Instit. Actione: *Si institor cum oleum vendidisset, annulum arræ nomine acceperit, neque eum reddat, dominum actione institutoria teneri.* Sic Xanthi & adolescentis de mari ebibendo certantium sponsionem annuli depositione confirmatam, de qua postea apud σωθηκοφύλακα pactionis præfectum, seu sequestrum disceptarint, legimus apud Maximum Planudem in vitâ Æsopi. Ad ritum hunc dandi annulos pignoris loco videtur alluisse Prudentius περὶ στεφανῶν hymno 1. in honorem Martyrum Emetherii & Cheledonii Calagurritanorum, quorum capitibus à lictore amputatis, unius annulum & orarium (intellige sudarium) alterius nube susceptum, & in cœlos evectum esse, cum indicare vellet, ita canit:

Illius fidem figurans nube fertur annulus
Hic sui dat pignus oris, ut ferunt, orarium
Quæ superno rapta flatu lucis intrant intimum.

Si qui etiam de symbolis esse volebant, annulum plerumque pro symbolo dabant ei, qui cœnam jubebatur parare. Terentius in Eunucho:

Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeo
In hunc diem ut de symbolis essemus. Chæream ei rei
Præfecimus: dati annuli: locus, tempus constitutum est.

Unde apud Lucianum in Dialogis ἐπαιρετικοῖς Mater objurgans filium Musarium, quod Chæream amasium suum nimis amaret nimisque ei fideret: Διὰ τοῦτο, ait, πρώην, σὺν ἔχοντι αὐτὸν καθεῖναι συμβολὴν δακτύλιον δέδωκας, ἀγνοούσης ἐμοῦ, ὁ δὲ ἀποδόμενος, κατέπιε. hoc est, *Et ob hoc paulo ante cum non haberet unde daret symbolum, annulum dedisti illi, me ignorante: ille vero eum vendens, potando absorbuit.*

Etsi autem alia quoque arræ loco dabantur, tamen quia frequentissimus usus obtinebat, ut annulum pro symbolo darent, veteres Grammatici ἀρραβῶς, σύμβολον exposuerunt *annulum:* quibus accedit Plinius libro jam dicto: *De nomine, ait, annuli ambigi video. Græci à digitis appellavere: apud nos prisci ungulum vocabant:*

bant: postea & Græci & nostri symbolum. Cum vero symbolum non daretur, nisi ab iis, qui præsente pecunia deficiebantur, ex eo natum proverbium de homine paupere; *Ne symbolum quidem habet*: Archippus in fabula ἡρακλῆς γάμων apud Pollucem:

Ἀνδρῶν ἄθλιος οὐ μάλις' ἐμοὶ ξένος.
Αὐτὰρ παρ' ἐμοὶ γ' ὤν, εἶχεν ἂν σύμβολον.

Unde clarum quid sibi velit Heraclitus in eximia illa ad Hermodorum epistola, cum ait: Γελάσω τὸν ἐν ξωνδείποις χυομένους ἀφ' ἁλυκύλων πλείονας. Sensus est, *non risurum se, verum fleturum potius stultitiam eorum, qui in re tenui cum sint, atque etiam fortasse egestate, nedum paupertate, convivia tamen assidue datis annulis celebrant*, ut interpretatur Isaacus Casaub. lib. 3. Animadvers. in Athenæum cap. 31. Annulos quoque antiquitus pro tessera, seu signo, in repetendo depositio, usurpatos fuisse convincit locus Plauti Bacchid. act. 2. sc. 3. v. 93.

Chry. *Annulum gnati tui*
Facito ut memineris ferre. N. quid opus est annulo? Chr. *Quia id signum est Theotimo, qui eum illi afferet, Ei aurum ut reddatur.*

Non hic prætereundus mos Atheniensium, apud quos qui judicio se provocabant, annulos invicem deponebant. Demosthenes adversus Parænetum: ὥσθ' ὑμᾶς

καλὸν μὰ σὲ ταῦλι. δέχομαι. φέρε τὸ δάκτυλον, λάβε. τίς δ' ἐγγυήσῃς; hoc est, *Hanc tibi conditionem fero. Accipio. Cedo annulum. cape. quis vero sponsor?* Pag. 993. editionis Wolfianæ. Dabantur etiam Annuli in testimonium & quasi pignus sponsionis de futuris nuptiis inter Sponsum & sponsam factæ. Juvenalis sat. 6.

Conventum tamen & pactum, & sponsalia nostra
Tempestate paras, jamque à tonsore magistro
Pecteris & digito pignus fortasse dedisti.

Et L.. *Si donatæ* D. De donationibus inter virum & uxorem. *Sponsus alienum annulum sponsæ muneri misit, & post nuptias pro eo suum dedit.* Allusit huc D. Ambrosius de Passione Agnetis: *Discede à me, quia jam ab alio amatore præventa sum, qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, & annulo fidei suæ subarravit me longe te nobilior & genere & dignitate, ornavit me inæstimabili dextrocherio, dextram meam & collum meum cinxit lapidibus pretiosis.* De hoc annulo loquitur Tertullianus in De Idololatria cap. 12. *Circa officia vero privatarum & communium solemnitatum, ut togæ puræ, ut sponsalium, ut nuptialium, ut nominalium nullum putem periculum, observari de statu Idololatriæ, quæ intervenit. Causæ enim considerandæ sunt, quibus præstatur officium. Eas mundas esse opinor per semetipsas, quia neque vesti-*

vestitus virilis, neque annulus aut conjunctio maritalis de alicujus Idoli honore descendit. Item D. Augustin. tractat. 2. in 1. Epist. Johannis. Atque hunc annulum idem Tertullianus *pronubum* vocat eumque ferreum & fuisse quidem sine gemma plerique omnes, qui hujus rei meminerunt, existimant, moti auctoritate Plinii, qui l. 32. cap. 1. *Hi quoque*, ait, *qui ob legationem acceperunt aureos, in publico tantum utebantur eis, intra domos vero ferreis. Quo argumento etiam nunc sponsæ annulus ferreus mittitur, isque sine gemma.* Ceterum Tertullianus scriptor gravissimus & antiquitatum Romanarum scientissimus, qui vix centum annis Plinio posterior, non obscure innuit, ex auro fuisse illum annulum, qui sponsæ à sponso in pignus conjugii dabatur. Ita enim in apologet. c. 6. *Circa fœminas etiam illa majorum instituta ceciderunt, quæ modestiæ, quæ societati patrocinabantur; cum aurum nulla norat præter unico digito, quem sponsus oppigneraſſet pronubo annulo.* Item Isidor. Hispalensis lib. 20. Etymolog. *Fœminæ*, ait, *non usæ sunt annulis nisi quos virgini sponsus miserat: neque amplius quam binos aureos in digitis habere solebant.* Quid vero in tam manifestâ pugnâ statuemus? Mihi certe hîc aqua hæret. Ne tamen tantæ auctoritatis scriptores inter se pugnare, aut alterutrum horum memoria lapsum temere dicamus, non contemnenda videtur conjectura

jectura doctissimi Junii, qui notis ad Tertullianum existimat, Sponsum quidem, cum sponsam sibi arrha quadam conjugare vellet, aureum illi annulum dedisse; atque hunc fuisse pronubum illum annulum, cujus arrhabone obligantur oppigneranturque maritus & uxor: Sed postea etiam ferreum gemmaque carentem, tanquam τὸ οἰκειάς symbolum, domum illi *missum esse*, idque eo argumento, quod ii etiam, qui ob legationem acceperunt aureos annulos, in publico tantum uterentur iis, intra domos vero ferreis: atque ita τὸ οἰκειακὸν sponsæ fuisse commendatum symbolo.

Neque tamen dixerim, fœminas ferreo hoc annulo domi, aureo autem in publico tantum fuisse usas. Nam & domi illos gestasse annulos aureos apparet ex Clemente Alexandrino, qui lib. 3. Pædagog. fœminis Christianis diserte hunc annulum tribuit: Δίδωσιν οὖν (ὁ Παιδαγωγὸς) αὐταῖς δακτύλιον οὐ χρυσίου, οὐδὲ τοῦτον εἰς κόσμον, ἀλλ' εἰς τὸ ἀποσημαίνεσθαι τὰ οἴκοι φυλακῆς ἄξια, διὰ τὴν ἐπιμέλειαν τὴν οἰκειάς. *Dat ergo us annulum aureum, non quidem ad ornatum, sed ad signandum ea, quæ domi custodienda sunt, propter curam domesticam, quæ illis incumbit.* Et D. Hieronymus ad Principiam Virginem, cum de fœminis, quæ se auro ornant, dixisset, *Nostra vidua*, ait, *talibus usa est vestibus, quibus arceret frigus, non membra nudaret,*

aurum

aurum usque ad annuli signaculum repudians, & magis in ventribus egenorum, quam in marsupiis recondens.

Utrum autem datio vel missio annuli sit à viro in fœminam desponsationis argumentum, Jurisconsulti disputant, quorum scrinia compilare non est nobis propositum; exempla tantum quædam afferemus Principum virorum, qui conjugii fidem annulo dato confirmatam sanctè servarunt. Ac primo occurrit nobis Justinianus Imperator, qui Antoniæ Amazonis captivæ concubitu fruitus, dato annulo spospondit, se illam in matrimonium ductu-rum, si unquam ad imperium perveniret: quod etiam fecit. Historia, sive fabula est, lectu jucunda extat apud Aimoinum lib. 2. de gestis Francorum cap. 5. his verbis: *Quadam die Justinianus & Belisarius cum coæquævis sibi lupanar ingressi, conspiciunt duas mulierculas ex gente Amazonum, sorte captivitatis abductas, inibi esse prostitutas. Eas illi rapiunt atque ad proprias domos deducunt: una earum Antonia, alia vocabatur Antonina. Et Antoniam quidem Justinianus, Antoninam vero accepit Belisarius: erantque ambæ sorores. Vna ergo dierum, Justiniano meridianis horis sub dio quiescente, cum caput in sinum suæ reclinasset amatæ, adveniens aquila, alis expansis ab ardore solis eum conabatur defendere. Intellexit mulier auspicium, quod Justiniano portendebat imperium, & experrectum tali*

voce

voce compellat virum: Oro, *inquit*, *amantissime juvenis*, *ut dum regni potitus fueris sceptris*, *non me indignam judices gratissimæ amplexibus conjugis. Illo dicente impossibile hoc esse*, *ut ipse ad culmen proveheretur imperiale*, *rogat mulier*, *ut quod illa pro certo sciebat*, *ne se inexoratum ei præberet. Quo tribuente assensum*, *factaque commutatione annulorum*, *utrinque est discessum. Sane Belisarius eique copulata Antonina eadem inierunt connubii fœdera*, *ut quia non dubitabat Belisarius adepturum se potioris honoris gradum*, *si imperio potiretur Iustinianus*, *sociam sui eam adsciisceret stratus*. Et aliquanto post, cum narrasset, quomodo Justinianus imperium adeptus esset, subjungit: *Iustinianus quoque Augustus cum magno triumpho Constantinopolim est regressus. Tunc Antonia ejus quondam amata*, *sui quondam oblita*, *sumptis quinque aureis palatium est ingressa*: *E quibus duos dedit janitoribus*, *ut sibi pateret introitus*, *tres vero tenentibus cortinam*, *ut suam permitteretur enarrare causam*: & *stans ante principem*, *hunc apud eum habuit sermonem*: *Cum scriptura dicat*, *Honor Regis judicium diligit*: & *item*; *Rex qui sedet in solio judicii*, *dissipat omne malum introitu suo. Ego clementissime Imperator*, *hæc dicta esse de te intelligens*, *fiduciam sumsi te adeundi tibique propriæ necessitatis causam exponendi. Est denique in hac civitate juvenis*, *qui mecum permutatis annulis fidem pepigit alterni amoris*,

amoris, professus, quod me sibi jungeret sub nomine legitimæ conjugis. Ob id serenitatis tuæ præsentiam adii, tui super hac re exposcens sententiam judicii. Cui imperator, si, inquit, fides est pacta, non debet fieri irrita. Quo illa audito, annulum suo detrahens digito ostendit Augusto: Videat, ait, Dominus meus cujus iste fuerit annulus. Agnoscit Princeps eum, quem dederat, annulum: jubet eam introduci in cubiculum, ornamentisque regalibus indutam, de cetero vocari & esse Augustam. Sic Otho I. Imperator ab Adelaide Lotharii IV. Italiæ Regis vidua consilio Athonis in Italiam contra Berengarium, à quo Canusi obsessa erat, vocatus, annulum ipsi & literas misit, quibus se & conditionem de promisso conjugio accipere, & mox cum exercitu adfuturum significavit, quemadmodum narrat Leo Marsicanus in Chronico Casinensi lib. 1. cap. ult. cujus verba hic adscribam: *Lothario defuncto uxor ejus Adelais ad Athonem propinquum suum sese in Canusam arcem munitissimam contulit. Interea Berengarius prædictus cum filio Alberto, strenuo valde viro, denuo regnum invadere gestiens, atque ideo reginam ipsam omnimodis capere cupiens, arcem prædictam ferme triennio obsedit. Atho interim habito cum Regina consilio nuncium ad Ottonem Saxoniæ Ducem Vngarorum tunc victoriâ inclytum mittit: qui ei, quæ circa se gerantur, omnia referat: oratque ut Italiam continuo*

tinuo petere, eosque de Berengarii obsidione liberare, Reginamque ipsam conjugem simul cum regno maturaret accipere. Prædicta arx jam fere ad deditionem hostium cogebatur, cum ecce, disponente Deo, missus à Regina nuncius rediit: & quia ob diligentissimam obsidionem nullus sibi in arcem patebat ingressus, literas & annulum, quem à Duce susceperat, sagittæ callide satis inseruit, & correpto arcu, nemine id suspicante illam in arcem misit. Tenor autem literarum hic erat: Ducem cum exercitu jam superatis Alpibus Veronam venisse, filiumque Litulphum se Mediolanum processisse: proxime illis affuturos auxilio: viriliter agerent, se de conjugio & regno voluntati illorum pariturum. Igitur Duce è vestigio adveniente. Berengario & Alberto fugatis, soluta obsidio est, duabus Berengarii filiabus captis, atque in Teutoniam terram exilio missis. Mox Adelaidis conjugium Otto sortitus: Teutonibus ex eo tempore in Italia regnandi initium fuit. Vide Carolum Sigonium lib. 6. de Regno Italiæ in actis anni nongentesimi quinquagesimi primi. Ad eundem modum majorum nostrorum ævo Maria Caroli Burgundi filia Maxæmiliano Austriaco arræ loco misit annulum, cui adamas inclusus erat, & literas, quibus illa promittebat, se nuptiis illis, ut à parente suo constitutum erat, assentiri. Quas literas cum Oratores Cæsarii una cum adamante protulissent, Maria statim nulla inter-

interpoſita mora reſpondit, & ſcriptas à ſe literas, & miſſum adamantem juſſu patris, & placere ſibi, quod tum promiſiſſet, teſte Comineo lib. 8. Commentar.

Pleroſque omnes uſus annulorum, quos hactenus recenſuimus Petrus Chryſologus accommodat annulo, quem Pater filio prodigo apud Lucam Euangeliſtam donavit. Sic enim ille ſermone v. ad hæc verba Euangelii. *Poſuit annulum in manu ejus*, ſubdit: *Annulum honoris titulum, libertatis inſigne, pignus ſpiritus, ſignaculum fidei, arram cæleſtium nuptiarum.* Quem locum mihi per literas indicavit Cl. V. Dn. Radulphus Fornerius Academiæ Aurelianenſis Anteceſſor, bene de literis meritus, cujus ut conſuetudo ante ipſos unum & triginta annos gratiſſima mihi fuit, ita ejus memoriam etiam nunc religioſè colo. Eundem vero annulum de fidei ſignaculo interpretatur B. Ambroſius in cap. 15. Lucæ, ubi de filio prodigo: *Annulus quid eſt aliud, niſi ſinceræ fidei ſignaculum & expreſſio voluntatis.*

Sed priuſquam ab annulis ſponſalitiis diſcedo, non poſſum quin hîc hiſtoriam narrem de novo quodam marito, quem annulo hujuſmodi male aſſervato, faſcinatum fuiſſe, ſcribit Wilhelmus Malmesburienſis lib. 2. de geſtis Regum Anglorum cap. 13. pag. 86. Verba ejus hæc ſunt: *Verum ut Romam revertar, ejuſdem urbis civis ephebus ætate, locuples opibus, genere Sena-*

Senatorio sublimis, uxorem noviter duxerat, sodalibus suis accitis, convivium frequens paraverat. Post cibum cum minutioribus poculis hilaritatem invitassent, in campum prodeunt, ut oneratos dapibus stomachos vel saltu, vel jactu, vel aliquo exercitio attenuarent. Ipse rex convivii, ludi signifer, pilam poposcit, interim annulum sponsalitium digito extento statuæ æreæ, quæ proxime adstabat, composuit. Sed cum pene omnes solum impeterent, suspirioſus extis incalescentibus, primus se à lusu removit; annulum repetens invenit statuæ digitum usque ad volam curvatum. Diu ibi luctatus, quod nec annulum ejicere, nec digitum valeret frangere, tacite discessit, re sodalibus celata, ne vel præsentem riderent, vel absentem annulo privarent. Ita nocte intempesta, cum famulis rediens, digitum iterum extentum, & annulum subreptum miratus est. Dissimulato damno novæ nuptæ blanditiis delinitus est. Cumque hora cubandi veniisset, seque juxta uxorem collocasset, sensit quiddam nebulosum & densum inter se & illam volutari, quod posset sentiri, nec posset videri. Hoc obstaculo ab amplexu prohibitus, vocem etiam audivit: Mecum concumbe: quia hodie me desponsasti. Ego sum Venus, cujus digito apposuisti annulum, habeo illum, nec reddam. Territus ille tanto prodigio, nihil referre ausus est, nec potuit: insomnem illam noctem duxit, tacito judicio rem examinans. Elapsum est in hoc multum

tem-

tempus, ut quacunque ille hora gremio vellet conjugis incumbere, illud idem sentiret & audiret: alias sane valens, & domi aptus & militiæ. Tandem querelis uxoris commonitus, rem parentibus detulit. Illi habito consilio, Palumbo cuidam suburbano presbytero negotium pandunt. Erat is Necromanticis artibus instructus, magicas excitare figuras, dæmonas territare, & ad quodlibet officium impellere. Pactus ergo grande mercimonium, ut, si amantes conjungeret, multo ære fulciret marsupium, in omne se ingenium novis artibus excitavit, compositamque epistolam juveni dedit: Vade, inquiens, illa hora noctis in compitum, ubi se findit in quadrivium, & stans tacite considera; transient ibi figuræ hominum utriusque sexus, omnis ætatis, omnis gradus, omnis postremo conditionis, quidam equites, quidam pedites, alii vultum in terram dejecti, alii tumido supercilio elati, & prorsus quicquid ad lætitiam vel tristitiam pertinet, in eorum videbis & vultibus & gestibus: nullum eorum compellabis, etsi loquantur tecum: sequetur illam turbam quidam reliquis statura procerior, formæ corpulentior, curru sedens: huic tacitus epistolam trades legendam; fiet è vestigio quod voles. Fac tantum præsenti animo sis. Aggreditur ille iter præceptum, & nocte sub divo astans, fidem dictorum presbyteri visu explorat. Nihil enim fuit, quod minus promissis desideraret. Inter ceteros quoque transeuntes

euntes vidit mulierem ornatu meretricio mulam inequitantem: crinis ſolutus humeris involitabat, quem vitta aurea ſuperne conſtrinxerat: in manibus aurea virga, qua equitaturam regebat, ipſa pro tenuitate veſtium pene nuda, geſtus impudicos exequebatur. Quid plura? ultimus, qui dominus videbatur, oculos terribiles in juvenem exacuens, ab axe ſuperbo ſmaragdis & unionibus compoſito cauſas adventus exquirit. Nihil ille contra, ſed protenta manu porrigit epiſtolam. Dæmon notum ſigillum non auſus contemnere, legit ſcriptum, moxque brachiis in cœlum elatis: Deus, inquit, omnipotens, in cujus conſpectu omne peccatum eſt fœtor, quamdiu pateris nequitias Palumbi presbyteri? Nec mora, ſatellites à latere ſuo miſit Diabolus, qui annulum extorquerent à Venere, illa multum tergiverſata, vix tandem reddidit. Ita juvenis voti compos, ſine obſtaculis potitus eſt diu ſuſpiratis amoribus. Sed Palumbus, ubi Dæmonis ad Deum de ſe clamorem audivit, finem dierum ſibi præſignari intellexit. Quocirca omnibus membris ultro truncatis, miſerabili defunctus eſt pœnitentia, confeſſus Papæ coram populo Romano inaudita flagitia. Acciderunt hæc temporibus Gregorii 6. Papæ.

Neque tamen annulus ab amantibus dono datus ſemper erat conjugii ſymbolum: ſed interdum amoris tantum aucupium. Talis enim fuit ille, quem Paleſtrio Militi detulit apud Plautum in Milite

lite Act. 4. Sc. 1. verſ. 2.

Pal. *Hunc arrhabonem amoris primum à me accipe.*

Pyrg. *Quid hic? unde eſt?* Pal. *à luculenta atque feſtiva fœmina*
Quæ te amat, tuamque expetiſſet pulchram pulchritudinem:
Ejus nunc mihi annulum ad te ancilla, porro ut deferrem, dedit.

Nec alio fine Pamphilus annulum Philumenæ per vim detractum Bacchi meretriculæ donavit, apud Terentium in Hecyra Act. 5. Sc. 3. Quomodo & Ovidius amicæ ſuæ annulum dono miſit lib. 2. Amor. Eleg. 15. Et quando de amantibus mentio incidit, alium quoque illorum morem circa annulos indicabo. Solebant enim illi annulos, quos amicæ digitis geſtabant, inſpicere & oſculari. Ennianum illud apud Iſidorum lib. 1. Originum capite 26. ita capio, ſive Nævii eſt in Tarentilla, cui Feſtus id videtur tribuere. Verſus hi ſunt:

Alium tenet, alii nutat, alibi manus
Eſt occupata: alii perpellit pedem:
Alii annulum dat ſpectandum à labris.

Apud Plautum quoque in Aſinaria, inter ceteras leges amicæ præſcriptas, & hæc conditio ab amaſio refertur in ſyngraphum:

Spectandum ne cui annulum det, neque roget,

In-

Innuit idipsum & Tibullus lib. 1. Eleg. 6.

Sæpe velut gemmas ejus signumque probarem,
Per causam memimi me tetigisse manum.

Quid? quod improbi amatores annulos & armillas per lasciviam amicis plane detrahebant. Terentius Hecyra Act. 4. Sc. 1. de Phamphilo:

Ipse eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens annulum.

Et Act. 5. Sc. 3.

Homo se fatetur, vi in via, nescio quam compressisse,
Dicitque sese illi annulum, dum luctat, detraxisse

Pacuvius apud Festum:

Repugnanti ego porro huic vi detraxi ungulum.

Horat. lib. 1. od. 9.

Pignusque direptum lacertis,
Aut digito male pertinaci.

CAP. XIX.

De Veneta Sponsaliorum maris ratione: Quæ ejus origo.

ANnulus sponsalitius, cujus in præcedenti capite facta mentio est, aurem mihi vellit, & admonet, ne hic præteream Venetorum consuetudinem, quorum Dux die Ascensionis Dominicæ, quo nundinæ Venetiis celebrantur, Thalamego

mego inaurata, & sculpturis picturisque insignibus exornata, quam Bucentaurum vocant (in Synodo Florentina Πεντηκόρος dicitur) vectus cum magna pompa splendidoque procerum comitatu, ex urbe ad Adriatici maris præcipuum portum (*al Lio* appellant) quotannis proficiscitur: ubi certis tum ceremoniis Thetidi Adriaticæ sponsaliorum arrham, annulo aureo mari injecto, solvit. Origo hujus ritus hæc esse perhibetur. Ajunt Alexandrum III. Pontificem cum à Friderico I. Imperatore è fastigio Pontificiæ dignitatis dejectus atque proscriptus, nullum sibi tota Italia locum tutum esse relictum cerneret, ignoto habitu Venetias profugisse, & in monasterio Publicæ Charitatis dissimulata, quam gerebat, persona, ad sordidum culinæ ministerium, ut occultius lateret, se ultro demisisse: quem aliquanto post nescio cujus indicio cognitum Dux Zianus non solum benigne excepit, sed & pacis cum Friderico jungendæ & recuperandæ dignitatis spem ipsi fecit. Missi igitur ad Imperatorem legati, qui pro Pontifice intercederent: verum is ad mentionem pacis cum Papa ineundæ adeo excanduit, ut bellum illis denunciaret, nisi hostem & fugitivum hominem primo tempore ad se sub custodia vinctum miserint. Sed cum Veneti obtemperare recusarent, Imperator filium Othonem suum cum quinque &

ſeptuaginta longis navibus ad invadendam illorum civitatem, perſequendumque Pontificem mittit: cui obviam factus Zianus Dux, in claſſem Imperatoriam impetum fecit, eaque poſt aliquot horarum prælium partim capta, partim fuſa fugataque, ipſum Othonem cum multis illuſtribus viris cepit, & Venetias ſecum adduxit. Hoc felici ſucceſſu lætus Pontifex Ziano è pugna reduci primo victoriam gratulatus, inde annulum porrigens aureum: Accipe, inquit, Ziane, & me auctore ipſum mare hoc tibi pignore obnoxium reddito; quod tu tuique ſucceſſores quotannis ſtato die ſervabitis: ut omnis poſteritas intelligat, maris poſſeſſionem jure belli veſtram eſſe quandoque factam: atque ut uxorem viro, ita illud veſtro ſubjacere imperio: ut uſurpem verba Sabellici, qui hiſtoriam hanc lib. 7. decadis primæ memoriæ prodidit. Sed cum Anno 1602. ipſemet hanc ſolemnitatem una cum nobiliſſimo & ampliſſimo D. Franciſco Witzendorfio Reip. Luneburgenſis Senatore optimo oculis meis viderim, temperare mihi non poſſum, quin ejus uberiorem deſcriptionem afferam ex lib. 2. Venetiarum Germani Audeberti, qui his illam verſibus expreſſit:

Venerat ille dies, quo Chriſtus ab æthere ſummo
Virginis intactæ caſtam demiſſus in alvum

Vt

Vt morte insonti fusoque cruore piaret
Humanas maculas, labemque aboleret avitam:
Mortalis vitæ post non mortalia facta
Deformi, immerita & crudeli morte peremptus,
Morte triumphata, domito divinitus Orco,
Mirando adscensu patrium repetivit olympum.
Illo mane die, roseis ubi lutea bigis
Tithoni conjux rutilantia protulit ora
Phœbusque Oceano currus eduxit Eoo,
Haud mora, conveniunt proceres ad principis aulam,
Quem primum solito patrum de more salutant,
Mox pompæ accingunt, magna comitante caterva.
Ante Sacerdotum graditur longissimus ordo
Divinas sacris mulcentum vocibus auras.
Argutæ auditur citharæ concentus, & oris,
Mox acris lituûm sonitus, clangorque tubarum.
Vexilla ante Ducem discreta colore feruntur.
Alba notant pacem: bellum saturata cruore
Purpureo: nitidum violæ mentita colorem,
Cæruleive sali, pacis sunt signa sequestræ.

Album insigne præit, si pax: quod tingitur ostro,
Si fera bella fremunt: Conchyli murice fulgens
Et Veneta sanie, ad tempus quando arma quiescunt,
Vique sibi præeunt, variantia tempora signant.
Præterea videas Ducibus data munera quondam
Pontifice à summo, sellam, pulvinar & ensem
Umbellamque auro rutilantia singula duro.
Tum demum simili circumradiante metallo
Ornatus trabea, & prolixo syrmate Princeps
Carbaseoque sacram cinctus velamine frontem,
Purpura quod fulvo decorat circundata limbo
Aversa cornu referens in parte recurvum,
Regum oratores inter, gravitate serena
Incedit medius, proceres quem pone sequuntur,
Incanique Patres, urbis decora alta superbæ,
Ceteraque Augusti series delecta Senatus.
Proxima magnifica ducunt ad littora pompa
Induti infectas iterato murice vestes.

Hi

Hi molli Æthiopum in silvis è vellere carptas,
Depexas alii Scythicorum ex arbore Serum,
Quas Arabum dicas bombycum tenuia fila,
Arte laborata & variis distincta figuris:
Ars mira & veteri non unquam incognita seclo,
Vt nec tam tenues deducat aranea telas.
Vt litus tetigere maris, portumque petitum,
Ilicet Hadriacam conscendunt protinus Argo
Vrbis opus, (Grajo de nomine Bucentaurum)
Dux & Patricii, Regumque Ducumque potentum
Legati illustres, pars non inglorius cœtus.
Nec mora, considunt transtris quino ordine nautæ,
Pronique adducti findunt vada sala lacertis,
Remorum æquato libramine & æquora verrunt
Certatim: verso canescunt marmore fluctus,
Et diducta crepant stridenti cærula rostro.
Tum procul ex oculis ablata recedere tellus,
Summaque celsarum rarescere tecta domorum

Nec non aëriæ ſenſim ſe abſcondere turres.
Centauro invehitur magna Dux ipſe, ſenatuſque
(Hinc atque hinc illam gemina ſtipante triremi
Ad ſubitos motus armiſque viriſque referta)
Agmine remorum: donec rumore ſecundo
Auſpicibuſque Deis tandem delatus in altum eſt.
Conſiſtit pinus, preſſas ubi ſenſit habenas:
Dente velut fixo firmam tenet anchora navem.
Implorant Superos, ut ſint felicia vincla
Conjugii ſtabilis Neptuni numine amico.
Finitis precibus cunctiſque faventibus ore,
Stans celſa in puppi Princeps gravitate verendus
Summis ſplendentem digitis ſimilemque cadenti
Oſtentans auro concluſam divite gemmam,
Hæc ait: IN SIGNUM IMPERII VERI ATQUE PERENNIS
(Nam memini atque animo ſolemnia verba notavi)
HAC GEMMA ÆTERNUM MIHI TE DESPONDEO DORI.
Quæ rata Rex pelagi nutu connubia firmat,
Hunc que ſibi generum Thetis emit omnibus undis.

Prin-

Principis è manibus cum dicto emissus amaras
Annulus intrat aquas: nautarum turba natandi
Consulta insequitur, scrutatoresque profundi
Prælia pro jacto miscent sub fluctibus auro.
Sic ubi venator deprensi viscera cervi
Quem clamore premens, canibusque ad retia pulsum
Straxit humi multo fundentem sanguine vitam,
Euge, Euge ingeminans, canibus partitur anhelus:
Illi inter sese certantes rapta revellunt
Mordicus & rostro discerpunt frusta cruento,
Obnixe ardentes, villisque horrentibus urgent.
Vrinatorum certamine pulsa resultant
Littora: juncta premit cymbam sibi cymba propinquam
Et sub contiguis latet æquoris unda phaselis.
Antiqui ritus (neque enim levis hujus origo est)
Pluribus ignotam si vis cognoscere causam,
Expediam paucis, ne res ludicra putetur.
Præsul Alexander Romanæ tertius urbis
Ænobarbi armis solio depulsus ab alto,
Quo fugeret dubius, cui se committeret oræ,

Præ reliquis Venetum prudens elegit asylum,
Illinc certa salus profugo & victoria fusis
Hostibus à magno navali Marte Ciano.
Quo duce captus Otho Frederici Martia proles,
Captivas gemuit, mergique trahique triremes
Quadraginta octo, disjectamque æquore classem,
Et se magnifico duci potuisse triumpho.
Excepere Ducem festis applausibus omnes,
Et reducem amplexi, versis ad sidera palmis,
Supremo grates meritas egere Tonanti,
Qui scelerum vindex insanos fregerit ausus.
Tum pius Antistes, grato spectabilis ore,
Inclite Dux, inquit, si quod nomenque decusque
In terris gerimus, nobis auctoribus isto
Pignore (de solido pignus fuit annulus auro)
Desponsa caram superi maris Amphitriten,
Annuaque instaurent venturi pacta nepotes.
His pelagi imperium sponsalibus accipe dextrò
Sidere sitque tuæ virtutis reddita merces.
Dixit: & obtestans Divos rata vota precatur.

Fœ-

Fœdere percuſſo, celebratis rite Hymenæis,
Ilicet obverſi, tendunt ad litoris oram
Divi Nicoleos in ſignem nomine & æde
Antiqua ſaxo longam teſtante ſenectam.
Hic Venetus vitta crines circumdatus alba
Publica vota facit ſummo Patriarcha parenti.
Mox fuſis precibus ſacriſque ex more peractis,
Ingentem repetunt Centaurum Duxque Patreſque
Lectorumque cohors comitum: freta cærula torquent.
Protinus adnixi magno conamine nautæ,
In lento validos curvantes æquore remos:
Hinc rauco fremitu præfracta remurmurat unda,
Dum ſibi reſpondent parili moderamine tonſæ,
Vncta vagis abies celeri pede labitur undis.
Non tam præcipiti per plana, per ardua curſu
Corripuere viam repetita in verbera proni,
Dulcis Olympiacæ tetigit quos gloria palmæ:
Nec ſic raſit iter rapidis Schæneia plantis,
Alite nec curſu victor Megareius heros.
Incipiunt humiles ſenſim ſe attollere turres,

Vrbs aperire ſinum, propiuſque accedere moles.
Tum portu accepti repetunt regalia tecta,
Tecta renidenti ſplendentia marmore & auro,
Ignibus æthereis rutila certantia luce.
Interiora domus variis animata figuris
Herôum expreſſos videas oſtendere vultus.

Verum hîc ſubſiſtimus: ne in exſcribendo modum excedamus. Faciunt autem hujus ſolemnitatis mentionem præter eos, quos jam laudavi, etiam Stephanus Forcatulus lib. 3. de Gallor. Imperio & Philoſophia. Salmuthus in Guidonis Pancirolli librum Rerum jam olim deperditarum capite de Armamentariis. Contarenus lib. 2. de Repub. Venetorum. Martinus Cruſius lib. 5. Germanogræciæ. cap. 2. Notis ad Gratulationem 12. Kornemanus in 3. parte Templi Naturæ hiſtorici Conſideratione 17. qui omnes uno fere ore teſtantur, Venetos ad denotandum maris Adriatici dominium, quod ſibi arrogant, hanc conſuetudinem uſurpare. Utrum vero Pontifex Romanus illis hoc dominium donaverit, aliis diſputandum relinquo. Mihi vero hoc loco in mentem venit argutum & mordax reſponſum Hieronymi Donati Legati Veneti, qui per jocum ab Alexandro Borgia Pontifice ejus nominis VI. interrogatus, unde hoc maris imperium accepiſſent, reſpon-

ſpondiſſe fertur : Oſtendat mihi Veſtra Sanctitas inſtrumentum patrimonii S. Petri, & à tergo ſcriptam inveniet conceſſionem factam Venetis maris Adriatici : ut refert Sebaſtianus Monticulus in tractatu de patria poteſtate pag. 54. Non diſſimile eſt, quod Ampliſſimus & CL. Dn. Philippus Camerarius narrat, ſe à fide dignis audiviſſe, Venetos ante aliquot annos à Pontifice Romano, poſtquam ille Anconam in ſuam poteſtatem redegerat, interpellatos fuiſſe, quo jure vectigalia, & alias juriſdictiones in mari Adriatico ſibi ſolis vendicarent, cum tamen nulla privilegia hac de re monſtrare, neque jus ſuum docere legitime poſſent. Ad hanc rem eos & quidem argute reſpondiſſe; Se mirari quod iſta privilegia peterentur demonſtrari, quæ Pontifices ipſi penes ſe jam pridem & quidem arcethypa, tanquam rem ſacram, diligentiſſime in ſuis archivis cuſtodirent, eaque facile reperiri poſſe, ſi Donationis Conſtantini membranæ pars exterior, in qua ea majuſculis literis conſcripta eſſent, accuratius inſpiceretur. lib. 1. Meditat. hiſtor. cap. 71. Concludam hoc caput cum Johanne Ignæo Jureconſulto Pontificio in Repetit. L. donationes n. 21. in fin. C. de Donat. inter Vir. & ux. ubi belle & argute ſcribit, In Donatione Conſtantini cæcos aliquid vidiſſe, ſurdos audiviſſe & mutos locutos eſſe, Ern. Cothm. da Cod. l. 1. Tit. 1. n. 106.

CAP. XX.

De usu annulorum in Episcoporum investitura. Ejus origo à Carolo magno. Bella super hac re inter Imperatores & Pontifices gesta. Ipsum pontificem quoque à Friderico Barbarossa per annulum investitum. Annulum etiam in Impp. inauguratione adhibitum. Feuda per annulum confirmata.

VErum age, dicamus etiam de usu annulorum in Episcoporum investituris: Cujus moris ante Caroli M. tempora nullum reperio apud scriptores vestigium. Postquam vero is ab Adriano Pontifice Rom. contra Longobardos Italiam infestantes ac ferrum urbi servitutemque minitantes in auxilium vocatus, Desiderium ultimum ipsorum Regem, cum uxore & liberis Italia expulit, ac eorum, quæ bello ceperat, maximam partem Ecclesiæ Romanæ, cui erepta erant, restituit, in universali Synodo, Romæ à centum & quinquaginta tribus Episcopis & Abbatibus habita, decretum fuit, ut Carolus Magnus jus & potestatem eligendi Romanum Pontificem, ordinandique sedem Apostolicam haberet, & insuper Archiepiscopi Episcopique per singulas provincias ab eo investituram acciperent: ut præter Canonem *Adrianus* Distinct. 63. testatur. Sigebertus in actis anni 723. Walthramus Naumburgensis Episcopus in libro de Episcoporum investitura. Martinus Polonus

nus in Chronicis. Marsilius Patavinus de Translatione Imperii cap. 8. Sigonius l. 4. de Regno Italiæ. Hoc jus postea fuit Othoni I. Imp. à Leone VIII. Pontifice confirmatum, cujus Bulla super hac re extat C. *In Synodo* Distinct. 63. quam non pigrabor hîc adscribere: Ea vero sic habet: *Ad exemplum B. Hadriani Apostolicæ sedis antistitis, qui domino Carolo victoriosissimo Regi Francorum & Longobardorum Patriciatus dignitatem ac ordinationem Apostolicæ sedis & investituram Episcoporum concessit; Ego quoque Leo Episcopus, servus servorum* DEI, *cum toto clero ac Romano populo constituimus, & confirmamus & corroboramus, per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus atque largimur Domino Othoni primo Regi Teutonicorum ejusque successoribus hujus regni Italiæ in perpetuum facultatem eligendi successorem, atque summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiscopos, seu Episcopos ut ipsi ab eo investituram accipiant & consecrationem, unde debent: exceptis his, quos Imperator Pontificibus & Archiepiscopis concessit. Et ut nemo deinceps cujusque dignitatis vel religiositatis eligendi vel Patricium vel pontificem summæ sedis Apostolicæ, aut quemcunque Episcopum ordinandi habeat facultatem, absque consensu ipsius Imperatoris (quod tamen fiat absque omni pecunia) & ut ipse sit Patricius & Rex. Quod si à clero & populo quis eligatur*

gatur Episcopus, nisi à supradicto Rege laudetur & investiatur, non consecretur. Si quis contra hanc regulam & Apostolicam auctoritatem aliquid molietur, hunc excommunicationi subjacere decernimus: & nisi resipuerit, irrevocabili exitio puniri vel ultimis suppliciis affici. Videatur & Walthramus Naumburgensis Episcopus De Investitura Episcop. Masilius Patavinus De Translatione Imperii cap. 10. & in Defensore pacis part. 2. cap. 28. Theodoricus à Niem. lib. 1. Sigonius lib. 7. de Regno Italiæ.

Inter alia autem Investituræ hujus sacerdotalis solemnia etiam Annulum fuisse usurpatum reperio, quem una cum baculo Imperator aut Rex tanquam certum symbolum mittere solebat illi, cui beneficium aliquod volebat conferre. Ganguinus lib. 4. in vita Caroli Magni, cujus erga Pontificem merita cum recensuisset, mox subjungit: *Quibus beneficiis ut Pontifex gratiæ aliquid rependeret, Carolum multis ornavit privilegiis: Quorum illud maximum fuit, donare Ecclesias idoneis Sacerdotibus posse: id à Sacerdotibus Investitura vulgo appellatur: qua sine Ecclesiam, vel, ut nunc loquimur, beneficium nemo possidebat. Recipiebat enim à Rege, qui beneficium adepturus esset, annulum vel simile quippiam, argumentum scilicet Regiæ in eum gratitudinis. Interest enim regum nosse, qui majores maxime Ecclesias administrent, quarum*

rum ipsi tutores sint. Et ante ipsum Willielmus Malmesburiensis de Rebus gestis Anglorum lib. 2. in oratione Gregorii VI. Pontificis Maximi : *Laudatus est olim prædicandæ memoriæ prædecessor noster Adrianus primus, quod investituras Ecclesiarum Carolo Magno concesserit, ita ut nullus electus consecretur ab Episcopo, nisi prius à rege insigniretur & annulo & baculo.* Quando autem casu veniebat, ut Episcopus sive Abbas moreretur, tunc Principes ac primores ejus Collegii aut civitatis annulum ac virgam pastoralem defuncti ad aulam Imperatoris transmittebant, qui postea sacra illa insignia, cuicunque vellet, conferebat. Andreas Abbas, postea Bambergensis Episcopus, de vita S. Othonis l. 2. cap 5. & 6. *Nec multo post annulus & virga pastoralis Bremensis Episcopi ad curtem Regiam perlata est. Hoc siquidem tempore Ecclesia liberam electionem non habebat, sicut postea sub Henrico V. mediante piæ memoriæ Calliste papa, actum est; Sed mox capitane civitatis illius, annulum & virgam pastoralem ad Palatium transmittebant; sicque regia auctoritas, communicato cum Aulicis consilio, orbatæ plebi idoneum constituebat Præsulem. Itaque cum ut diximus, virga pastoralis & annulus Episcopi Bremensis Imperator offerretur: mox ille accersito unice dilecto sibi Othone, munera hæc ei conservanda tradidit. Post paucos vero dies, rursum annulus & virga pastoralis Ruperti Babeber-*

bebergenſis Epiſcopi Domino Imperatori tranſmiſſa eſt.

Cur autem per Annulum & Baculum Epiſcopatus & Abbatiæ tradantur, ejus rei non unam cauſam reperio à ſcriptoribus aſſignari. Canon 9. Concilii Aquisgranenſis Tomo 3. Conciliorum: *Sacerdoti, dum conſecratur, datur Baculus, ut ejus judicio ſubditam plebem vel regat vel corrigat, vel infirmitates infirmorum ſuſtineat: Datur & Annulus propter ſignum Pontificalis honoris, vel ſignaculum ſecretorum. Nam multa ſunt, quæ ab oculis carnalium minuſque intelligentium occultantes ſacerdotes quaſi ſub ſignaculo condunt, ne indignis quibuſque ſacramenta Dei aperiantur.* Sed aliam & meo quidem animo elegantiorem affert CL. Dn. Rittershuſius noſter in partitionibus Feudalibus cap. 8. *Epiſcopatus antiquo jure Gallico per annulum & virgam tradebantur*: *Eoque baculo ſive pedo paſtorali officii ſui admonentur Epiſcopi, quod gregem Dominicum paſcere debeant: ſicut annulo admonentur, quod deſponſata ſit ipſis Eccleſia, cui fidelem curam impendere debent.* Quare etiam, ſi quando uſu veniebat, ut propter delictum aliquod è gradu dejicerentur, tunc annulum hunc, quo erant inveſtiti, deponere cogebantur. Petrus Diaconus lib. 4. Chron. Caſinenſis cap. 123. ubi agit de depoſitione Abbatis Rainaldi: *Sic illorum juſſu, aſtantibus omnibus, virgam & annulum & re-*

& regulam supra corpus sanctissimi Benedicti deposuit. Et si dejectus à gradu innocens reperiebatur, eundem annulum ab Episcopo coram altari recipiebat. Concilium Toletanum 4. cap. 27. Tomo secundo Conciliorum: *Episcopus, Presbyter aut Diaconus si à gradu suo injuste dejectus in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altari de manu Episcoporum: si Episcopus est, orarium, annulum & baculum.* Hujusmodi fuerunt procul dubio 16. *illi annuli pontificales boni & magni, de Robino unus & impositis aliis gemmis minutis, de smaragdo unus, de sapphiro unus, de Topazio unus,* quos inter Κειμήλια Ecclesiæ Moguntiacæ recenset Conradus Episcopus in Veteri Chronico Rerum Moguntiacarum, quod extat Tomo Historicorum Germanorum à Justo Reubero editorum, pag. 450. & seqq. Non inconveniens esse videtur, inserere hic censuram viri religiosi, Petri Blesensis, de gestatione annulorum in Abbate, quæ extat epistolâ XC. *Retulit mihi quidam nuncius vester, qualiter Dns. Papa vos mitrâ proprii capitis, & aliis ornamentis episcopalibus insignivit. De benedictione gaudeo: sed insignia Episcopalis Eminentiæ in Abbate nec approbo, nec accepto. Mitra enim, & annulus, atque sandalia in alio, quam in Episcopo, quædam superba elatio est, & præsumptuosa ostentatio libertatis.*

Et

Et aliquanto post : *Putatis in susceptione mitræ, sandaliorum, & annuli vestri monasterii dignitatem plurimum promovisse: In his tamen nihil video, nisi inobedientiæ malum, seminarium odii, tumorem elationis, & superbiæ ventum.*

Verum hîc præterire non possum, super Investitura Episcoporum gravissima inter Imperatores & Pontifices Rom. non modo dissidia, sed & bella exorta esse; dum illi quidem vetusta jam consuetudine (ut Paulus Æmilius loquitur lib. 5. in vita Philippi I.) scipionem sacrum annulumque pastoralem Episcopis ceterisque patribus dabant, eamque sacrarum dignitatum vestituram, juraque regia appellabant; hi vero omni studio & contentione impedire conabantur, ne Episcopi de seculari manu investituram acciperent, nefas esse rati, Imperatores, qua ensem dextra stringant bellaque gerant, eadem annulum sacrum & contrectare & arbitratu suo induere Pontificum Patrumque digito ac manibus, quæ sacrosanctum Christi corpus tangant. Tandem vero post longam concertationem Henricus V. Imp. à Paschali II. Pontifice decretum obtinuit, quo sibi jus investiendi Episcopos per annulum & Baculum de novo asseruit. De qua re scriptor Anglicanus Matthæus Paris Monachus Albonensis historia Anglor. in Wilhelmo Primo, Anno 1112. his verbis: *Facta est contentio Romæ*

Romæ inter Papam Paſchalem & Henricum Imperatorem hac de cauſa: Imperator uti voluit privilegio anteceſſorum, habito annis trecentis ſub Romanis Pontificibus ſexaginta, qui licite dederant Epiſcopatus & Abbatias per annulum & Baculum paſtoralem. Econtra cenſebant Romani Pontifices nec poſſe nec debere dari per virgam vel Annulum Epiſcopatum, vel aliquam inſtitutionem Eccleſiaſticam à manu recipere Laicali. Facta eſt pax inter Imperatorem Henricum & Papam Paſchalem, ita ut Epiſcopi deinceps & Abbates inſtitutionem accipiant ab Imperatore & ſuis ſucceſſoribus per virgam & annulum, & prius faciant Epiſcopo, ad quem pertinent, Canonicam obedientiam & conſecrationem accipiant conſuetam. Eadem tradit Sigebertus in Chronico ſub Actis Anni 1111. *Rex Henricus Romam vadit propter ſedandam diſcordiam, quæ erat inter Regnum & Sacerdotium, quæ cæpta à Papa Gregorio VII. qui & Hildebrandus nominatus eſt, & excogitata à ſucceſſoribus ejus Victore & Vrbano & præ omnibus à Paſchali, magno ſcandalo erat toti mundo. Rex autem uti volens auctoritate & conſuetudine & authoralibus privilegiis Imperatorum, qui à Carolo Magno, qui poſt de Regibus Francorum imperavit Romanis, jamque per trecentos & eo amplius annos imperaverant ſub* LXIII. *Apoſtolicis, dabat licite Epiſcopatus & Abbatias & per Annulum & per*

& per virgam. Contra hanc majorum auctoritatem censebant Papæ Synodali judicio, non posse nec debere dari per virgam vel annulum Episcopatum aut aliam Ecclesiastici juris investituram à Laicali manu. Et quicunque ita Episcopatum aut aliam Ecclesiastici juris investituram accipiebant, excommunicabantur. Propter hanc præcipue causam Rex Romam tendebat, & si qui Longobardorum quoquo modo ei resistere volebant, potenter eos proterebat. In reconciliatione autem, quæ facta est inter Imperatorem & Papam, (nam ipsum Papam cum Episcopis & Cardinalibus ceperat) die Paschæ Henrico in Imperatorem coronato post lectum Euangelium tradidit ei Papa ante altare Apostolorum Petri & Pauli in oculis omnium Principum privilegium de investitura Episcopatuum vel Abbatiarum tam per Annulum, quam per virgam, scilicet ut Regni ejus Episcopis vel Abbatibus libere præter violentiam & Simoniam electis, investituram virgæ & Annuli conferat: post investitutionem vero canonice consecrationem accipiat ab Episcopo, ad quem pertinuerit, &c. Verba autem Decreti hujus Pontificalis, ut à Wilhemo Malmesburiensi libro 5. recitantur, hæc sunt: *Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, Chariſſimo in Christo filio, & per Dei omnipotentis gratiam Romanorum Imperatori Augusto* HENRICO *salutem & Apostolicam benedictionem. Regnum ve-*

vestrum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cohærere divina dispositio constituit. Prædecessores siquidem vestri probitatis & prudentiæ amplioris gratia Romanæ urbis coronam & Imperium consequuti sunt. Ad cujus videlicet coronæ & Imperii dignitatem tuam quoque personam, Fili charissime HENRICE, *per nostri Sacerdotii ministerium Majestas divina provexit. Illud igitur dignitatis privilegium, quod prædecessores nostri vestris prædecessoribus Catholicis Imperatoribus concesserunt & privilegiorum paginis confirmaverunt, nos quoque tuæ dilectioni concedimus & præsentis privilegii pagina confirmamus, ut Regni tui Episcopis vel Abbatibus liber præter violentiam vel Simoniam electis, investituram virgæ & Annuli conferas: post investitionem vero canonice consecrationem accipiant ab Episcopo, ad quem pertinuerit. Si quis autem à Clero vel Populo præter assensum tuum electus fuerit, nisi à te investiatur, à nemine consecretur, exceptis nimirum illis, qui vel in Archiepiscorum vel in Romani Pontificis solent dispositione consistere. Sane Archiepiscopi vel Episcopi libertatem habeant à te investitos Episcopos vel Abbates canonice consecrandi.* Videatur & Sigonius lib. 10. de Regno Italiæ pag. 248.

Ceterum cum Calixtus II. Pontifex hoc Paschalis decretum ratum habere nollet, quod ipse Paschalis statim revocaverat, tanquam vi extortum, Imperator

tor Henricus V. ejus minis & excommunicatione territus exemploque patris motus, investituram Episcoporum & aliorum Prælatorum per annulum & baculum Pontifici resignavit, Pontifex vero rursus Imperatori investituram Episcoporum Prælatorumque per sceptrum concessit: atque ita lis inter sacerdotium & Regnum tum temporis sopita est, ut tradit Abbas Urspergensis in Chronic. Robertus Abbas Montensis Appendice ad Sigeberti Chronographiam anno 623. Otto Frisingensis lib. 7. Chronic. cap. 16. Gotfridus Viterbiensis in Panth. part. 17. pagina 502. & 506. Marsilius Patavinus in Defensore Pacis part. 2. capite 26. Leopoldus de Bebenburg Episcopus Bambergensis de Zelo veter. Principum Germaniæ cap. 8. Krantzius lib. 3. Saxon. cap. 4. Nauclerus Generat. 37. Sed satius est rem omnem ex ipsius conventionis formula exponere, quam ex Willielmi Malmesburiensis lib. 5. de Rebus gestis Ang'orum (apud hunc enim locupletior extat, quam apud alios) describemus:

HENRICI V. IMPERATORIS CONSTITVTIO DE ELECTIONE ET INVESTITVRA EPISCOPORVM ET ABBATVM, PVBLICATA IN COMITIIS WORMATIENSIBUS:

Ego HENRICVS Dei gratia Romanorum Imperator Augustus pro amore Dei & Romanæ sanctæ Ecclesiæ & Domini

mini Papæ Calixti & pro remedio animæ meæ dimitto Deo & ſanctis ejus Apoſtolis Petro & Paulo, ſanctæque Catholicæ Eccleſiæ omnem inveſtituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis, quæ in Regno vel Imperio meo ſunt, canonicam fieri electionem & liberam conſecrationem. Peſſeſſiones & Regalia B. Petri, quæ à principio hujus diſcordiæ uſque in hodiernum diem, ſive tempore Patris mei, ſive etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtituo: quæ autem non habeo, ut reſtituantur fideliter juvabo. Poſſeſſiones etiam omnium aliarum Eccleſiarum & Principum & omnium aliorum tam Laicorum quam Clericorum, quæ in guerra iſta amiſſa ſunt, conſilio Principum vel Iuſtitia dictante, quas habeo reddam, quas non habeo, fideliter ut reddantur juvabo. Et do veram pacem Domino Papæ Calixto, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & omnibus qui in parte ipſius ſunt vel fuerunt: & in quibus ſancta Romana Eccleſia auxilium poſtulaverit, fideliter juvabo, & de quibus mihi querimoniam fecerit, debitam ſibi faciam Iuſtitiam. Hæc omnia acta ſunt conſenſu & conſilio Principum, quorum nomina ſubſcripta ſunt.

Albertus Archiepiſcopus Mag.
Fridericus Colon. Archiepiſcopus.
Ratisbonenſis Epiſcopus.
Babenburgenſis Epiſcopus.

Bruno

Bruno Spirenſis Epiſcopus.
Auguſtenſis Epiſcopus.
Trajectienſis Epiſcopus.
Conſtantienſis Epiſcopus.
Abbas Foldeni.
Heremannus Dux.
Fridericus Dux.
Bonifacius Marchio.
Theobaldus Marchio.
Ernulphus Com. Palat.
Othbertus Com. Pal.
Berengarius Comes.

CALIXTI II. PONTIFICIS ROMANI BVLLA DE ELECTIONE ET INVESTITVRA EPISCOPORVM ET ABBATVM PRO HENRICO V. IMPERATORE.

Ego Calixtus Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, tibi dilecto filio HENRICO *Dei gratia Romanorum Imperatori Auguſto, Concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici Regni, qui ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri abſque Simonia & abſque ulla violentia, ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani Provincialium conſilio vel judicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia à te recipiat, & quæ ex his jure tibi debet, faciat: ex aliis vero partibus Imperii conſecratus infra ſex menſes regalia à te per ſceptrum recipiat, & quæ ex his jure debet, faciat, ex-*

exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur. De quibus vero mihi querimoniam feceris & auxilium postulaveris, secundum officii mei debitum, auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem & omnibus, qui in parte tua sunt vel fuerunt tempore hujus discordiæ. Datæ anno millesimo centesimo vigesimo secundo. IX. *Kal. Octobris.* Acta hæc fuisse in conventu Vormatiensi tradit Sigonius libro 10. de Regno Italiæ. Sed quid in Episcoporum investitura, quæ per annulum fiebat, probanda tam multis opus? Res est proletaria & omnibus, qui Germanicarum rerum scriptores primoribus tantum digitis attigerunt, nota. Illud vero non item, quod etiam inter Papalis investituræ ornamenta & insignia Annulum reperio. Nam sic Octavianum Antipapam, qui se Victorem XI. appellavit, à Friderico I. Barbarossa per annulum esse investitum, diserte scribit Arnulphus Episcopus Lexoviensis in Epistola ad Archiepiscopos & Episcopos Angliæ, qua hoc factum, tanquam indignum, reprehendit his verbis: *Ceterum hic* (Fridericus) *blanda schismatici desperantis humiliatione seductus est, dum ille personam suam arbitrio exponit & causam, neque se quicquam fore, nisi de sola ipsius voluntate præsumit. Vnde & ad pedes ejus ipsa dicitur Apostolatus insignia resignasse, posteaque de manu ipsius investituram ac-*

cepisse per annulum, ut veteri scilicet quæstione composita, regnum plane de sacerdotio, de spiritualibus temporalia, de Ecclesiasticis viderentur secularia triumphasse. Ipse etiam Alexander Papa super hac re mirum in modum conqueritur in Rescripto, quod extat inter Arnulphi Epistolas: *Ceterum ut prædictus imperator Ecclesiam Dei suæ videretur subjugare & supponere ditioni & eam in supremam redigere servitutem, memorato Apostolico* (Octavianum intelligit) *sicut dictum est, Pontificalia insignia reddidit & eum de Papatu, quod est à seculis inauditum, per annulum prout dicitur, investivit.* Non autem Ecclesiastica solum beneficia per annulum conferebantur; sed & in ipsius Imperatoris, aut Regis Romanorum inauguratione, inter alia insignia, annulum fuisse adhibitum legimus, apud Johannem Trithemium in Chronic. cap. 20. Sigon. lib. 4. de Reg. Italiæ. pag. 89. Et Helmoldus Presbyter lib. 1. Chronici Sclavorum capite 32. ubi agit de depositione Henrici IV. Imperatoris: *Missi ergo à Principibus venerunt ad Regem, qui tunc forte consistebat in corte regia Hilgelsheim* (forte Ingelheim) *Moguntinus, Colonienſis, Wormatienſis & pertulerunt ad eum mandatum ex ore Principum, dicentes: Fac nobis reddi coronam, annulum, & purpuram ceteraque ad investituram Imperialem pertinentia filio tuo deferenda.* Sigonius

l. 9.

l. 9. p. 239. Quin & Annulum hodiernum adhuc in Auguratione Regis Romanorum adhiberi, ex actu nuperrimæ Coronationis, Anno 1616. (30.) Decembr. Ratisbonæ celebratæ, & in Cancellaria Moguntinensi consignatæ, videre liquet. Cum enim Invictissimi Imperatoris nostri Filius, FERDINANDVS III. unanimi Electorum suffragio Rex Romanorum in Conclavi jam designatus, jamque ad Coronationem facientia Solemnia peragenda essent, tunc Elector Moguntinus pretiosissimum Annulum ab Altari porrectum novi Regis digito his verbis aptavit:

„ Accipe regiæ dignitatis annulum, &
„ per hoc Catholicæ fidei cognosce si-
„ gnaculum, & ut hodie ordinaris Caput
„ & princeps regni & populi: Ita perse-
„ verabilis auctor & stabilitor Christia-
„ nitatis, & Christianæ fidei fias, ut fe-
„ liciter in opere cum Rege Regum glo-
„ rieris, per eum, cui est honor & gloria
„ per infinita secula seculorum, Amen.

Carpzovius ad Legem Regiam cap. 11. sect. 10. n. 34. pag. 106. b.

Ipsi quoque Imperatores feuda interdum per annulum confirmabant. Petrus Diaconus libro 4. Chronici Casinensis capite 126. *Lotharius Imperator accepto à Ptolemæo Romanorum Consule sacramento, Reginulfo illius filio obside, per annulum, quem gerebat manu, confirmavit ei ipsius-*

que heredibus in perpetuum totam terram illam ſcilicet, quæ ſibi ex parentum hereditate pertinebat. Atque hunc annulum à domino in ſignum inveſtituræ acceptum Vaſallus pro teſtimonio proferre ſolebat, ſi quando controverſia ſuper feudo naſceretur. Cujus rei luculentum exemplum extat apud Abbatem Urſpergenſem, qui in Chronicis anno 808. auctor eſt, Henricum Imperatorem Ducatum Suevorum, vivente adhuc Ottone Duce, Bertholdo Comiti promiſiſſe, eique annulum ſuum, velut hujus rei commonitorium dediſſe: quem ille diligenter ſervans, poſt amborum obitum, Imperatoris ſcilicet & Ducis, Imperatrici Agneti, Imperium tunc diſponenti, obtulit, eamque annulum agnoſcentem, pro Ducatu ſibi commiſſo commonuit. Vide Johannis Naucleri Chronographiam Generatione XXXVI.

Quid? quod & Adrianus Pontifex Henrico ſecundo Anglorum Regi annulum miſit, cum Hyberniam illi jure hereditario poſſidendam donaret. Johannes Saresberienſis libro 4. Metalogici cap. 42: *Ad preces meas Adrianus Pontifex illuſtri Regi Anglorum Henrico Secundo conceſſit & dedit Hyberniam jure hereditario poſſidendam, ſicut literæ ipſius teſtantur in hodiernum diem. Nam omnes inſulæ de jure antiquo, ex donatione Conſtantini, qui eam fundavit & dotavit, dicuntur ad Romanam*

manam Ecclesiam pertinere. Annulum quoque per me transmisit aureum, Smaragdo optimo decoratum, quo fieret investitura juris in gerenda Hybernia. Idemque adhuc annulus in curali archio publico custodiri jussus est, quem locum mihi doctissimus Joachimus Morsius noster indicavit. Neque solum in Regum, sed & Marchionum, Comitum, Investituris, Annulum usurpatum video, de quo more Antonius de la Salle la Sallade hæc habet: *Le Duc est investi par l'imposition d'un chapeau d'or ducat, orné de perles: Le Marquis avec un anneau de Ruby: Le Comte avec un anneau de diamant: Le Vicomte avec une verge d'or: le Baron avec un drappe au guarre, & le Banneret avec un drappeau en escusson:* Hæc Limnæus lib. 4. Jur. publ. c. 8. n. 31. ita reddidit: *Dux investitur corona aurea Ducati* (von Ducaten Gold) *ornata unionibus: Marchio annulo, cui carbunculus junctus: Comes annulo, cui adamas: Vicecomes baculo aureo, Baro vexillo quadrato, & Banneretus vexillo ad formam scuti.*

Ceterum ex hoc ritu investiendi fluxisse puto morem illum, in Academiis usitatum, quo præter alias ceremonias, quæ in creandis Magistris & Doctoribus adhiberi solent, etiam annulus aureus inseritur digitis eorum, qui literatis istis honoribus insigniuntur. Qui quidem ritus cum etiam vulgo notus sit, de eo

nihil amplius verborum addo. Videri tamen poterit Hopingius de Jure Insignium p. 1. c. 2. memb. 2.

CAP. XXI.

De Annulis Magicis & Physicis. Talisman. *Gygis annulum eandem cum Orci galea potestatem habuisse. Variæ annulorum magicorum species. Annuli morbis averruncandis. Mira de Carolo Magno historia ex Petrarcha. Vincula annulis inclusa.*

REperio etiam usum Annulorum ad præstigia & incantationes translatum ab hominibus male feriatis, qui hujusmodi annulos, stella aliqua fortunata ascendente, certis characteribus insigniebant, iisque herbam vel lapidem huic stellæ subditam includebant: quos annulos ad hunc modum confectos qui gestârit, eum non solum perpetuo victorem, & ab omni veneno ferroque tutum fore; sed etiam cujuscunque velit amorem ac benivolentiam sibi conciliare, malos genios pellere, morbis mederi & multa alia, quæ vix fidem mereantur, præstare posse, impudenter asserebant. Græci hos annulos φαρμακίτας & γεσπιδύμους appellarunt: Arabes *Talisman*, teste Scaligero in Epistolis Gallicis.

Talis fuit procul dubio decantatissimus ille Gygis annulus, quo circumacto habentem nemo cernebat; si vera sunt,

sunt, quæ de illo scribit Plato libro 2. de Rep. & eum secutus Cicero lib. 3. Offic. *Hinc ille Gyges inducitur à Platone, qui cum terra decessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit, æneumque equum animadvertit, cujus in lateribus fores essent: quibus apertis, hominis mortui vidit corpus magnitudine insitata, annulumque aureum digito, quem ut detraxit, ipse induit: (erat autem regius pastor) tum in concilium pastorum se recepit. ibi cum palam ejus annuli ad palmam converterat, à nullo videbatur, ipse autem omnia videbat. Idem rursus videbatur, cum in lucem annulum inverterat. Itaque hac oportunitate annuli usus, reginæ stuprum intulit: eaque adjutrice regem dominum interemit, substulit, quos obstare arbitrabatur: nec in his eum quisquam facinoribus potuit videre. Sic repente annuli beneficio rex exortus est Lydiæ. Hunc igitur ipsum annulum si habeat sapiens, nihil plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet.* Vide Ambr. lib. 2. Offic. cap. 5. Lucianum in Bis accusato: & Herodotum libro 1. qui tamen annuli nullam mentionem facit. Plinius lib. 33. cap. 1. Midæ hunc annulum tribuit memoria procul dubio lapsus. Et recte Gygen substituendum monet Dalecampius. Habuit igitur hic annulus eandem potestatem cum *Orci galea*, Αϊδος κυνῆ, ὧ ὁ ἔχων, ut ait Zenobius in Proverbiis, ὃς μὲ ἤθελε

λοιπὸν, ὑπ' ἄλλων δὲ οὐκ ὤφθη, *qua qui indutus erat, omnes quidem videbat, conſpiciebatur vero à nemine.* Heſychius ſic interpretatur: Αϊδος κυνέη ἀθάνατόν τι νέφος, ᾧ σκεπάζονται οἱ θεοὶ, ὅταν θέλωσιν ἀλλήλοις μὴ γινώσκεσθαι, id eſt, *Orci vel Plutonis galea, nebula quædam cæleſtis, qua Dii veſtiuntur, cum nolunt cognoſci.* Utrumque in proverbium abiit, de iis, qui arte quadam ſe occultant & tegunt. Atque ideo duo hæc conjunguntur à Platone lib. 10. de Repub. Ἀλλ' αὐτῷ δικαιοσύνῃ αὐτῆς ψυχῆς ἄριστον εὕρομεν, καὶ ποιητέον εἶναι αὐτῇ τὰ δίκαια, εἴτε ἔχῃ τὸν Γύγου δακτύλιον, εἴτε μὴ, καὶ πρὸς τούτῳ δακτυλίῳ τὸν Αϊδος κυνοῦν. *Sed juſtitiam ipſam ipſi animæ optimum præmium eſſe comperimus, juſte agendum eſſe monſtravimus, ſive Gygis habeat annulum, ſive etiam Plutonis galeam.* Eſt poſt illum à Gregorio Nazianzeno priore σηλιτευτικῇ in Julian: ὅδε εἰ τὸν Αϊδος κυνέην, ὁ δὴ λέγεται, κεκτήμενος ἢ τὸν δακτυλίον Γύγου, καὶ τῇ τροφῇ τὸ σφενδόνης χρησάμενος ἑαυτὸν ἀποκλείσειε. *Neque ſi orci galeam, quod ajunt, induat, aut Gygis annulo & palæ converſione ſeſe ſuffuretur.* Sed de Orci galea vide plura apud doctiſſimum & præclare de literis meritum Andr. Schottum Notis ad Zenobium. Huc refero & Phengiten Lapidem, qui ea, quæ à tergo fiunt repræſentat; de quo cum Philippus Camerarius in ſuis horis ſub-

subciſiv. C. 1. cap. 65. lepidam hiſtoriam adnotarit, non poſſum mihi temperare, quin eam exſcribam ac huic capiti inſeram: *Cum Maximilianus I. Roman. Imp. primariam quandam Imperii Vrbem ingrederetur, evenit, ut ipſi Xeniola quædam vel honoraria in præſentia nonnullorum familiarium ſuorum intimorum offerrentur, quæ ſicut tradita eſſent, in cubiculo Cæſareo coram Imperatore in tabula relinquebantur. Exhibebantur autem tunc forte quædam Spectacula publica in honorem Cæſaris, ita ut aulici illis inſpiciendis dediti eſſent, eamque ob cauſam ſinguli locum commodum in feneſtris occupaverant. Cum autem unus ex familiaribus Cæſaris exiſtimaret, & Cæſarem & omnes accurate obſervare, quid foris publice ageretur? quaſi alii honoris cauſa à ſuo loco præoccupato cedens, mox ſeſe ſubduxit, & velut remotis arbitris ex poculo illo donato tot aureos ſuripuit, quot apprehendere in illa feſtinatione potuit, raptimque in loculos conjecit, ratus neminem ſuum furtum conſpexiſſe. Verum Cæſar, etſi putabatur videndis ludicris rebus ſolummodo intentus, obſervabat nihilominus alia*, habebat enim annulum in digito cum gemma, quæ demonſtrabat id, quod à tergo accideret. *Huncque diſſimulanter cum inſpiceret, eum, non fugiebat, quid fieret. Peractis igitur actionibus illis theatricis, & aulicis juſſa Cæſarea præſtolantibus, nec non ex munificentia*

ficentia ejus de illis aureis oblatis singulis portiunculam expectantibus, tandem vocatus à Cæsare ille, qui prius magnam partem pecuniæ, nemine inspiciente, uti sibi persuaserat, surripuerat, jussus est tantundem accipere, quantum apprehendere manu posset. Ille nesciens, quorsum ista munificentia tenderet, sed conscientia stimulante trepidans perpaucos aureos ex poculo apprehendit. Mox jussit Cæsar illum eos numerare. Expectantibus autem reliquis, quare hoc fieret, & existimantibus inter ipsos donum hoc paulatim divisum iri, tandem subridens, Deprome nunc, inquit, & reliquos aureos de loculis, quos antea surreptos ex hoc poculo furtim iis injeciisti, ut sciam, utrum nunc, vel antea cordatior in accipiendo fueris. Hac inopinata re confusus ille, & velut sorex suo proprio indicio deprehensus, nescio quas excusationes mixtis deprecationibus mussitans coactus fuit in conspectu omnium subtractos aureos proferre & eos nnmerare. Quum autem horum multo major summa esset, quam illorum: Tollas utramque summam, ait Cæsar, habeasque loco viatici; verum cave, ne posthac in conspectum meum venias. Ita cum ignominia ille dimissus fuit. Hactenus Camerarius. Sed è diverticulo jam redeo ad annulos magicos, de quibus dicere cœperamus. In illorum numero fuerunt & illi, quos Excestus Phocensium tyrannus habuit, quorum strepitu de rebus

suis

suis admoneri solitus fuit, quemadmodum ex Aristotele scribit Clemens Alexandrinus libro 1. Stromat. Ἐξηκεσόστε ὁ Φωκέων τύραννος δύο δακτυλίους φορῶν γεγηθυμένους, τῷ ψόφῳ τῷ ἐκ ἀλλήλους διηθάνετο τὸς καιρὸς τ πρήξεων. ἀπέθανεν δὲ ὅμως δολοφονηθείς, καί τοι ἐκσημαινόντος τ ψόφου, ὡς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Φωκέων πολιτείᾳ, id est, interprete Gentiano Herveto: *Exestus Phocensium tyrannus duos gestans incantatos annulos, qui inter se invicem ab iis edebatur, sonitu sciebat tempus rerum gerendarum: mortuus tamen est dolo interfectus, etiamsi id ei prius significasset sonitus, ut dicit Aristoteles in opere de Repub. Phocensium.* Eleazarus quidam Judæus quoque annulum hujusmodi habuit, quo ipsum, inspectante Vespasiano Imp., multos à malo genio obsessos sanasse, tradit Josephus lib. 8. Antiquitat. cap. 2. Ἱστόρησα, inquit ille, τινα Ἐλεάζαρον τ ὁμοφύλων, Οὐεσπασιανοῦ παρόντος ἐ τ υἱῶν αὐτοῦ ἐ χιλιάρχων ἐ ἄλλου στρατιωτικοῦ πλήθους, τὸς ὑπὸ τ δαιμονίων λαμβανομένους ἀπολύοντα τούτων. Ὁ δὲ τ θεραπείας τρόπος τοιοῦτος ἦν. προσφέρων ταῖς ῥισὶ τ δαιμονιζομένου τ δακτύλιον, ἔχοντα ὑπὸ τῇ σφραγῖδι ῥίζαν ἐξ ὧν ὑπέδειξε Σολομών, ἔπειτα ἐξείλκυεν ὀσφραινομένου διὰ τ μυκτήρων τὸ δαιμόνιον. ἐ πεσόντος αὐθις τ ἀνθρώπου, μηκέτ' εἰς αὐτὸν ἐπανιέναι ὥρκου, Σολομῶνος τε μεμνημένου, ἐ τὰς ἐπῳδὰς ἃς

συνίθηκεν εἰδεῖν ἐπιλέγων. Βυλόμενος δὲ πίστιν ἐμποιῆσαι τοῖς παρατυγχάνουσιν ὁ Ἐλεάζαρος, ὅτι ταυτὶ ἔχει τὶ ἰσχύν, ἔπιθι μικρὸν ἔμπροσθεν πλήρες ὕδατος ἢ ποδανίπτηρα, καὶ τῷ δαιμονίῳ προστάττειν ἐξιόντι εἰς ἄνθρωπον, καὶ ἀνατρέψαι καὶ δηλῶσαι τοῖς ὁρῶσιν, ὅτι καταλέλοιπε τὸν ἄνθρωπον. id est, *Vide ex popularibus meis quendam Eleazarum, in præsentia Vespasiani & filiorum & tribunorum reliquorumque militum, multos à dæmone correptos percurantem. Modus vero curationis erat hic. Admoto naribus dæmoniaci annulo, sub cujus sigillo inclusa erat radicis species à Salomone indicatæ, ad ejus olfactum, per nasum extrahebatur dæmonium: & collapso mox homine, adjurabat id, ne amplius rediret. Salomonis interim mentionem faciens & incantationes ab illo inventas recitans. Volens dein Eleazarus his, qui aderant, ostendere suæ artis efficaciam, non longe indeponebat poculum aut prolubrum aqua plenum, imperabatque dæmonio homine exeunti, ut his subversis signum daret spectantibus, quod reliquisset hominem.* Efficaciam quoque sanandi vexatos ab impuris istis geniis tribuit Sigonius annulis, ex catenâ, quâ S. Petrus olim vinctus fuisse creditur, fabrefactis, cum lib. 7. de regno Italiæ, pag. 174. vers. 3. ita scribit: *Metensis Episcopus annulum ex cathena S. Petri, vim ejus in sanando dæmoniaco ingentem expertus, à Pontifice petiit & impetravit.*

Sed

Sed de annulis, qui malis geniis pellendis erant, extat etiam locus apud Lucianum in Philopseude, ubi Eucrates narrat, se vel millies dæmoniacos conspexisse; καὶ τὸ μὲν πρῶτον, inquit, ἐπεφοβήθην πρὸς αὐτά, νῦν δὲ, ὑπὸ τῆς ἔθους, οὐδέπω τοιοῦτο ὄναρ ὁρᾶν μοι δοκῶ, καὶ νυνὶ μάλιστα, ἐξ οὗ μοι τὸ δακτύλιον ὁ Ἄραψ ἔδωκε, σιδήρου τοῦ ἐκ τοῦ σταυροῦ πεποιημένον, καὶ τὸ ἐπῳδὸν ἐδίδαξε τὸ πολυώνυμον. *Ac primum quidem turbabar ad ea, jam vero ob consuetudinem nihil novum aut prodigiosum mihi videre videor, maximeque nunc, ex quo annulum mihi Arabs dedit ex ferro de cruce sumpto factum, carmenque docuit nominibus multis plenum.* Habuit idem Eucrates quoque annulum sacrum, in cujus sigillo Apollinis Pythii imago fuit sculpta, cujus beneficio res occultas cognoscebat: Ἐγὼ δὲ, ὅτι μὲν καὶ δακτύλιόν τινα ἔχω Ἀπόλλωνος Πυθίου εἰκόνα ἐκτυπώσεως τοῦ σφραγῖδος, καὶ αὐτός ὁ Ἀπόλλων φθέγγεται πρὸς ἐμὲ, οὐ λέγω. hoc est, *At ego, quod annulum quondam sacrum habeo Pythii Apollinis imaginem exprimente sigillo, quodque hic Apollo mecum loquitur, non dico.* Celebres quoque sunt septem illi annuli Iarchæ Indorum sapientissimi principis, Apollonio Thyanæo dono dati, quorum beneficio illum juventæ nitorem prætulisse, quamvis jam centesimum annum excessisset, auctor est Philostratus lib. 3. Pertinent huc annuli illi, quos Timolaus sibi optabat

bat apud Lucianum in Navigio vel Votis: Ἐγὼ ἢ βέλομαι τὸν Ἑρμῆν ἀντυχόντα μοι δῶναί τινας δακτυλίους τοιούτους τὴν δύναμιν, ἕνα μὲν ὦσι ἀεὶ ἐρρωμένως καὶ ὑγιαίνῃ τὸ σῶμα, καὶ ἄτρωτον εἶναι καὶ ἀπαθῆ. ἕτερον δὲ, ὡς μὴ ὁρᾶσθαι τὸν φέροντα, οἷος ἦν ὁ Γύγης. τίνδε τινὰ ὡς ἰσχύειν ὑπὲρ ἄνδρας μυρίους, καὶ ὅ, τι ἂν ἄχθος ἅμα μύριοι κινῆσαι μόλις δύναιντο, τοῦτό μοι ῥᾴδιον μόνον ἀνατίθεσθαι, ἔτι δὲ καὶ πέτεσθαι, πολὺ ἀπὸ τῆς γῆς ὀρθίαν. καὶ πρὸς τούτοις μοι εἶναι δακτύλιόν τινα, καὶ μόνῳ ἐς ὕπνον καθίστασθαι ὁπόσους ἂν ἐθέλω, καὶ ἅπασαν θύραν προσιόντι μοι ἀνοίγεσθαι, χαλωμένου καὶ κλείθρου καὶ μοχλοῦ ἀφαιρουμένου. Ταῦτα ἀμφότερα εἰς δακτύλιον δύνασθαι. & quæ sequuntur: quæ Jacob. Micillus ita interpretatus est: *Ceterum Mercurium ego volo obviam mihi venientem dare nonnullos annulos, qui hujusmodi vim habeant: primum quidem ut recte semper valeam & corpore sanus sim & insauciabilis & nulli perturbationi obnoxius. Secundum autem, ut ne conspici possit, qui eum induerit, qualis ille Gygis fuit. Deinde alium quendam, ut robore superem virorum decem millia, atque onus, quod alioqui decem millia hominum movere simul vix possent, ego solus facile in humeros attollere possim. Præterea autem & volare possim longe à terra in sublime sublatus & ad hoc quoque annulum quendam habeam. Iam vero & in somnum resolvere quos voluero, & omnem januam accedenti mihi aperiri, laxata sera & dimoto*

moto obice. Hæc ambo unus annulus possit. Hujus generis fuerunt quoque brachialia Zipangrinorum, in quibus lapides quosdam pretiosos fuisse, tam efficacibus Diabolicis incantationibus inauguratos, ut nullo modo vulnerari aut occidi ferro potuerint, quamdiu illos lapides secum portarent, auctor est M. Paulus Venetus l. 3. cap. 3.

Sed & Annulus ille fatidicus, quo de successore Valentis Imp. quæsitum est, huc referri debet. Ejus descriptio, ut & totus ordo infandæ istius decantationis extat apud Am. Marcellinum lib. 29. his verbis. *Construximus*, inquit veneficus Hilarius, *magnifici judices, ad cortinæ similitudinem Delphicæ diris auspiciis de laureis virgulis infaustam hanc mensulam, quam videtis: & imprecationibus carminum secretorum, choragiisque multis ac diuturnis ritu aliter consecratam movimus tandem: movendi autem, quoties super rebus arcanis consulebatur, erat institutio talis. Conlocabatur in medio domus emaculatæ odoribus Arabicis, undique lance rotunda pure superposita, ex diversis metallicis materiis fabrefacta: cujus in ambitu rotunditatis extremo elementorum viginti quatuor scriptiles formæ incisæ perite, disjungebantur spaciis examinatæ dimensis. Has linteis quidam indumentis amictus, calceatusque itidem linteis soccis, torulo capite circumflexo, verbenas felicis arboris gestans, litato conceptis*

ceptis carminibus numine præscitionum auctore, cæremoniali scientia superstitit cortinulas, pensilem annulum librans arctum ex carpathio filo perquam levi, mysticis disciplinis initiatum: qui per intervalla distincta retinentibus singulis literis incidens saltuatim, heroos efficit versus interrogationibus consonos, ad numeros & modos plene conclusos: quales leguntur Pythici vel ex oraculis editi Branchidarum. Ibi tum quærentibus nobis, qui præsenti succedit imperio, quoniam omni parte expolitus fore memorabatur, adsiliens annulus duas perstrinxerat syllabas: & cum adjectione literæ postrema, exclamavit præsentium quidam, Theodorum præscribente fatali necessitate portendi. Ad quem locum videndus CL. & meliorum literarum peritissimus Fridericus Lindenbruchius amicus noster, cui cum alia multa, tum maximam partem hujus capitis acceptam fero.

De his Annulis intelligendi versus illi Antiphanis, qui extant apud Athenæum lib. 3. Dipnosoph.

Οὐ γὰρ κακῶς ἔχω, μηδ' ἔχοιμ', ἐὰν δ' ἄλλο
Στρέφῃ με περὶ τὴν γαστέρα ἢ τὸν ὀμφαλόν,
Παρὰ Φιρράτου δακτύλιός ἐστι μοι δεδεγμένης.

Non enim male valeo, & Dii faxint, ne male valeam. Si vero

Tor-

Tormina circa ventrem & umbilicum me cruciarent
Adest à Phertato mihi drachma emptus annulus.

Et hi apud Aristophanem in Pluto, ubi Dicæus Sycophantæ minitanti judicium, ait:

Οὐδὲν ὠφελήσω σε. φορῶ γὰρ τελέμβῳ
Τὸν δακτύλιον τὸν δὶ παρ' Εὐδάμου δραχμῆς.

Non facio te hujus: quando gesto hunc annulum,
Precio drachmæ mercatus ipsum ab Eudamo.

Qui quidem annulus forte valebat ad conciliandum amorem judicum: cujusmodi vim quoque inesse *pileo naturali*, quo causidici juventur, vetus fuit superstitio, de qua Lampridius in Anton. Diadumeno pag. 148. editionis Parisinæ, & ibi Casaubonus.

Fit quoque Annulorum, qui morbis averruncandis, crebra mentio apud priscos Medicos. Marcellus Empiricus cap. 29. *Annulus de auro texta tunica fit exusta, cui insculpitur vice gemmæ piscis aut delphinus, sic ut holochrysus sit, & habeat in ambitu rotunditatis utriusque, id est, interius & exterius Græcis literis scriptum,* Ἰὸς κεφαλῆς μὴ κύειν κόλον πόνους. *Observandum autem erit, ut si in latere sinistro dolor fuerit, in manu sinistra habeatur annulus: aut*

in

in dextra, si dextrum latus dolebit. Luna autem decrescente die Iovis primum in usu habendus est annulus. Alex. Trallianus lib. 10. de Colico affectu ex calidis & biliosis humoribus nascente: «*Annulum*, inquit, *ferreum accipito ac circulum ipsius octangulum efficito, atque ita in octangulum inscribito: Φεῦγε, φεῦγε ἰὼ χόλη, ἡ κορυδαλὸς ἐζήτει.* hoc est, Fuge, Fuge heu bilis: alauda quærebat. *Subjectam autem figuram in annuli caput scribito:*

MEt ut fidem suis verbis quærat, mox addit: *Hujus magnam habui experientiam, ac absurdum putavi tantum medicamentum naturali vi colico adversum vobis non tradere. Sed admoneo vos, ne quibuslibet hujusmodi ostendatis, virtutis autem studiosis & qui ejusmodi possunt conservare, communicate. Quod etiam Hippocrates divinissimus quum novisset, præcepit his verbis:* Res quæ sacræ sunt, sacris hominibus ostenduntur: profanis autem non fas est. *Paretur autem præfiguratus annulus decimo septimo aut vigesimo primo die Lunæ.* Verba Græca, si quis illis delectetur, hæc sunt: λαβὼν δακτύλιον σιδηροῦν ποιησον χρυσᾶς τὸ κεφαλλιον αὐτοῦ ὀκταγώνιον, καὶ ὅτως ἐπιγραφε εἰς τὸ ὀκταγώνιον: ΦΕΥΓΕ, ΦΕΥΓΕ Ι'Ω' ΧΟΛΗ', Η' ΚΟΡΥ'ΔΑΛΟΣ Ε'ΖΗ'ΤΕΙ. Τὸν δὲ χαρακτῆρα τ ὑποκείμενον γράφε εἰς τὸν κιφαλὸν τ δακτυλίε.

Τότε

ΟΥΤΟΣ πολλῷ ἔχον πεῖραν καὶ ἄπορον ἐνόμισα μὴ ὠφελῆσαί τινα τηλικαύτῃ ἀνιηρῶς ἐχόμενον τοῦ πάθους δυνάμενον. ἀλλὰ ὠφελῆσαι βούλομαι ὑμᾶς, μὴ μόνον τοὺς τυχόντας ἐμφαίνειν τὰ τοιαῦτα, μόνοις δὲ τοῖς φιλαρίτοις καὶ τὰ τοιαῦτα δυναμένοις φυλάττειν. ὅθεν καὶ ὁ θειότατος ἰδὼν Ἰωάννης, παρακαλοῦντος λέγων· τάδε ἱερὰ ἐστὶν ἅπερ ἁγίοις ἱερεῦσιν ἀνθρώποις δείκνυται, βεβήλοις δὲ ἀθέμιτος. γινέσθω δὲ ὁ προϋποτεθεὶς δακτύλιος ἐκ τοῦ σελήνης ἡμέρᾳ. Et eadem pagina tale amuletum ponit contra dolores colicos: Εἰς λίθον μηδικὸν γλύψον ἡρακλέα, ὀρθὸν πνίγοντα λέοντα καὶ ἐσκλεισμένος εἰς δακτύλιον χρυσοῦν δὸς φορεῖν. hoc est, *Herculem erectum suffocantem leonem in lapidem Medicum insculpito, ac inclusum in annulum aureum gestandum dato.* Idem lib. 9. cap. 4. de Affectibus renum, ait annulum ex ære Cyprio confectum prodesse contra calculum: Λαβὼν χαλκὸν Νικαινὸν ἢ Κύπριον πυρὶ τὸ σώμολον μὴ συμμιλήσαντα, τὸ ἐν αὐτῷ τῷ μεταλλῳ χαλκοῦ δυσκόμβιον ποίησον ὑγιᾶ ὡς ψηφίδα, ὥστε φανῆναι ἐν δακτυλίῳ. καὶ γλύψας ἐπ' αὐτῆς λέοντα καὶ σελαιόλιθον καὶ ἀστέρα, κύκλῳ τούτῳ γράψον τὸ ὄνομα ἔτι ἡλίου καὶ ἐσκλείσας χρυσῷ δακτυλιδίῳ φόρει ὠφελῆ τῷ μικρῷ ἰκτερικῷ δακτύλῳ hoc est, *Æs Nicanum aut Cyprium, quod igni in totum non admotum fuerit, accipito: quod in ipso metallo æris invenitur, veluti tesseram facito, ut in digito appareat: & ubi*

in

in ea insculpseris leonem, & lunam & stellam, hujus circulo nomen bestiæ conscribito, & inclusam aureo annulo gestato in minore digito medico juxta minimum.

Hujus generis fuisse videtur Annulus S. Edovardi Regis Angliæ comitiali morbo laborantibus salutaris, de quo hæc Cario lib. 3. Chronicorum: *Anno 1065. Edovardus Angliæ rex obit, divino (ut fertur) vicinæ mortis præsagio admonitus, annulo, quem is paulo ante cuidam pauperi D. Iohannis Euangelistæ nomine eleemosynam ab eo petenti, dederat, à peregrino quodam Hierosolymæ redeunte, sibi reddito. Sepultus est in West-monasterii templo ac paulo post inter divos relatus, annulusque ille in ejusdem templi archivis reconditus, comitiali morbo laborantibus mirifice, (ut ajunt) salutaris: & hinc natum, ut Angliæ reges quotannus annulos solemni ceremonia sacratos, contracta membra divina virtute solventes, populo erogent. Vid. & Polydor. Virg. lib. 8. Hist. Angl.*

Inter gemmas autem, quibus hujusmodi vis ineſſe scribitur, reperio Achaten & Jaspidem viridem. De Achate Servius P. Danielis in Paralipomenis ad lib. 1. Virgil. *Lectum est in naturali historia Plinii, quod si quis hunc lapidem* (Achatem intellige) *in annulo habuerit, ad custodiam ejus proficit & gratior esse videatur.* Ubi autem hic Plinii locus extet, non memini me legere. De viridi Jaspide Paulus Ægineta lib. 7.

lib. 7. de re Medica ſub litera V. *Viridis Iaſpis ſtomacho prodeſt & appenſus & in digito geſtatus.* Et Aetius tetrabibli 1. ſerm. 2. cap. 36. de viridi Jaſpide, quem pro amuleto ori ventris appenſo nonnulli uſurpant: *Quidam & annulis ipſum includunt & draconem radios habentem in ipſo ſculpunt, quemadmodum Nechepſus rex ſcripſit.* Quid autem de hujuſmodi gemmis, quas tamen ſuas virtutes habere negari non poteſt, judicandum ſit, audiamus ex Iſidoro, qui lib. 16. cap. 7. *Volunt*, inquit, *quidam Iaſpidem gemmam & gratiæ & tutelæ eſſe geſtantibus, quod credere non fidei, ſed ſuperſtitionis eſt.*

Ad genus annulorum, quibus amor poſſe conciliari putatur, refero illum, qui inventus fuit in ore cujuſdam mulierculæ jam mortuæ, cujus inſano amore Carolum Magnum Imperatorem olim captum fuiſſe memorant. Hiſtoriæ hujus, quæ à fabula non multum abludit, indicium mihi fecit nobiliſſimus & ampliſſimus vir D. Foppius ab Aiſſema, potentiſſimorum Ordinum Fœderati Belgii ad Urbes Hanſeaticas Legatus, vir rara eruditione præditus, multoque rerum uſu ſubactus, amicus noſter non è multis, qui eam apud Stephanum Paſchaſium lib. 5 *des Recherches de la France* cap. 31. forte paulo ante legerat, quam ad ipſum ſalutandum veniſſem. Laudat vero Paſchaſius ejus teſtem Franciſcum Petrarcham, cujus verba

ba ex lib. 1. Epistola 3. huc adscribam: *Vidi Aquensem Caroli sedem, & in templo marmoreo verendum barbaris gentibus illius principis sepulchrum: ubi fabellam audivi non inamœnam cognitu, à quibusdam templi sacerdotibus, quam scriptam mihi ostenderunt: & postea apud modernos scriptores accuratius etiam tractatam legi: quam tibi quoque ut referam, incidit animus, ita tamen ut rei fides non apud me quæratur, sed (ut ajunt) apud auctores maneat. Carolum Regem, quem Magni cognomine æquare Pompejo & Alexandro audent, mulierculam quandam perdite & effictim amasse memorant. Ejus blanditiis enervatum neglecta fama, cui plurimum inservire consueverat, & posthabitis regni curis aliarum rerum omnium & postremo sui ipsius oblitum: diu nulla prorsus in re, nisi in illius amplexibus acquievisse, summa cum indignatione suorum & dolore. Tandem cum jam spei nihil superesset, (quoniam aures regias salutaribus consiliis insanus amor obstruxerat) fœminam ipsam malorum causam insperata mors abstulit: cujus rei ingens primum in regia, sed latens gaudium fuit. Deinde dolore tantum priore gravior, quantum fœdiori morbo correptum Regis animum videbant: cujus nec morte lenitus furor, sed in ipsum obscœnum cadaver & exangue translatus est: quod balsamo & odoribus conditum, onustum gemmis & velatum purpura diebus ac noctibus, tam miserabili, quam*

cupido

cupido fovebat amplexu. Dici nequit, quam discors & quam male se compassura conditio est amantis ac regis: nunquam profecto contraria sine lite junguntur. Quid est autem regnum, nisi justa & glorioſa dominatio? Contra, quid est amor, nisi fœda servitus & injusta? Itaque cum certatim ad amantem, seu rectius, ad amentem regem pro summis regni negotiis, legationes gentium præfectique & provinciarum præsides convenirent, is in lectulo suo miser, omnibus excluſis, & obseratis foribus, amato corpusculo cohærebat: amicam suam crebro velut spirantem responsuramque compellans: illi curas laboresque suos narrabat: illi blandum murmur & nocturna suspiria: illi semper amoris comites lachrimas instillabat. Horrendum miseriæ solamen, sed quod unum tamen ex omnibus, Rex alioquin, ut ajunt, sapientissimus elegisset. Addunt fabulæ, quod ego fieri potuisse, nec narrari debere arbitror. Erat ea tempestate in aula Colonienſis antistes, vir (ut memorant) sanctitate & sapientia clarus, nec non comitatus & consilii regii prima vox, qui domini sui statum miseratus, ubi animadvertit humanis remediis nihil agi, ad Deum versus illum assidue precari, in illo spem reponere, ab eo finem mali poscere, multo cum gemitu. Quod cum diu feciſſet nec desiturus videretur, die quodam illustri miraculo recreatus est. Siquidem ex more sacrificanti, & post devotissimas preces

pectus

pectus & aram lachrimis implenti, de cælo vox insonuit, & sub extinctæ mulieris lingua furoris regii causam latere. Quo lætior, mox peracto sacrificio ad locum, ubi corpus erat, se proripuit & jure notissimæ familiaritatis regiæ introgressus, os digitoclam scrutatus gemmam perexiguo annulo inclusam sub gelida rigentique lingua repertam festinabundus avexit. Nec multo post rediens Carolus & ex consuetudine ad optatum mortuæ congressum properans, repente aridi cadaveris spectaculo concussus, obriguit exhorruitque contactum: auferri eam quanto ocyus ac sepeliri jubens. Inde totus in Antistitem conversus, illum amare, illum indies rectius complecti: denique nihil nisi ex sententia illius agere: ab illo nec diebus nec noctibus avelli. Quod ubi sensit vir justus ac prudens, optabilem forte multis, sed onerosam sibi sarcinam abjicere statuit: veritusque ne si vel ad manus alterius perveniret, vel flammis consumeretur, domino suo aliquid periculi afferret, annulum in vicinæ paludis prælatam voraginem demersit. Aquis forte tum Rex cum proceribus suis habitabat: ex eoque tempore cunctis civitatibus sedes illa prælata est. In ea nil sibi palude gratius, ibi assidere, illis aquis mira cum voluptate, illius odore velut suavissimo delectari. Postremo illuc regiam suam transtulit & in medio palustris limi immenso sumptu jactis molibus, palatium templumque construxit, ut nibil divinæ

vel

vel humanæ rei eum inde abſtraheret: poſtremo ibi vitæ ſuæ reliquum egit, ibique ſepultus eſt, cauto prius, ut ſucceſſores ſui primam inde coronam & prima imperii auſpicia capeſſerent: quod hodie quoque ſervatur, ſervabiturque quamdiu Romani frena imperii Theutonica manus aget. Atqui nec illud hoc loco prætereundum videtur, quod Cruſius lib. 4. Germano-Græciæ refert; *Vrbem, nimirum, Gemundam conditam eſſe eo in loco, ubi repertus fuit annulus pronubus, qui Agneti, Friderici Antiqui Ducis Sueviæ, uxori exciderat.*

Fuerunt etiam, qui venena annulis includerent, ut quandocunque liberet, mortem ſibi poſſent accelerare. Quo genere mortis Demoſthenem præveniſſe Archiam Thurinum à Rege Antipatro immiſſum, teſtatur Plinius lib. 33. cap. 1. Suidas. Quod & Tzetzes notavit: *φάρμακον ἐμοὶ καὶ πολλῆ σφενδόνῃ ἀκτυλίου. Τοῦτο πιὼν μετήλλαξον, ἐξαποτιόσας βίον.*

Quanquam Plutarchus ex Eratoſthene refert, in circulo cavo eum venenum ſervaſſe, quem circulum Demeſthenes in brachio geſtare ſolitus fuerit. *Ερατοσθένης δὲ ὁ αὐτὸς ἐν κοίλῳ φησὶ κύκλῳ, τὸ φάρμακον φυλάττειν. τὸν δὲ κύκλον εἶναι τοῦτον αὐτῷ φόρημα περὶ βραχίονα.*

Annibal Carthaginenſium Dux ſimili letho periit. nam *victo Antiocho ad Pruſiam Bithyniæ regem conceſſit: unde Roma-*

na legatione per Titum Flaminium repetitus, ne Romanus traderetur, hausto, quod sub annuli gemma habebat, veneno absumptus est, ut ait Aurelius Victor. Videatur & Livius lib. 36. cap. 51. Cum M. Crassus bis mille auri pondo è Jovis Capitolini solio à Camillo ibidem condita rapuisset, ædituum custodiæ deprehensum, fracta in ore annuli gemma, statim expirasse & indicium ita extinctum, refert idem Plinius d. l. Heliogabalum Imp. quoque mortis causa habuisse annulos, tradit Lampridius: *Paraverat & in cerauneis & hyacinthus & in smaragdis venena, quibus se interimeret, si quid gravius immineret.*

CAP. XXII.

Annulos ponebant lugentes, rei, supplices, cubitum vel lotum ituri. Morientibus vel detrahebantur annuli, vel ipsi eos uni ex amicis aut heredibus præsentibus tradebant. Annuli traditio an heredis instituendi tessera? Historia de Alexandro M. Perdiccæ annulum tradente.

IN quem usum annuli gestati sint vidimus. Nunc referemus alia quædam: inter quæ illud est, quod in publico luctu annuli aurei ponebantur. Ad nuntium Caudinæ pacis *annulos aureos positos*, narrat Livius lib. 9. De funere Augusti Suetonius cap. 100. *Alii exsequiarum die ponendos*

nendos aureos annulos ferreosque sumendos censuerunt. Vide librum nostrum de Funer. Rom. lib. 2. c. 17.

Rei quoque & supplices annulos ponebant, more lugentium & ærumnosorum. Livius libro 43. pagina 1662. edit. Gruterianæ. *Extemplo principes civitatis in conspectu populi annulis aureis positis vestem mutarunt, ut supplices plebem circumirent.* Valerius Max. lib. 8. cap. 1. de Gabinio reo, præter spem absoluto: *Filius namque Gabinii Sisenna consternationis impulsu ad pedes se Memmii* (is accusator erat) *supplex prostravit: inde aliquod fomentum procellæ petens, unde totus impetus potestatis eruperat. Quem truci vultu à se victor insolens repulsum, excusso è manu annulo humi jacere aliquandiu passus est.*

Ituri quoque cubitum aut loturi ponebant annulos: quod non factum in Charino notat Martialis lib. 11. Epigr 50.

Senos Charinus omnibus digitis gerit
Nec nocte ponit annulos,
Nec cum lavatur: causa quæ sit quæritis?
Dactyliothecam non habet.

Terentius Heautont. Act. 4 Scena 1. *Ea lavatum dum it, servandum mihi dedit annulum.* Hic mihi in mentem venit lepidum Alphonsi Siciliæ regis factum, quod non possum, quin adscribam. *Alphonsus Senior Siciliæ rex annulos ingentis pretii in digitis gestare consueverat, & ne*

lavandis manibus gemmis officeret, loturus annulis digitos exuebat, servandosque ministris, qui oportunius se offerrent, dare solebat. Cuidam igitur semel cum annulos tradidisset, qui oblitum regem arbitrabatur, & propterea in usum suum eos verterat, Alphonsus rem dissimulavit, atque pro eis alios induit annulos, consuetumque morem servavit. Itaque post aliquot dies loturo Alphonso cum idem adstaret, qui primos habuerat, & non restituerat, manum porrexit, tanquam à rege annulos, ut olim egerat, accepturus. Alphonsus autem, retracta ad se manu, in aurem submissa voce ei dixit: Hos servandos tibi annulos dabo, si prius alios, quos dedi, restitueris. *Liberale profecto rege humanoque & animo ingenti prædito digna vox & æternis literarum celebranda encomiis.* Fulgosus & Egnatius lib. 4. cap. 8.

Morientibus vel annuli detrahebantur. Plinius lib. 33. cap. 1. *Gravatis somno aut morientibus religione quadam annuli detrahebantur.* Sic Tiberio deficienti *annulum extractum, quem mox resipiscens requisiverit*, auctor Suetonius in ejus vita c. 77. Atque hæc est causa, cur Æl. Spartianus annuli spontaneum de digito lapsum inter signa mortis Hadriano Imp. oblata retulerit. *Signa mortis*, inquit, *hæc habuit: Annulus, in quo imago ipsius sculpta, sponte de digito delapsus est.* Forte autem ideo detrahebantur, ne in pol-

lin-

linctorum manus pervenirent : nam post redditos iterum digito & una cum cadavere combustos, non obscure indicat Propertius lib. 4. Eleg.

Sunt aliquid, &c.

Et solitum digito beryllon adederat ignis.

Ptolomæum quoque Herodis mortui digito annulum detraxisse, & in concionem protulisse : eundemque annulum postea fuisse Cæsari Augusto transmissum, scribit Egesippus lib. 1. cap. ult.

Vel ipsi morientes solebant uni ex amicis, si quis charior inter extrema oscula præsens adesset, annulum tradere. Plautus Curculione Act 5. Sc. 2. Phædromus :

Miles, inquit, *quæso ut mihi dicas, unde istunc habeas annulum,*

Et paulo post respondet Miles :

Pater meus habuit Periphanes, Planesium :

Is priusquam moritur, mihi dedit tanquam suo,

Vt æquum fuerat filio. PL. *proh Iupiter !*

MI. *Et iste me heredem fecit.*

Sic Augustus Cæsar 11. Consul cum graviter ægrotaret, desperata salute, cum quædam de Repub. differuisset, *Agrippæ annulum tradidit*, τῷ Ἀγρίππᾳ τὸν δακτύλιον ἐνεχείρισε, Dio lib. 53. Tiberium Cæsarem *intellecta defectione exemtum digito annulum quasi alicui traditurum, parumper tenuisse, deinde rursus aptasse digito & compressa sinistra manu jacuisse diu*

immobilem, ex Seneca refert Suetonius in ejus Principis vitâ cap. 73. quanquam ipsi spiranti adhuc Caligulam annulum detrahi & quoniam suspicionem retinentis dabat, pulvinum injici jussisse, tradit idem Suetonius in Calig. cap. 12.

De ELIZABETHA Angliæ Regina auctor est Guil. Cambdenus, illam in ipso „ morbi primordio jussisse annulum illum, „ quo Regno inauguratione quasi connubio conjuncta fuerat, & jam inde nunquam exuerat, digito exscindi, cum „ ita carni increvisset, ut detrahi non posset. Quod in triste omen arreptum, quasi „ connubium illud cum Regno per annulum contractum dissolvendum portenderit. neque hoc vanum fuit: morbus enim hicce Optimæ huic reginæ septuagesimum ætatis annum agenti emortualis fuit. Cambden. Part. 4. Historiar Anglic. in fine. Pag. mihi 852.

Utrum autem annuli traditio fuerit olim instituendi heredis tessera quædam & symbolum, de eo merito ambigitur. Perdiccam quidem ab Alexandro Magno successorem in regno constitutum donatione annuli, putat Aristonus apud Curtium lib. 10. *Tum Aristonus orsus est dicere, Alexandrum consultum, cui relinqueret regnum, voluisse optimum deligi. Iudicatum autem ab ipso optimum Perdiccam, cui annulum tradidisset.* Justinus lib. 12. *Sexta die præcluſa voce exemptum digito annulum* Per-

Perdiccæ tradidit: quæ res gliſcentem amicorum diſſenſionem ſedavit. Nam etſi non voce nuncupatus heres, judicio tamen electus eſſe videbatur. Æmilius Probus in Eumene: *Alexandro Babylone mortuo, quum regna ſingulis familiaribus diſpertirentur, & ſumma rerum tradita eſſet tuenda eidem, cui Alexander moriens annulum ſuum dederat, Perdiccæ: ex quo omnes conjecerunt, eum regnum ei commendaſſe, quoad liberi ejus in ſuam tutelam perveniſſent.* Non neglexit id quoque Philippus Galtherus lib. 10. Alexandreidos, ubi exceſſum Alexandri M. deſcribit:

——— *Sic fatur: at illi*
Quærere cum planctu, lacrymis & fletibus inſtant,
Quem velit heredem mundoque relinquere Regem.
Optimus, inquit, *& imperio digniſſimus eſto*
Rex veſter. Sed vox poſtquam non affuit, aurum
Detractum digito Perdiccæ tradidit, unde
Præſumſere Duces Regem voluiſſe ſupremum
In regni ſibi Perdiccam ſuccedere ſummam.

Nec male illi ita colligebant. Erat enim annulus ſignatorius vel ſigillum plerumque dominii & poteſtatis ſymbolum. Ideo quibus Reipub. vel regni adminiſtratio, eiſdem etiam annuli vel ſigilli cura ſolebat

committi. Quomodo Philippum Macedonem, cum in Byzantinos moveret, Alexandro filio decimum sextum ætatis annum agenti Macedoniæ & sigilli cum libera potestate curam demandasse, refert Plutarchus in Alexandro. Φιλίππου δὲ, inquit ille, στρατεύοντος ἐπὶ Βυζαντίους, λύσαντος ἐκκαιδεκαέτης, ὁ Αλέξανδρος, ἀπολειφθεὶς δὲ κύριος τῶν Μακεδονίας τε πραγμάτων καὶ τῆς σφραγῖδος, Μεδάρους τοὺς ἀφεστῶτας καταστρέψατο, καὶ πόλιν ἑλὼν αὐτῶν, τοὺς μὲν βαρβάρους ἐξαπήλασεν, συμμίξασι δὲ κατοικήσας, Αλεξανδρόπολιν ὠνόμασεν. hoc est, *Cum Philippus adversum Byzantinos expeditionem fecisset, Alexander annum tum agens decimum sextum, rerum Macedonicarum sigillique curator relictus, Medos, qui defecerant, subegit, urbemque eorum captam, barbaris ejectis, convenis habitandam tradidit, & Alexandropolim nominavit.* Et Helenam Adiabenorum reginam grandiori natu filio Monobazo annulum patris signatorium dedisse, commissa ipsi Reipub. administratione, donec adveniret frater Izates, quem pater regni heredem destinaverat, auctor Josephus lib. 20. Antiquit. c. 2. πείθει τούτοις ἡ Ελένη καὶ καθίστησι τὸν πρεσβύτερον παῖδα Μονόβαζον βασιλέα φθείσασα τὸ δακτύλιον καὶ δοῦσα τὸν σημαντῆρα τοῦ πατρὸς δακτύλιον, τιμῶσι σαμψηρὰν ὀνομαζομένῳ παρ' αὐτοῖς, διοικεῖντε τούτοις τὴν βασιλείαν παρὼν μέχρι τοῦ ἀδελφοῦ παρα-

παρεσίας. id est, *Paruit his Helena, & proregem fecit grandiorem filium Monobazum, impositio ei diademate, & dato patris annulo signatorio, simulque sampsera, ut ipsi vocant: jussitque eum administrare Rempub. donec frater veniat.* Atque hæc est causa, cur Qu. Catulus, cum nocte quadam post dedicatum Capitolium somniasset, *Iovem Opt. Max. prætextatis compluribus circum aram ludentibus, unum secreviſſe, atque in ejus sinum signum Reipub. quod manu gestaret, reposuisse*, teste Suetonio in Augusto cap. 94. conjecturam ex eo fecerit, in Augusti potestatem fore aliquando Rempub. Nam recte ibi *signum Reipub.* Isaacius Casaubonus interpretatur δημοσίαν σφραγῖδα, qua obsignari solita diplomata, & quæcunque alia Reipub. nomine signabantur. Hinc etiam factum, ut Hadrianus à Trajano Imperatore extra ordinem gemma donatus & quidem ea, quæ jam semel omen imperii fuerat, non temere spem successionis conceperit. Sic enim Spartianus: *Secunda expeditione Dacica Trajanus eum primæ legioni Minerviæ præposuit, secumque duxit, quandoquidem multa egregia ejus facta claruerunt. Quare adamante gemma, quam Trajanus à Nerva acceperat, donatus, ad spem successionis erectus est.*

Eadem de causa etiam Johannes Comnenus cum videret matrem id agere, ut in sororem Annam, quæ Nicephoro

Bryennio nupserat, imperium transferretur, patri Alexio jam jam morituro annulum detraxit, hoc pacto sibi imperium firmaturus. Nicetas non procul ab initio suæ historiæ. pag. 7. ὁ δὲ παῖς Ἰωάννης τὸν πατέρα ὁρῶν τῇ πλάτῃ ὠλησιάζοντα, καὶ τὴν μητέρα εἰδὼς ἀποστέργουσαν, καὶ τῇ ἀδελφῇ τῇ βασιλείαν μνωμένῃ, κοινοῦται τὸ ποιητέον τοῖς ἐκ τῆς συμφυΐας ἐκείνου φίλοις φέρουσιν. ὧν τὰ κεφάλαια ἦν ὁ ἀδελφὸς Ἰσαάκιος, καὶ δὴ λαθὼν τὴν μητέρα, εἰσῆσι τὸν κοιτῶνα τοῦ πατρὸς, καὶ ὥσπερ νόσου ἀμηχανοῦντα θρηνῆσαι βουλόμενος, ὑφαιρεῖται λάθρᾳ τοῦ ἐκείνου χειρὸς τὸν σφραγῖδα δακτύλιον. εἰσὶ δ' οἱ καὶ γνώμην ταύτην παρὸς αὐτὸν φασὶ τόδε πεποιηκέναι, ὡς δόλῳ σινοεῖν τὰ μὴ βραχὺ ῥηθησόμενα. hoc est, *Filius autem Iohannes videns patrem morti vicinum, & materni odii gnarus, quæ imperium in sororem transferre niteretur, negotium cum cognatis sui studiosis communicat, quorum princeps erat frater Isaacius: Et clam matre paternum cubiculum ingressus, & tanquam morbum ejus deplorare vellet, prostratus, annulum de manu ejus surripit. Sunt tamen qui id eum de sententia patris feciisse affirment: idque ex iis, quæ mox sequentur, fit probabile.* Quanquam custodes magni palatii non contenti erant ostenso annulo, ut ipsum tanquam regni heredem intromitterent, sed aliud evidentius argumentum ab ipso quærebant, quo se patris jussu adesse comprobaret. Sic enim non multo

post

post idem Nicetas: Ὁ δὲ Ἰωάννης καὶ τὸ μέγα δεχεῖον ἠνώμβρος, οὐκ οὔρισε ῥαδίαν τὴν εἴσοδον, οἷα φυλάκων μὴ πρὸς μόνην ὑπανοιδόντων τὴν τῆς δακτυλίου ὑπόδειξιν, ἀλλὰ πρόσπιζητούντων ἐκ ἄλλου τεκμήριον καὶ κλήσιν παρικὸν ἰδίοις πλησίοις. Et recte quidem illi.

Nam non sola annuli traditio ad heredis institutionem sufficiebat, nisi ea testamento probaretur, confirmareturque. Testantur id exempla eorum, qui annulos quidem amicis tanquam heredibus dederant, quos tamen nulla ex parte heredes scripserunt. Fecit id Q. Cæcilius, qui *L. Luculli promtissimo studio, maximaque liberalitate & honestum dignitatis gradum & amplissimum patrimonium consecutus, cum præ se semper tulisset, unum illum sibi fore heredem, moriens etiam annulos ei suos tradidisset, Pomponium Atticum testamento adoptavit, omnium bonorum reliquit heredem,* ut auctor est Valerius Maximus lib. 7. cap. 8. qui simile quid narrat etiam de T. Barrulo. Is *Lentulo Spintheri, cujus amantissimum animum liberalissimamque amicitiam senserat, decedens suos annulos perinde atque unico heredi tradidit, quem nulla ex parte heredem relinquebat.* Et de M. Popillio, qui Oppium Gallum ab ineunte ætate familiarissimum sibi moriens *unum de multis, qui assidebant ultimo complexu & osculo dignum judicavit: superque annulos suos ei tradidit, videlicet ne quid ex*

ea hereditate, quam non erat aditurus, amitteret. Quos ocyus vir diligens, sed morientis amici plenum contumeliæ ludibrium, in locellum repositos & à præsentibus obsignatos, diligentissime heredibus illius, exheres ipse reddidit. Sed audiamus, quid in hac controversia respondeat Papinianus. *Pater,* inquit ille l. 77. cum pater. §. Pater. D. de Legat. 2. *pluribus filiis heredibus institutis, moriens claves & annulum custodiæ causa, majori natu filiæ tradidit: & libertum eidem filiæ, qui præsens erat, res, quas sub custodia sua habuit, assignare jussit, commune filiorum negotium gestum intelligebatur, nec ob eam apud arbitrum divisionis, præcipuam causam filiæ fore.*

CAP. XXIII.

Omina ex annulis captari solita. Annulus miraculose de cingulo in terram prolapsus. Probatio per annulum candentem.

PLeraque quæ de Annulis in mentem inciderunt, diximus: nunc priscos ex annulo quoque omen aliquod captare solitos ostendemus: id quod Timoleontem factitasse, testis est Plutarchus in ejus vita. Cum enim Icetes Leontinorum tyrannus, transmisso Damyria fluvio, Timoleontis exercitum transitu prohibere vellet, mira contentio ductoribus militum Timoleontis inciderat, quæ pugnam retardaret. Nullus enim eorum post alterum transire volebat, sed unusquisque primus

primus hosti manum conferre cupiebat: ideoque nullo ordine transibant, mutuo se præterire cupientes atque impedientes. Quare ut sorte rem dijudicaret Timoleon, à quolibet ducum accepit annulum: omnibus iis in chlamydem suam conjectis & mixtis, primum forte eum extraxit, cui erat insculptum tropæum. Hoc viso milites magno cum gaudio clamorem sustulerunt, neque jam sortem reliquorum exspectavêre, sed summa pro se quisque celeritate fluvium transeuntes, cum hostibus conflixerunt. Verba Plutarchi hæc sunt: τοῖς δὲ μὴ ἔχουσι Τιμολέοντος εἰλάρχαις ἦσαν ἐμπεσοῦσαι θαυμασὴ καὶ φιλονεικία, διαπειρῶσα ἑκάστου τὴν μάχην. εὐθὺς γὰρ ὁ βυλόμενος ἑτέρου διαβαίνοντος ὕστερος ἐπὶ τοὺς πολεμίους, ἀλλ' αὐτὸς ἕκαστος ἠξίου πρωτοστατεῖν, καὶ κόσμον οὐκ εἶχεν ἡ διάβασις, ἐξωθούντων καὶ ὠθιζομένων ἀλλήλους. Βυλόμενος δὴ ὁ Τιμολέων κληρῶσαι τοὺς ἡγεμόνας, ἔλαβεν παρ' ἑκάστου δακτύλιον. ἐμβαλὼν δὲ πάντας εἰς τὸν ἑαυτοῦ χλαμύδα, καὶ μίξας, ἔδειξε τὸ πρῶτον κατὰ τύχην γλυφὴν ἔχοντα τροπαιοφόρου τρόπαιον. ὡς δὲ τοῦτο εἶδον οἱ νεανίσκοι, μὴ χαρᾶς ἀναπεφραγότες, οὐκ ἐπὶ τὸ ἄλλον ὑπέμειναν κλῆρον, ἀλλ' ὡς ἕκαστος τάχους εἶχεν, τὸ ποταμὸν διεξελάσαντες, ἐν χερσὶν ἦσαν τοῖς πολεμίοις.

Polycrati Samiorum tyranno annulus, quem in mare projecerat, in ventre piscis repertus summæ calamitatis fuit nuncius.

Hi-

Historia extat apud Herodotum libro 3. ἐν οἱ σφρηγὶς τὴν ἐφόρεε χρυσόδετον, Σμαραγδος μὲν λίθος ἐοῦσα, ἐν δὲ ἔργον Θεοδώρου τοῦ Τηλεκλέος Σαμίου. Ἐπεὶ ὦν τοῦτον οἱ ἐδόκεε ἀποβαλέειν, ἐποίεε τάδε. Πεντηκόντερον πληρώσας ἀνδρῶν, ἐσέβη ἐς αὐτήν. μετὰ δὲ ἀναχωρεῖν ἐκέλευε ἐς τὸ πέλαγος. ὡς δὲ ἀπὸ τῆς νήσου ἐκὰς ἐγένετο, ἐξελόμενον τὴν σφρηγίδα, πάντων ὁρεόντων τῶν συμπλόων, ῥίπτει ἐς τὸ πέλαγος. τοῦτο δὲ ποιήσας ἀπέπλεε. ἀπικόμενον δὲ ἐς τὰ οἰκία, συμφορῇ ἐχρᾶτο. πέμπτῃ δὲ ἢ ἕκτῃ ἡμέρῃ ἀπὸ τούτων, τάδε οἱ συνέβη γενέσθαι. ἀνὴρ ἁλιεὺς, λαβὼν ἰχθὺν μέγαν τε καὶ καλὸν, ἠξίου μιν Πολυκράτεϊ δῶρον δοθῆναι. φέρων δὲ ἐπὶ τὰς θύρας, Πολυκράτεϊ ἔφη ἐθέλειν ἐλθεῖν ἐς ὄψιν. Χαρήσαντα δὲ οἱ τούτοισι, ἔλεγε διδοὺς τὸν ἰχθύν, ὦ βασιλεῦ, ἐγὼ τόν δ' ἐλὼν. οὐκ ἐδικαίωσα φέρειν εἰς ἀγορὴν, καίπερ ἐὼν ἀπὸ χειρογαστρίου, ἀλλά μοι ἐδόκεε σεῦ τε εἶναι ἄξιον καὶ τῆς ἀρχῆς. σοὶ δή μιν φέρων δίδωμι. ὁ δὲ, ἡσθεὶς τοῖσι εἰρημένοισι, ἀμείβεται τοῖσδε, Κάρτα τε εὖ ἐποίησας. καὶ χάρις διπλέη τοῦτο λέγων καὶ δίδους. καί σε ἐπὶ δεῖπνον καλέομαι. ἢν μὲν δὴ ἁλιεὺς, μέγα ποιεύμενον ταῦτα, ἴτις ἐς τὰ οἰκία. τὸν δὲ ἰχθὺν πέμποντες οἱ θεράποντες, διείρυσαι ἐν τῇ ἠιόνι αὐτὸν ἐνιεῖσαν τὴν Πολυκράτεος σφρηγῖδα. ὡς δὲ εἶδόν τε καὶ ἔλαβον, τάχιστα ἔφερον κεχαρηκότες πρὸς τὸν Πολυκράτεα. διδόντες δὲ οἱ τὴν σφρηγῖδα, ἔλεγον ὅτεῳ τρόπῳ εὑρεθείη. hoc est, *Erat ei gemma signatoria Smaragdus, quam ge-*

geſtabat auro incluſam, opus Theodori Samii Telecle geniti. hanc ubi abjiciendam ſtatuit, ita abjicere libuit. Quinquaginta remorum navem conſcendit: eam dehinc viros, quibus illam inſtruxerat, in pelagus educere jubet. Et poſtquam ab inſula procul aberat, detractum ſibi ſigillum, iis qui una navigabant, inſpectantibus, abjecit in pelagus: hoc acto navigavit. Reverſo domum, quum ex jactura afficeretur, quinto ſextove, quam hæc acta ſunt die, hoc ei caſu evenit. Piſcator quidam captum à ſe piſcem, grandem ſane & pulchrum putavit dignum, quo Polycratem donaret. Eum ad fores quum attuliſſet, dixit ſe in conſpectum Polycratis ire velle: à janitore permiſſus, donans Polycrati piſcem, Rex, inquit, hunc ego quem cepi piſcem, etſi operis manuariis vitam tolero, tamen non judicavi ferendum à me eſſe in forum, ſed te tuaque potentia dignum. Eum itaque affero tibi, donoque. His verbis iſte delectatus, ita reſpondit: Tu vero probe, nec facto ſolo, ſed etiam ratione apud me imiſti gratiam: ad cœnamque te vocatum volo. Hæc magni faciens piſcator domum abiit. Piſcem miniſtri reſcindentes, offendunt in ejus alvo ſigillum Polycratis. Quod ubi viderunt, ſumſeruntque, ad Polycratem lætabundi quam celerrime pertulerunt: eoque illi reddito, referebant, quo pacto fuiſſet inventum. Hujus annuli & artificis mentio etiam eſt apud Pauſaniam in Arcadicis : Διίχεαν δὲ χαλκὸν

ωρῶτοι.

πρῶτοι δ ἀγάλματα ἐχωνώσαντο Ροῖκός τε Φιλαίου, δ Θεόδωρος Τηλεκλέους, Σάμιοι. Θεοδώρου δὲ ἔργον ἐστὶν δ ἐπὶ σφραγῖδι λίθου σμαράγδου σφραγίς, ἣν Πολυκράτης ὁ Σάμου τυραννήσας ἐφόρεσε τὰ μάλιστα, δ ἐπ' αὐτῆς ἀφειδῶς δήπου ἠγάλλετο. hoc est, *Æs primi fuderunt & statuas conflarunt Rhœcus Phiæi, & Theodorus Teleclis filius, Samii. Theodori vero opus fuit & signum illud in gemma Smaragdo, quam Samiorum Tyrannus Polycrates plerumque gestabat, & qua supra modum (si Dis placet) sese efferebat.* De eodem Plinius libro 37. cap. 1. *His initiis cœpit auctoritas, in tantum amorem elata, ut Polycrati Samio severo insularum ac litorum tyranno felicitatis suæ, quam nimiam fatebatur etiam ipse, satis piamenti in unius gemmæ voluntario damno videretur, si cum fortunæ volubilitate paria faceret: planeque ab invidia ejus abunde se redimi putaret, si hoc unum doluisset. Assiduo ergo gaudio lassus, provectus navigio in altum, annulum mersit. At illum piscis eximia magnitudine regi natus, escæ vice raptum, ut faceret ostentum, in culinam domini rursus fortunæ insidiantis manu reddidit. Sardonychem* (non fuisse Sardonychem ostendit Salmasius ad Solinum pagina 557.) *eam gemmam fuisse constat: ostenduntque Romæ, si credimus, in Concordiæ delubro, cornu aureo Augustæ dono inclusam & novissimum prope locum tot prælatis obtinentem.*

Et


image
not
available

piens annulum, in servi sinum demisit. Et paulo post Æsopus libertatem consecutus prodigium hoc ita interpretatur: *Ἄνδρες Σάμιοι, ὁ μὲν ἀετὸς, ὡς ἴστε, βασιλεὺς τῶν ὀρνίθων ἐστὶ, ὅτι δὲ τὸν τραπηζικὸν δακτύλιον ὅτος ἁρπάσας ἀφῆκεν εἰς δοῦλα κόλπον, τοῦτο σημαίνει βούλεται, ὅτι τῶν νῦν βασιλέων τις βούλεται ὑμῶν τὴν ἐλευθερίαν δουλώσαι, καὶ τοὺς κυρίους νόμους ἀκύρους ποιῆσαι.* hoc est, *Viri Samii, Aquila, ut scitis, regina avium est, quoniam autem Imperatorium annulum hæc raptum demisit in sinum servi hoc significare vult, quendam ex iis, qui nunc sunt, Regem velle vestram libertatem in servitutem redigere, atque sancitas leges irritas facere.*

Quomodo Edouardo III. Anglorum Regi annulus, quem pauperi olim Eleëmosynæ loco obtulerat, redditus mortis omen fecerit cap. 21. dictum est.

Arnolphum quoque Lotharingiæ principem ex annulo, quem in Mosellam fl. abjecerat, in piscis ventre aliquanto post invento, de impetrata à Deo peccatorum venia ominatum esse, auctor est Petrus Damianus Epist. 5. cap. 10. tomo 3. Bibliothecæ. S. Patrum: *Hic Arnulphus, Pipini pater & Carolomagni Regum avus fuit. Cumque divini Spiritus ardore succensus, uxoris affectus filiorumque postponeret, ac mundanæ gloriæ pompas, glorifica Christi paupertate mutaret, ad eremum properans, contigit ut per fluvium, qui Mo-*

sella

sella dicitur, transitum viator haberet. Sed cum jam medium forte superjecti pontis attingeret, ubi torrentis alveus profundior decurrebat, illic annulum suum sub hac fœderis conditione projecit: Cum ergo, inquit, *annulum hunc recepero de spumosis fluctibus erutum, tunc me procul dubio confidam omnium peccatorum meorum nexibus absolutum. Moxque eremum petiit, ubi non parvo tempore, sibi ac mundo mortuus vixit. Interea defuncto, qui tunc fuerat, Metensis Ecclesiæ Antistite, B. Arnulphum ad curam pastoralis regiminis dispensatio divina provexit. Dumque esu carnium, prout in eremo assueverat, in Ecclesia nihilominus abstineret, piscis aliquando sibi delatus est in xenium: Quem coquus exventrans* (Lege *exenterans*) *in illis ejus annulum reperit, eumque mox Domino suo lætabundus offerre curavit. Quem beatus Episcopus ut aspexit, illico recognovit, & non tam metalli miratus est venam, quam quia propitiatione divina reatus sui consequutus est veniam, &c.* Fulgosus libro 6. capite 9. Non dissimilis historia, quanquam in re dissimili, extat apud Willielmum Malmesburiensem libro 4. de Gestis Pontificum Anglorum cap. de Monasteriis, ubi narrat Egwinum Wigornienſem Præsulem *peccatorum juvenilium quondam conscium, pedes compedibus irretiisse, clavibus compedum in amnem jactatis palam dixisse, tunc se demum de peccatis securum futurum,*

flumen. Et ſtatim addit idem Auguſtinus: *Non credunt hoc, qui etiam Dominum Ieſum per integra virginalia matris enixum & ad diſcipulos oſtiis clauſis ingreſſum fuiſſe non credunt.*

Dum in his ſum, non prætereundum eſt, quod de probatione per annulum candentem refert Gregorius Turonenſis de Gloria Martyrum cap. 3. *Retulit alius vir fidelis, ſpectaſſe ſe Chriſtianum cum hæretico pro fide noſtra certantem: altercantibuſque diu de divinis ſcripturis, cum flecti non poſſet hæreticus, ut agnoſceret veritatem, ait: Si noſtræ religionis, ſi ſcripturarum teſtimonia te ad credendum minime movent, vel virtutem individuæ Trinitatis miraculis experire. Eſt digito meo annulus aureus: ego eum in ignem jacio, tu candentem collige: Projectumque inter prunas annulum ita igniri permiſit, ut eis ſimilis cerneretur. Converſuſque ad hæreticum ait: Si vera eſt perſecutio tua, ſume eum ab igne Illo autem reſiſtente, ait vir: Immenſa Trinitas Deus, ſi aliquid indignum te credo, oſtende. Certe ſi recta eſt fides mea, nihil prævalebunt hæc incendia ſæva: & ablatum ab igne annulum diutiſſime palma ſuſtinuit, & nihil eſt nocitus: ſed magis, confuſo hæretico, catholicos reliquos fervore ſuæ fidei roboravit.*

CAP.

Cap. XXIV.

Proverbia ab annulis sumpta. Per annulum trahi. Annulum ne gestato. *Ratio annuli anguſti è digito detrahendi ex Aëtio.*

NUnc adagia quædam ab annulis sumpta, vel dicta ad agiis non dissimilia videbimus. Apud Aristophanem in Pluto Actu 4. Scena 4. Anus conquerens se ab adolescente derelictam, atque ideo se mœrore exhaustam indicare volens:

Διὰ δακτυλίε, inquit, μ' ἂν ἕμειγ' ἂν ἐλκύσαις,

Itaque profecto per annulum me traxeris.

Quid autem sit *per annulum trahi*, docet nos Zenobius, qui Centuria 3. Adagio 18. Διὰ δακτυλίε ἐπὶ τῶν ἐλκυσθέντων dictum putat in eos, qui morbo aut dolore tenues redditi sunt. ἐπὶ τῶν διὰ νόσου ἢ λύπην λεπτῶν καὶ ἰσχνῶν γεγονότων. Vide & Diogenianum Cent. 4. Proverb. 30. & Suidam Centur. 5. Proverb. 45. Durat hodieque proverbium de virginibus gracili corpore, quæ, ut in Eunucho Chærea ait, *curatura junceæ sunt, & vincto corpore, ut graciles fiant.* Allusit huc Martial. lib. 11. Epigr. 101. quod clarissimus Scriverius quoque notavit:

Habere amicam nolo Flacce subtilem,
Cujus lacertos annuli mei cingant.

Quomodo apud Quintilianum lib. 6. c. 4. Pu-

ea hereditate, quam non erat aditurus, amitteret. Quos ocyus vir diligens, sed morientis amici plenum contumeliæ ludibrium, in locellum repositos & à præsentibus obsignatos, diligentissime heredibus illius, exheres ipse reddidit. Sed audiamus, quid in hac controversia respondeat Papinianus. *Pater*, inquit ille l. 77. cum pater. §. Pater. D. de Legat. 2. *pluribus filiis heredibus institutis, moriens claves & annulum custodiæ causa, majori natu filiæ tradidit: & libertum eidem filiæ, qui præsens erat, res, quas sub custodia sua habuit, assignare jussit, commune filiorum negotium gestum intelligebatur, nec ob eam apud arbitrum divisionis, præcipuam causam filiæ fore.*

CAP. XXIII.

Omina ex annulis captari solita. Annulus miraculose de cingulo in terram prolapsus. Probatio per annulum candentem.

PLeraque quæ de Annulis in mentem inciderunt, diximus: nunc priscos ex annulo quoque omen aliquod captare solitos ostendemus: id quod Timoleontem factitasse, testis est Plutarchus in ejus vita. Cum enim Icetes Leontinorum tyrannus, transmisso Damyria fluvio, Timoleontis exercitum transitu prohibere vellet, mira contentio ductoribus militum Timoleontis inciderat, quæ pugnam retardaret. Nullus enim eorum post alterum transire volebat, sed unusquisque primus

primus hosti manum conferre cupiebat: ideoque nullo ordine transibant, mutuo se præterire cupientes atque impedientes. Quare ut sorte rem dijudicaret Timoleon, à quolibet ducum accepit annulum: omnibus iis in chlamydem suam conjectis & mixtis, primum forte eum extraxit, cui erat insculptum tropæum. Hoc viso milites magno cum gaudio clamorem sustulerunt, neque jam sortem reliquorum exspectavêre, sed summa pro se quisque celeritate fluvium transeuntes, cum hostibus conflixerunt. Verba Plutarchi hæc sunt: τοῖς δὲ μὴ ἔχουσι Τιμολέοντος εἰλάρχαις ἔρις ἐμπίπτουσα θυμοῦ καὶ φιλονεικίας, διαπεδᾶν ἐποίει τὴν μάχην. ἰδὼν γὰρ ταῦτα ὁ βυλόμενος ἐπέρα διαβαίνειν ὕστερος ἐπὶ τοὺς πολεμίους, ἀλλ' αὐτὸς ἕκαστος ἠξίου πρωταγωνιστεῖν, καὶ πόσον οὐκ εἶχεν ἡ διάβασις, ἐξωθούντων καὶ συμπιεζόντων ἀλλήλους. βυλόμενος δ' ὁ Τιμολέων κληρῶσαι τοὺς ἡγεμόνας, ἔλαβεν παρ' ἑκάστου δακτύλιον. ἐμβαλὼν δὲ πάντας εἰς τὸν ἑαυτοῦ χλαμύδα, καὶ μίξας, ἔδειξε τὸ πρῶτον κατὰ τύχην γλυφὴν ἔχοντα τὸ σφραγῖδος τρόπαιον. ὡς δὲ τοῦτο εἶδον οἱ νεανίσκοι, μὴ χαρᾶς ἀναπηδήσαντες, οὐκ ἐπὶ τὸ ἄλλον ὑπερέμενον κλῆρον, ἀλλ' ὡς ἕκαστος εἶχεν, τὸν ποταμὸν διεξελάσαντες, ἐν χερσὶν ἦσαν τοῖς πολεμίοις.

Polycrati Samiorum tyranno annulus, quem in mare projecerat, in ventre piscis repertus summæ calamitatis fuit nuncius. Hi-

Historia extat apud Herodotum libro 3. ἐν οἱ σφρηγὶς τὴν ἐφόρεε χρυσόδετον, Σμαραγδος μὲν λίθος ἐοῦσα, ἐν δὲ ἔργον Θεοδώρου τοῦ Τηλεκλέος Σαμίου. Ἐπεὶ ὦν τυράννου οἱ ἐδόκεε λυσιτελέειν, ἐποίεε τάδε. Πεντηκόντερον πληρώσας ἀνδρῶν, ἐσέβη ἐς αὐτήν. μετὰ δὲ. ἀναγαγεῖν ἐκέλευε ἐς τὸ πέλαγος. ὡς δὲ ἀπὸ τῆς νήσου ἐκὰς ἐγένετο, τοὺς ἐλόμενος τῶν σφρηγίδα, πάντων ὀρέοντων τὸν συμμαχόων, ῥίπτει ἐς τὸ πέλαγος. τοῦτο δὲ ποιήσας ἀπέπλεε. ἀπικόμενος δὲ ἐς τὰ οἰκία, συμφορῇ ἐχρᾶτο. πέμπτῃ δὲ ἢ ἑκτῃ ἡμέρῃ ἀπὸ τούτων, τάδε οἱ συνήνεικε γενέσθαι. ἀνὴρ ἁλιεὺς, λαβὼν ἰχθὺν μέγαν τε καὶ καλὸν, ἠξίου μιν Πολυκράτεϊ δῶρον δοθῆναι. φέρων δὲ ἐπὶ τὰς θύρας, Πολυκράτεϊ ἔφη ἐθέλειν ἐλθεῖν ἐς ὄψιν. Χαρήσαντι δὲ οἱ τούτου, ἔλεγε δίδοὺς τὸν ἰχθῦν, ὦ βασιλεῦ, ἐγὼ τε ἁλιεὺς. οὐκ ἐδικαίωσα φέρειν εἰς ἀγορὴν, καίπερ ἐὼν ἀπὸ χρημάτων, ἀλλά μοι ἐδόκεες σεῦ τε εἶναι ἄξιος καὶ τῆς ἀρχῆς. σοὶ δὴ μιν φέρων δίδωμι. ὁ δὲ, ἡσθεὶς τοῖσι εἰρημένοισι, ἀμείβεται τοῖσδε, Κάρτα τε εὖ ἐποίησας. καὶ χάρις διπλέη τοῦτο λόγων καὶ ἔργου. καὶ σε ἐπὶ δεῖπνον καλέομαι. ἦ μὲν δὴ ἁλιεὺς, μέγα ποιεύμενος ταῦτα, ἤιε ἐς τὰ οἰκία. τὸν δὲ ἰχθὺν πάμπολλοι οἱ θεράποντες, δυείσκουσι ἐν τῇ νηδύϊ αὐτοῦ ἐνεῖναι τὴν Πολυκράτεος σφρηγῖδα. ὡς δὲ εἶδόν τε καὶ ἔλαβον, τάχιστα ἔφερον κεχαρηκότες πρὸς τὸν Πολυκράτεα. διδόντες δὲ οἱ τὴν σφραγῖδα, ἔλεγον ὅτεῳ τρόπῳ εὑρεθείη. hoc est, *Erat ei gemma signatoria Smaragdus, quam ge-*

geſtabat auro incluſam, opus Theodori Samii Telecle geniti. hanc ubi abjiciendam ſtatuit, ita abjicere libuit. Quinquaginta remorum navem conſcendit: eam dehinc viros, quibus illam inſtruxerat, in pelagus educere jubet. Et poſtquam ab inſula procul aberat, detractum ſibi ſigillum, iis qui una navigabant, inſpectantibus, abjecit in pelagus: hoc acto navigavit. Reverſo domum, quum ex jactura afficeretur, quinto ſextove, quam hæc acta ſunt die, hoc ei caſu evenit. Piſcator quidam captum à ſe piſcem, grandem ſane & pulchrum putavit dignum, quo Polycratem donaret. Eum ad fores quum attuliſſet, dixit ſe in conſpectum Polycratis ire velle: à janitore permiſſus, donans Polycrati piſcem, Rex, inquit, hunc ego quem cepi piſcem, etſi operis manuariis vitam tolero, tamen non judicavi ferendum à me eſſe in forum, ſed te tuaque potentia dignum. Eum itaque affero tibi, donoque. His verbis iſte delectatus, ita reſpondit: Tu vero probe, nec facto ſolo, ſed etiam ratione apud me iniſti gratiam: ad cœnamque te vocatum volo. Hæc magni faciens piſcator domum abiit. Piſcem miniſtri reſcindentes, offendunt in ejus alvo ſigillum Polycratis. Quod ubi viderunt, ſumſeruntque, ad Polycratem lætabundi quam celerrime pertulerunt: eoque illi reddito, referebant, quo pacto fuiſſet inventum. Hujus annuli & artificis mentio etiam eſt apud Pauſaniam in Arcadicis : Διίχεσι δὲ χαλκοῦν

πρῶτοι ἐ ἀγάλματα ἐχώνευσαν Ροῖκός τε Φοιάξ, ἐ Θεόδωρος Τηλεκλέους, Σάμιοι. Θεοδώρου δὲ ἔργον ἐστὶν ἐ ἐπὶ τῇ λίθῳ τῇ Σμαραγδῳ σφραγίς, ἣν Πολυκράτης ὁ Σάμου τυραννήσας ἐφόρεῖτο τὰ μάλιστα, ἐ ἐπ' αὐτῆς ἐφειστῶς δήπου ἠγάλλετο. hoc est, *Æs primi fuderunt & statuas conflarunt Rhœcus Phiæi, & Theodorus Teleclis filius, Samii. Theodori vero opus fuit & signum illud in gemma Smaragdo, quam Samiorum Tyrannus Polycrates plerumque gestabat, & qua supra modum (si Dîs placet) sese efferebat.* De eodem Plinius libro 37. cap. 1. *His initiis cœpit auctoritas, in tantum amorem elata, ut Polycrati Samio severo insularum ac litorum tyranno felicitatis suæ, quam nimiam fatebatur etiam ipse, satis piamenti in uniùs gemmæ voluntario damno videretur, si cum fortunæ volubilitate paria faceret: planeque ab invidia ejus abunde se redimi putaret, si hoc unum doluisset. Assiduo ergo gaudio lassus, provectus navigio in altum, annulum mersit. At illum piscis eximia magnitudine regi natus, escæ vice raptum, ut faceret ostentum, in culinam domini rursus fortunæ insidiantis manu reddidit. Sardonychem* (non fuisse Sardonychem ostendit Salmasius ad Solinum pagina 557.) *eam gemmam fuisse constat: ostenduntque Romæ, si credimus, in Concordiæ delubro, cornu aureo Augustæ dono inclusam & novissimum prope locum tot prælatis obtinentem.*

Et

Et Tzetzes Chiliad. 7. hist. 121.

Ο Πολυκράτης τοίσαρδιν ἡμέρας ἑπτομήν-
,ῳ.
Οι ἦχε πολυτίμητον δακτύλιον σμαραγ-
δου,
Οι τεχνικῶς ἐσφεράγισεν ὁ δακτυλιογλύ-
φῳ
Θεόδωρῳ ὁ Σάμιῳ ὑὸς Τ Τηλεκλέους
Εμβὰς εἰς σκάφῳ, ἔρριψεν εἰς μέσον Τ
πελάγους.

Videtur huc allusisse Nero, qui *ut consulto Delphis Apolline, septuagesimum ac tertium annum cavendum sibi audivit, quasi eo demum obiturus, ac nihil conjectans de ætate Galbæ, tanta fiducia, non modo senectam, sed etiam perpetuam singularemque concepit felicitatem, ut amissis naufragio pretiosissimis rebus, non dubitaverit inter suos dicere, pisces eas sibi relaturos esse,* teste Sueton. in Nerone c. 40.

Ex annulo sigilli publici, quem Aquila in maximâ Samiorum celebritate raptum in servi cujusdam sinum demisit, Æsopus Samiis prædixit, illos à Rege aliquo in servitutem redactum iri, ut narrat Maximus Planudes in vitâ Æsopi: Καθ' ὃν δὲ τοὺς καιροὺς τούτους συνέπεσέ τι τοιοῦτον ἐν Σάμῳ πανδήμου ἑορτῆς ἀγομένης αἰφνης ἀετὸς καθάψας τῷ τ δημόσιον ἁρπάσας δακτύλιον, εἰς δέλτα τόπον ἀφῆκεν. hoc est, *Ea tempestate hujusmodi res Sami contigit: Quum publice festum celebraretur, repente aquila devolans, & publicum rapiens*

piens annulum, in servi sinum demisit. Et paulo post Æsopus libertatem consecutus prodigium hoc ita interpretatur: *Ανδρες Σάμιοι, ὁ μὲν ἀετὸς, ὡς ἴστε, βασιλεὺς τῶν ὀρνίθων ἐστὶ, ὅτι δὲ τὸν βραλήμενον δακτύλιον ὑπὸ ἁρπάσας ἀφῆκεν εἰς δοῦλου κόλπον, τοῦτο σημαίνει βούλεται, ὅτι τῶν νυνὶ βασιλέων τις βούλεται ὑμῶν τὴν ἐλευθερίαν δουλώσαι, καὶ τοὺς κυρίους νόμους ἀκύρους ποιῆσαι.* hoc est, *Viri Samii, Aquila, ut scitis, regina avium est, quoniam autem Imperatorium annulum hæc raptum demisit in sinum servi hoc significare vult, quendam ex iis, qui nunc sunt, Regem velle vestram libertatem in servitutem redigere, atque sancitas leges irritas facere.*

Quomodo Edouardo III. Anglorum Regi annulus, quem pauperi olim Eleëmosynæ loco obtulerat, redditus mortis omen fecerit cap. 21. dictum est.

Arnolphum quoque Lotharingiæ principem ex annulo, quem in Mosellam fl. abjecerat, in piscis ventre aliquanto post invento, de impetrata à Deo peccatorum venia ominatum esse, auctor est Petrus Damianus Epist. 5. cap. 10. tomo 3. Bibliothecæ. S. Patrum: *Hic Arnulphus, Pipini pater & Carolomagni Regum avus fuit. Cumque divini Spiritus ardore succensus, uxoris affectus filiorumque postponeret, ac mundanæ gloriæ pompas, glorifica Christi paupertate mutaret, ad eremum properans, contigit ut per fluvium, qui Mo-*

sella

ſella dicitur, tranſitum viator haberet. Sed cum jam medium forte ſuperjecti pontis attingeret, ubi torrentis alveus profundior decurrebat, illic annulum ſuum ſub hac fœderis conditione projecit: Cum ergo, inquit, *annulum hunc recepero de ſpumoſis fluctibus erutum, tunc me procul dubio confidam omnium peccatorum meorum nexibus abſolutum. Moxque eremum petit, ubi non parvo tempore, ſibi ac mundo mortuus vixit. Interea defuncto, qui tunc fuerat, Metenſis Eccleſiæ Antiſtite, B. Arnulphum ad curam paſtoralis regiminis diſpenſatio divina provexit. Dumque eſu carnium, prout in eremo aſſueverat, in Eccleſia nihilominus abſtineret, piſcis aliquando ſibi delatus eſt in xenium: Quem coquus exventrans* (Lege *exenterans*) *in illis ejus annulum reperit, eumque mox Domino ſuo lætabundus offerre curavit. Quem beatus Epiſcopus ut aſpexit, illico recognovit, & non tam metalli miratus eſt venam, quam quia propitiatione divina reatus ſui conſequutus eſt veniam, &c.* Fulgoſus libro 6. capite 9. Non diſſimilis hiſtoria, quanquam in re diſſimili, extat apud Willielmum Malmesburienſem libro 4. de Geſtis Pontificum Anglorum cap. de Monaſteriis, ubi narrat Egwinum Wigornienſem Præſulem *peccatorum juvenilium quondam conſcium, pedes compedibus irretiiſſe, clavibus compedum in amnem jactatis palam dixiſſe, tunc ſe demum de peccatis ſecurum futurum,*

turum, cum compedes vel divinitus, vel ipsis reserarentur clavibus; ita Romam profectum prospereque reversum. Iam vero in illo mari, quo à Gallico continenti in Angliam transmittitur, cum navigaret, immanem piscem saltu puppim, qua pontifex vehebatur, ingressum, certatimque annitentibus nautis retentum. In ejus exenterati jecore clavem repertam, seræque compedum appositam, Sancto soluto securitatis plurimum donasse.

De Florentio sartore Hipponensi homine religioso & paupere, qui piscem grandem in littore palpitantem apprehendit, quem trecentis follibus vendiderit, & cujus in ventriculo coquus aureum annulum invenerit, audiamus Augustinum libro 22. de Civitat. Dei capite 8. *Erat quidam senex Florentius Hipponensis noster, homo religiosus & pauper, qui sartoris se arte pascebat, casulam perdiderat & unde sibi emeret non habebat. Ad viginti martyres, quorum memoria apud nos est celeberrima, clara voce ut vestiretur oravit. Adierunt ad eum adolescentes, qui forte aderant irrisores, eumque descendentem exagitantes prosequebantur, quasi à martyribus quinquagenos folles, unde vestimentum emeret, petivisset. ille tacitus ambulans ejectum grandem piscem palpitantem vidit in littore, cumque illis faventibus atque juvantibus apprehendit, & cuidam coquo Carchoso nomine, bene Chri-*

stiano

ſtiano ad coquinam conditoriam, indicans quid geſtum ſit, trecentis follibus vendidit, lanam comparare inde diſponens, ut uxor ejus quo modo poſſet ei, quo indueretur, efficeret. Sed coquus conſcindens piſcem, annulum aureum in ejus ventriculo invenit, moxque miſeratione flexus & religione perterritus homini eum reddidit, dicens, Ecce quomodo viginti martyres te veſtiverunt.

Annuli cingulo alligati & ſine ipſius annuli vel cinguli fractura in terram prolapſi meminit idem Auguſtinus eodem capite, cujus verba hæc ſunt: *A quodam Iudæo dicit (Petronia) ſibi fuiſſe perſuaſum, ut annulum capillatio cingulo inſereret, quo ſub omni veſte ad nuda corporis cingeretur: qui annulus haberet ſub gemma lapidem in renibus inventum bovis. Hoc alligata quaſi remedio ad Sancti martyris limina veniebat. Sed profecta à Carthagine cum in confinio fluminis Bragadæ in ſua poſſeſſione manſiſſet, ſurgens ut iter perageret, ante pedes ſuos illum jacentem annulum vidit & capillatiam zonam, qua fuerat alligatus, mirata tentavit. Quam cum omnino ſuis nodis firmiſſimis, ſicut fuerat, comperiſſet aſtrictam, crepuiſſe atque exiliiſſe annulum ſuſpicata eſt: qui etiam ipſe cum integerrimus fuiſſet inventus, futuræ ſalutis quodammodo pignus de tanto miraculo ſe accepiſſe præſumſit, atque illud vinculum ſolvens, ſimul cum eodem annulo projecit in flumen.*

flumen. Et ſtatim addit idem Auguſtinus: *Non credunt hoc, qui etiam Dominum Ieſum per integra virginalia matris enixum & ad diſcipulos oſtiis clauſis ingreſſum fuiſſe non credunt.*

Dum in his ſum, non prætereundum eſt, quod de probatione per annulum candentem refert Gregorius Turonenſis de Gloria Martyrum cap. 13. *Retulit alius vir fidelis, ſpectaſſe ſe Chriſtianum cum hæretico pro fide noſtra certantem: altercantibuſque diu de divinis ſcripturis, cum flecti non poſſet hæreticus, ut agnoſceret veritatem, ait: Si noſtræ religionis, ſi ſcripturarum teſtimonia te ad credendum minime movent, vel virtutem individuæ Trinitatis miraculis experire. Eſt digito meo annulus aureus: ego eum in ignem jacio, tu candentem collige: Projectumque inter prunas annulum ita igniri permiſit, ut eis ſimilis cerneretur. Converſuſque ad hæreticum ait: Si vera eſt perſecutio tua, ſume eum ab igne Illo autem reſiſtente, ait vir: Immenſa Trinitas Deus, ſi aliquid indignum te credo, oſtende. Certe ſi recta eſt fides mea, nihil prævalebunt hæc incendia ſæva: & ablatum ab igne annulum diutiſſime palma ſuſtinuit, & nihil eſt nocitus: ſed magis, confuſo hæretico, catholicos reliquos fervore ſuæ fidei roboravit.*

CAP.

Cap. XXIV.

Proverbia ab annulis sumpta. Per annulum trahi. Annulum ne gestato. *Ratio annuli anguſti è digito detrahendi ex Aëtio.*

NUnc adagia quædam ab annulis sumpta, vel dicta adagiis non dissimilia videbimus. Apud Aristophanem in Pluto Actu 4. Scena 4. Anus conquerens se ab adolescente derelictam, atque ideo se mœrore exhaustam indicare volens:

Διὰ δακτυλίου, inquit, μ' ἂν ἴσως ἐλκύσαις,

Itaque profecto per annulum me traxeris.

Quid autem sit *per annulum trahi*, docet nos Zenobius, qui Centuria 3. Adagio 18. Διὰ δακτυλίου δεῖ σε ἑλκυσθῆναι dictum putat in eos, qui morbo aut dolore tenues redditi sunt. ἐπὶ τῶν διὰ νόσου ἢ λύπην λεπτῶν & ἰσχνῶν γεγονότων. Vide & Dioge-nianum Cent. 4. Proverb. 30. & Suidam Centur. 5 Proverb. 45. Durat hodieque proverbium de virginibus gracili corpore, quæ, ut in Eunucho Chærea ait, *curatura junceæ sunt, & vincto corpore, ut graciles fiant.* Alluſit huc Martial. lib. 11. Epigr. 101. quod clariſſimus Scriverius quoque notavit:

Habere amicam nolo Flacce ſubtilem,
Cujus lacertos annuli mei cingant.

Quomodo apud Quintilianum lib. 6. c. 4.

Pu-

Publius Bleſſus Junium hominem nigrum & macrum & pandum *fibulam ferream* dixit. Hic quoque mihi in mentem venit, quod de ovis ſcribit Plinius lib. 10. cap. 60. *Ova aceto macerata in tantum molliuntur, ut per annulos tranſeant.*

Eſt etiam inter Pythagoræ ſymbola: Δακτύλιον μὴ φορεῖν, μηδὲ εἰκόνας αὐτοῖς ἐγχαράσσειν Θεῶν, *Annulum ne geſtato, neque Deorum imagines illis inſculpito:* de cujus Symboli poſtrema parte ſupra dictum eſt: prior quid ſibi velit, audiamus ex Jamblicho ſymbol. 23. τὸ δὲ δακτύλιον μὴ φόρει, ἀκολούθως τῷ Πυθαγορικῷ ἀρέσκοντι ἔλαμψε εἰς τὴν ἀπεργάζεσθαι ἕτως, ἐπεὶ δεσμῷ τρόπῳ ἔοικέναι τοῖς φοροῦσιν ὁ δακτύλιος, ἴδιον ἔχων τὸ μὴ ἄρχειν, μηδὲ κακουχεῖν, ἀλλὰ πῶς ἀρμόζειν ἐς σοφοὺς ἔχειν. δεσμὸς δὲ τοιοῦτος ἐστὶ τὸ σῶμα τῇ ψυχῇ ὑπάρχει, τὸ δὲ, Δακτύλιον μὴ φόρει, ἀκολούθως φιλοσόφει ὡς ἀληθῶς, καὶ χώριζε ἐκ ἔοικεν δεσμοῦ τὴν ψυχήν. μελέτη γὰρ θανάτου ἐστὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος ἡ φιλοσοφία. τὴν ἄρα Πυθαγορικὴν μέθοδον μεγάλην, τὴν ἀφιεῖσαν ἑαυτὴν ἀπὸ ἐκ νοῦ ἀπὸ σωματικῶν πάντων, ἐς ἔοικε τὰ νοητὰ ἐς ἄϋλα ἀφὰ τῶν θεωρητικῶν μαθημάτων καθαιρομένην. ἀλλὰ καὶ ἀπόλυε σαυτὸν τὰ ἁμαρτήματα, καὶ ἀνθυλακὰ καὶ κωλυσίεργα ἐκ φιλοσοφεῖν σαρκὸς ἀχολήματα, τροφάς ὑπερβαλλούσας, καὶ πληθώρας ἀκαίρους, δεσμοῦ τρόπον τὸ σῶμα καθαλαμβάνουσας, νοσοκομίας

κρυλας καὶ ἀσχολίας ἀδιαλείπτως ἐμπιέσας. hoc eſt, *Illud vero, Annulum ne geſtato, convenienter placito Pythagorico in admonitionem accipimus hoc pacto: Cum Annuli, vinculi in morem, geſtantes cingant, hoc habentes proprium ut neque angant neque incommodent, ſed conveniant quaſi & probe quadrent; tale vero vinculum etiam animæ corpus exiſtat, apte illud, Annulum ne geras, interpretamur; Vere philoſophare, & animam ab adjacente vinculo libera. Etenim Philoſophia nihil aliud, quam meditatio mortis, & ſeparatio animæ à corpore. Pythagoricam igitur ſectam magno ſtudio ſectare, quæ ſeipſam mente ab omnibus corporalibus ſegregat, & circa ea, quæ mente tantum percipiuntur & materiæ ſunt expertia, beneficio ſcientiarum ſpeculativarum verſatur. Sed & peccata tua, & in contrarium te diſtrahentes, ſtudiumque ſapientiæ impedientes occupationes præcide, ut &, nimias delicias, & intempeſtivas repletiones, quæ non ſecus ac vincula corpus conſtringunt, ac morbos & negotia ſine intermiſſione faceſſunt.*

Philippus Beroaldus intelligit hoc ſymbolon de *non geſtando annulo anguſto*, & eo ſignificari ait, vitæ libertatem colendam eſſe & nullo ſervitutis vinculo alligandam. Galatinus libro 2. Cabalæ de mœrore interpretatur, & Pythagoram hoc ſymbolo, *Arctum annulum ne geſtato*, excluſiſſe putat cunctum animi dolorem,

lorem, nisi super admisso peccato.

Sed quia hîc annuli anguſti facta eſt mentio, non poſſum, quin hîc Aëtii locum afferam de ratione extrahendi anguſtiorem annulum è digito, ſi forte is ut fieri ſolet, intumuerit. Ita autem Aëtius ſermone ſecundo Tetrabibli quartæ c. 81. *Annuli aliquando digitis impinguntur, quum circulus ipſorum anguſtior violenter illorum partibus craſſioribus fuerit adactus: atque hoc tum maxime contingit, cum homo cibo ac potu diſtentus, prona ac pendula manu ſopitus decubuerit. Ita enim manuum extremitates longe magis intumeſcunt, quam ſi erigantur. Aqua igitur, & oleo aut malvæ decocto manus longè perfundatur: nam parca profuſio tumorem magis auget. Deinde annulus leviter verſatus detrahatur. Quod ſi perfuſio nihil effecerit, filum craſſius contortum accipito, & alterum ejus caput ſub annulum ponito & reliquum totum digito laxe circumligato, & poſtea caput fili annulo ſuppoſitum ſurſum trahito: filo enim attracto annulus deorſum procedet. Quod ſi neque ſucceſſerit, ſpecilli partem latiorem ſub annulum ſubmittito, & annulum utrinque prope ſigillum per ſpatham incidito, & filo lineo utrinque circumdato, annulum attrahito, & conſequenter lanam vino & oleo imbutam mitigandi cauſa adhibeto.*

Non multum etiam à proverbio abludit illud mimici ſcurræ: *In uno annulo bonos*

bonos principes posse perscribi atque depingi: quod extat apud Flavium Vopiscum in vita D. Aureliani: *Vides quæso quam pauci sint principes boni, ut bene dictum sit à quodam mimico scurra Claudii hujus temporibus: In uno annulo bonos principes posse perscribi atque depingi.*

Cap. XXV.

Annuli usum interdum noxium fuisse, aliquot exemplis probatur.

RElíquum est, ut Annulorum gestationem quoque multis sæpe exitio fuisse ostendamus. Aruntius cum filiam Medullinam ebrius in tenebris violasset, ex annulo, quem digito ejus detraxerat, agnitus & ab eadem interfectus est. Plutarchus in Parallelis: Τῶν Διονυσίων ἐν τῇ Ῥώμῃ ἀγομένων, Ἀρούντιος ἐν ἡμέρᾳ νηφαλίου ἐξεβιάσθη τὸν θεὸν ἀνόμως. ὀλίγῳ μέθυσος ὢν ἐβιάσατο τὴν θυγατέρα Μεδυλλίναν. ἡ δὲ ἐν σκότῳ γνοῦσα τὸν πατέρα, καὶ πρωτόγονα τῆς ἡλικίας φρονήσασα, μεθύσασα τὸν πατέρα καὶ στεφανώσασα, ἦγεν ἐπὶ τὸν βωμὸν τοῦ Ἀσραπῆ καὶ δακρύσασα ἀπέκλεισε τὸ ἐπίβουλον παρθενίας, ὡς Ἀριστείδης ἐν τρίτῃ Ἰταλικῶν. hoc est, *Romæ cum celebrarentur Liberalia, Aruntius, qui ab ortu suo fuerat abstemius, vim Liberi patris despicatui habuit. A quo inebrietatem conjectus, filiæ suæ Medullinæ virginitatem per vim eripuit. Ea ex an-*

nulo violatorem agnoscens, majus ætate sua meditata facinus, patrem inebriavit ac coronavit, adductumque ad aram Fulminis illachrumans interfecit eum, qui suæ virginitati insidias struxerat. Aristides in libro 3. *Italicorum.* Paulus Prætorius quoque matulam poscens ea manu, qua annulum, cui imago Tiberii Cæsaris insculpta erat, in vitæ discrimen incidisset, nisi servus ipsi ebrio annulum detraxisset, teste Seneca libro 3. de Benefic. cap. 26. cujus verba supra adduximus. Sic Richardum Angliæ Regem, cum induciis in triennium cum Saladino pactis, anno Christi millesimo centesimo nonagesimo tertio ex Palæstina in Europam trajiciens per regionem Leopoldi Austriæ Ducis (Sigonius libro *15.* de Regno Italiæ Humoldum vocat) iter faceret, & in quodam diversorio non procul ab urbe Vienna, ne agnosceretur, ipsemet sua manu carnes assaret, annulo regali, quem digito gestabat, agnitum & à Leopoldo Duce, quem in Palæstina injuria affecerat, captum ac in custodiam traditum esse, memorant historici. Vide Naucleri Chronographiam Generatione XL. Conradinum quoque Sueviæ Ducem ultimum & Fridericum Austrium legimus, cum à Carolo Andegavensi victi per ignotam Italiam trepidi & agasonum habitu se occultassent, & jam Asturam veniissent, conscensa jam navi Pisas navigaturi

turi ſociam & fidam urbem, ex annulo pretioſiſſimo eſſe agnitos, quem alter à digito detraxérat, ſive pignus naviculario ſive pretio ab eo permutandum. Cum vero artifex miratus tam pretioſum annulum à ſordido homine deferri, & ſuſpicans, unde habeat, quæreret, iſque candide, à duobus ingenii vultus & ſanguinis, ſed habitu & veſte ſquallida: neque ultra ſe ſcire affirmaret, Dynaſta urbis, ad quem res delata erat, ex eventu prælii & fama tale quid ſuſpicatus, navem inſtrui & adoleſcentes retrahi & ad ſe duci juſſit, eoſque agnitos, Carolo tradidit: qui illos Neapolim abductos cum æterno ſtirpis Andegavenſis dedecore, more pluſquam barbaro, publice per carnificem capitis ſupplicio, cujus ipſe in altâ quadam turre occultus ſpectator fuit, afficiendos curavit. Factum id anno Domini milleſimo ducenteſimo VII. vel, ut alii VIII. Vide Nauclerum Generatione XLIII. Ad eundem modum etiam Unguentorum odorem, ut id obiter moneam, multis exitio fuiſſe legimus. C. Plotium Plancum, Munacii Planci bis Conſulis Cenſoriſque fratrem proſcriptum à Triumviris in Salernitana latebra unguenti odore proditum tradit Plinius lib. 6 cap 7. De hoc facto tale Epigramma à Theodoro Beza conſcriptum eſt, quod propter ejus elegantiam huc ponendum duximus.

Sæva cohors Plancum ad mortem quum quæreret illa
Triumviralis Carnifex:
Servarant dominum servi penetralibus imis,
Et ille mortem effugerat.
Vnguentis quum profusis de more madentem,
Odor indicatum prodidit;
Quam potuit multos virtus servare fideles,
Mala quos voluptas perdidit.

Muleasses quoque Rex Tunetanus cum in prælio vulneratus inter turbam terga vertentium profugeret, nulla alia re magis eum hostibus prodente quam unguentorum odore, agnitus captusque est, teste Jovio lib. 44.

Majori cautela Peroces Persarum Rex usus est. *Hic enim in expeditione adversus albos Hunnos susceptа extremo in periculo constitutus unionem à dextra aure detractum abjecit, ne quis Regem ex eo agnosceret aut post ipsum gestaret. Eum unionem repertum postea Iustinianus Magnus* 100 *auri libris redimere à Barbaris voluit, sed recusarunt Barbari, asservantes eum in signum Persicæ stoliditatis.* Zonaras lib. 3. Annalium. Eundem etiam in finem & Darius Persarum Rex, quando cum Alexandro M. congredi volebat, amiculum abjecit, ne cultu proderetur. Sed hoc ipsi parum profuit. Curtius lib. 3. c. 23.

Ut

Ut autem isti gestatione annuli perniciem sibi accersiverunt: ita Ismenias Thebanorum legatus ejus opera callide fucum fecit Persarum oculis, ut Artaxerxem, ad quem missus erat, specie tenus, salva libertate, adoraret. Cum enim Regis adeundi & alloquendi facultas aliter non daretur, quam si cum veneraretur, Ismenias, ut demisso hoc & humili salutationis munere ficte & simulate defungens, Persas ludificaretur, statim atque in conspectum Regis venit, annulum sensim digito detractum, clam & nemine animadvertente, ad pedes abjecit: quem mox jacentem sustulit: eoque corporis gestu quasi venerabundus procubuisset, visus est patrio Persarum mori institutoque paruisse: cum revera nihil se indignum aut præter civium morem admisisset. De qua re fusius Ælianus l. 1. Var. historiæ c. 21. cujus verbis caput hoc finiam: Ισμηνίᾳ τῷ Θηβαίῳ σοφὸν ἅμα καὶ ἐλληνικὸν τοῦτο ἐν ἀποκρυψαίμην ἔργον. προσβάλλων δή τῳ ὑπὲρ τὸ παλαιὸν τοῖς βασιλέα τῶν Περσῶν, ἀφίκετο μέν, ἐβούλετο δὲ αὐτὸς ὑπὲρ ὧν ἦκεν, ἐντυχεῖν τῷ Πέρσῃ. ἔφατο δὴ τοῖς αὐτὸν ὁ χιλίαρχος, ὁ δὲ τὰς ἀγχιβελίας εἰσκομίζων τῷ βασιλεῖ, καὶ τὰς δεσμώτας εἰσάγων. Ἀλλ' ὦ ξεῖνε Θηβαῖε. ἔλεγε δὲ ταῦτα παίζων δι' ἑρμηνέως. Τιθραύστης δὲ ὄνομα τῷ χιλιάρχῳ· νόμος ἐστὶ ἐπιχώριος Πέρσαις, τὰ εἰς ὀφθαλμοὺς ἐλθόντα τοῦ βασιλέως, μὴ ὑφεῖναι λόγου μεί-

μεταλαμβάνειν, πρὶν ἢ προσκυνῆσαι αὐτὸν. εἰ τινων αὐτὸς ἀφ' σαυτοῦ συμβουλεύοις θέλοι αὐτῷ, ὥρα σοὶ τὰ ὑπὸ τοῦ νόμου δρᾶν. εἰ δὲ μὴ, τὸ αὐτῷ σο τοῦτο ὑπ' ἡμῶν ἀνυσθήσεται, καὶ μὴ προσκυνήσαντι. Ο τοίνυν Ισμηνίας, Ἄγε με εἶπε. καὶ προσελθὼν, καὶ ἐμφανὴς τῷ βασιλεῖ γενόμενος, προεκαλόμενο τὸ δικαίωμα, ἔρριψεν ἀθρόως ἑαυτὸν τοῦς πόδας, οὐ ἔτυχε φορῶν. καὶ ταχέως ἐπανύψας, ὡς δὴ προσκυνῶν πάλιν ἀνείλετο αὐτὸν, καὶ δόξαν μὴ ἀπίσχλε τῷ Πέρσῃ προσκυνήσεως. ὁ μὲν ἔδρασεν οὐδὲν τῶν ἐν τοῖς Ελλησιν αἰσχυνόμενον φερόντων. πάντα δὲ ὅσα ἠδυνήθη καλὰ πεφάσκων, οὐδὲ ἠτύχησέ τι ὑπὸ Περσῶν. hoc est, *Ismenii Thebani sapientissimum & plane Græcum factum silentio præterire nullo modo possum. Is patriæ causa legatione ad Regem Persarum susceptâ, venit & voluit ipse de suo negotio regem convenire. Tribunus itaque militum, cujus officium erat res nunciatas ad regem deferre & admittendos ad eum introducere: Verum, ô Thebane hospes, dicebat, (hæc autem joco loquebatur per interpretem. Nomen erat tribuno Titraustes) lex est apud Persas recepta, ut is, qui in conspectum regis venit, non ante sermonem cum eo conferat, quam eum adoraverit. Quod si igitur vis ipse eum adire, necesse est, ut quod lex jubet, peragas. Sin minus, idem tibi etiam per nos præstabitur, quamvis, tu non adoraveris. Ismenias vero, Deduc me, ait. Cum autem accessisset, &*

in

in faciem regis ventum esset, annulum quem gestabat, è digito detractum, clam abjecit ad pedes, confestimque procumbens tanquam adoraret, sustulit eum iterum & opinionem quidem adorationis Persarum regi præstitit: nihil tamen commisit, quod ignominiosum aut indocorum foret Græcis. Quicquid igitur petiit impetravit, neque quicquam à Persa ei denegatum est.

Atque hæc sunt, quæ de Annulis observata nobis sunt in tumultuaria Auctorum lectione, quorum loca ideo plenius adduximus, ut quærendi laborem Lectori festinanti demeremus. Plura istis & meliora forte addet alius: Nos scriptionis hujus metam attigisse nobis videbimur, si alios excitaverimus ad ea investiganda, quæ diligentiam nostram fugerunt.

INDEX

SCRIPTORUM VETERUM ET RECENTIORUM,

Qui in hoc libello de Annulis laudantur & illuſtrantur.

A.

ABbas Urſpergenſis. 190.196
Abr. Gorlæus. 11.13.16.24.100
Acro. 121
Adr. Turnebus. 21.112.132
Ælianus. 91.147
Ælius Everhardus Vorſtius. 13
Ælius Spartianus. 225
Æmilius Probus. 38.116.225
Aëtius. 213.223
Agathias. 64
Agellius. 12.22
Aimonus. 43.44.59.159
Albert. Krantzius. 190
Alexius Patriarcha. 53
Alexius Trallianus. 210
D. Ambroſius. 156.163.199
Ammianus Marcellinus. 61.83.207
Andreas Abbas. 183
Andreas Schottus. 200
Angelus Politianus. 21
Antonius Auguſtinus. 98.100
Antonius de la Salle la Sallade. 197
Appianus Alexandrinus. 28.95.102.125.126
Apulejus. 3.15.27.41.77.83.103.134
Ariſtoteles. 12.69.138.143

Ari-

Aristophanes. 7.70.146.209.239
Aristophanis Scholiastes. 24.61
Arnobius. 23.132
Arnoldus Hist. 46
Arnulphus Episcopus Lexovienſis. 194
Arrianus. 140
Artemidorus. 10.11.15.17
Asinius Pollio. 136
Athenæus. 86.208
B. Augustinus. 79.123.124.130.157.236.237
Aurelius Victor. 108.218
Ausonius. 95
Auctor ad Herennium. 21

B.

Baldus. 54
Balsamo. 52.58
Barn. Brissonius. 66
Basilius Magnus. 62.150
Basilius Porphyrogenitus. 48
Basilius Seleuciæ Episcopus. 61
D. Bernhardus. 42.109
Boëthius. 151

C.

Cæsar. 28
Cæsar Baronius. 57.63.100
Cambdenus. 222
Cantacuzenus. 58
Caroli M. Constitutiones. 67
Carolus Sigonius. 103.162.181.182.189.
193.204
Carpzovius. 195
Casp. Contarenus. 178
Casp. Barthius. 75

Cassiodorus. 61.65 66
Chrysostomus. 63 87
Christophorus Colerus. 45
Chronicon Werweronis. 55
Cicero. 9.29.37.39.41.72.74.85.86.111.135.
136.199
Claudius Salmasius. 7.16.75.139
Clemens Alexandrinus. 73.80.95.98.145.
158.203
Clemens Romanus. 63
Codex. 31.55.61.140
Codex. Theodosii. 35.60
Codinus. 49.50.104
Covius. 75
Concilium Aquisgranense. 184
Concilium Basilienſe. 142
Concilium Lateranense. *ibid.*
Concilium Toletanum. 185
Conradus Episcop. ibid.
Conradus Rittershusius. 82.184
Constantinus Lichudes. 53
Constantinus Porphyrogenitus. 86
Cornelius Tacitus. 73.111.139

D.

DAlecampius. 199
Daniel Propheta. 69.71
Demosthenes. 155
Digesta. 25.29.31.42.76.77.110.154.156.228
Diogenes Laertius. 74.79.142
Diogenianus. 239
Dion. 34.82.86.97.125.137.221
Dionysius Halicarnassæus. 8.42.107
Dioscorides. 81
Donatus. 60

E.

Egesippus. 221
Egnatius. 220
Ennius. 167
Erasmi Adagia. 84
Ernestus Cothman. 68
Esther. 33
Etymologici auctor. 6
Eustathius. *ibid.*

F.

Festus. 2.12.30.167
Flav. Vopiscus. 128.243
Florus. 8.123
Foppius ab Aissema. 213
Fr. Junius. 158
Franciscus Petrarcha. 48.213
Franc. Robortellus. 112
Franciscus Wirzendorfius. 170
Fridericus Lindenburchius. 208
Fulgosus. 220.235
Ful. Ursinus. 98

G.

Gailius. 68
Galatinus. 241
Genesis. 7
Gentianus Hervetus. 203
Georg. Duza. 96
Germanus Audebertus. 170
Germ. Patriarcha. 52
Giphanius. 31
Glossarium. 15

Gotfridus Viterbienſis. 190
Gothofredus. 55
Gratianus. 23
Gregorius Dialogus. 57
Gregorius Nazianzenus. 87.200
Gregorius Niſſenus. 100
Gregorius Turonenſis. 238
Guido Pancirollus. 178
Guntherus. 109

H.

Hadrianus Junius. 16
Harpocration. 15
Heliodorus. 96
Helmoldus. 194
Henricus Kormannus. 178
Henric. Salmuthus. *ibid.*
Herodianus. 128
Herodotus. 37.99
Heſychius. 67.146.200
Hieronymus. 79.158
Hincmarus. 67
Hopingius. 198
Horatius. 19.71.144.168

I.

Jacobus Bongarſius. 34
Jacobus de Breul. 44
Jacobus Micillus. 206
Jacobus Cujacius. 31.32.110
Jamblichus. 81.240
Janus Rutgerſius. 13.37.78.110
Jeremias. 18
Inſcriptiones Antiquæ. 64.79.136
Inſtitutiones. 31.38.110

Joachimus Morſius. 197
Johannes à Wower. 15
Johannes Cario. 212
Johannes Meurſius. 7.59.96
Johannes Nauclerus. 190.196.244.245
Johannes Salisberienſis. 23.196
Johannes Trithemius. 194
Iſaacius Caſaubonus. 7.60.153.155.209.225
Iſidorus. 11.23.124.143.157.167.213
Joſephus. 7.71.91.203.224
Joſephus Scaliger. 198
Julius Capitolinus. 25.86.109
Julius Cæſar Bulingerus. 46
Julius Frontinus. 105
Julius Pollux. 4.12.23.24.61
Juſtinus. 34.91.95.222
Juſtus Lipſius. 16.100.126.127.128
Juſtus Reuberus. 44
Juvenalis. 27.30.36.72.133.147.149.156

L.

Lampridius. 149.209.218
Leo Marſicanus. 161
Leopoldus de Bebenburg. 190
Limnæus. 45.47.147
Livius. 9.102.122.123.124.218
Lucianus. 18.24.39.75.144.154.199.205.206
Lucretius. 11
Lud. Dorleans. 77
Luitprandus. 50
Lycophron. 6.7

M.

Macrobius. 18.19.21.22.26.79.131.136.144
Magius. 63
Malchus. 82

Manuel Patriarcha. 53
Marcellus Empiricus. 209
Marcus Antonius Muretus. 84
Marcus Velserus. 12
Marquardus Freherus. 45.47.146
Marsilius Patavinus. 181.182.190
Martialis. 3.4.24.72.132.133.174.149.219.239
Martinus Crusius. 178.217
Martinus Polonus. 180
Matthæus Euangelista. 71
Matthæus Paris. 186
Maximus Planudes. 153.233
Melchior Goldastus. 44.115
Menander. 70
Menochius. 62
M. Piccartus. 118

N.

Nicephorus Botaniata. 49
Nicephorus. 114
Nicetas. 50.56.57.114.226
Nicolaus Patriarcha. 51
Novella Alexii Comneni. *ibid.*
Novella Basilii Porphyrogeniti. 48
Novella Constantini. 66
Novella Joh. Comneni. 55
Novella Justiniani. 141
Novella Leonis. 31

O.

Otto Frisingensis. 190
Ovidius. 17.36.42.85.110.167

P.

Paulus JCtus. 39.41.15
Pacuvius. 2.168
Paulus Ægineta. 212
Paulus Æmilius. 186

Paulus Jovius. 246
Paulus Venetus. 207
Pausanias. 94.231
Persius. 29.72.147
Petronius. 11.24.145
Petrus Blesensis. 46.185
Petrus Chrysologus. 163
Petrus Colvius. 60
Petrus de Vineis. 46
Petrus Diaconus. 184.195
Petrus Pithæus. 60
Petrus Scriverius. 239
Philargyrus. 15
Philippus Beroaldus. 241
Philippus Cominæus. 148
Phillippus Camerarius. 179.200
Philippus Galterus. 223
Philostratus. 89.205
Phrantzes. 50.58
Plato. 129.199.200
Plautus. 3.4.38.40.71.73.89.92.97.103.128.
147.155.167.168.221
Plinius. 2.3.5.7.9.15.17.19.20.21.24.77.79.
83. 90. 94. 120. 122. 123. 128. 133.138.148.
149.200.152.218.220.232.240
Plinius junior. 29.94
Plutarchus. 28.75.90.93.97.98.116.125.217.
224.229.243
Pollux. 12
Polyænus. 92
Polybius. 28.61.86
Polydorus Vergilius. 212
Priscianus. 73
Procopius. 102
Propertius. 221
Prudentius. 17.153

Q.

Quintilianus. 41.145.239
Quintus Curtius. 33.38.39..107.108
222.246

R.

Radulphus Fornerius. 163
Regum liber. 32.101
Rebuffus. 32
Reincking. 69
Renatus Choppinus. 54
Robertus Abbas Montenſis. 190
Robertus Gagvinus. 60.182
Rodericus Toletanus. 119

S.

Sabellicus. 54
Saluſtius. 41
Scipio Gentilis. 78.134
Sebaſtianus Erizzo. 90.98
Sebaſtianus Monticulus. 179
Seneca. 17.26.29.88.131.145.244
Servius. 2.5.37.212
Sigebertus. 59.180
Silius Italicus. 19
Sirach. 76
Socrates. 114
Solinus. 147
Statius. 139
Stephanus Paſchaſius. 213
Strabo. 26.92.142
Suetonius. 27.29.30.41.86.88.89.92.96.111
127.131.132.138.149.218.220.222.225.233
Suidas. 6.8.15.17.113.146
Symmachus. 97.154.167.168

T. Te-

T.

Terentius. 219.239
Tertullianus. 29.72.124.140.147.157
Theodoretus. 114
Theodoricus à Niem. 182
Theognis. 74
Theophrastus. 7.72.152
Thucydidis Scholiastes. 91
Tibullus. 168
Trebellius Pollio. 13.83
Tirinus. 33
Tzetzes. 217.233

V.

Valerius Maximus. 84.94.219.227
Varro. 2.3
Ulpianus. 149

W.

Walthramus Naumburgensis. 182
Wilhelmus Malmesburiensis. 164.183. 188.190.235

X.

Xenophon. 4.35
Xiphilinus. 35

Z.

Zenobius. 199.239
Zonaras. 137.246

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM,

Quæ in hoc libro de ANNULIS continentur.

A.

Abbates, & Episcopi gradu dejiciendi etiam Annulum deponebant. 184

Achates in annulo singularem vim habet. 212

Adamanti qui primus insignia Philippi Regis Hispaniæ insculpserit. 14

Adriani I. Pontificis in schedis sigillatis ad arbitrium legatorum scribendis levitas. 114

Ægyptii usi fuêre annulis. 7

Agrippa literas Augusti obsignabat. 34

Αἰδὼς κωφὸν quid? 99

Ἀκρόπολις quid? 24

Alexander ori Hephæstionis annulum admovit. 75

Alexander moriturus Perdiccæ annulum tradidit. 222

Alexandri M. effigiem gestabat familia Macrianorum. 83

Alexandri imagine signabat Augustus. 89

Alexii Comneni in obsignandis literis levitas. 114

Amatores annulum amicæ detrahebant per lasciviam. 168

Amatores annulum amicæ inspiciebant. ibid.

Amicorum effigies in annulis. 84

Ancora nautica in annulo Seleuci. 95

Annibal veneno, quod annulo incluserat, periit. 217

Annulario non licebat sigillum annuli venditi retinere ex lege Solonis. 110
Annularis digitus. 21
Annulatæ claves. 16
Annuli æstivi & hyberni. 146
Annuli amori conciliando. 213
Annuli ἄπειροι, ἄλιθοι, ἄψηφοι qui? 12
Annuli aurei dati libertis. 140
Annuli aurei deponebantur in luctu. 218
Annuli datio aucupium amoris. 166
Annuli datione an fides conjugii firmetur. 159
Annuli etymon. 1
Annuli è succino. 16
Annuli ex ebore & integris gemmis. ibid.
Annuli ferrei apud Romanos antiquissimi. 120
Annuli ferrei magnetis contactu attriti vim habent attrahendi. 129
Annuli geniis malis pellendis. 205
Annuli gestati omnibus digitis. 144
Annuli imperatorii cura penes Magnum Logothetam. 50.58
Annuli in singulis articulis gestati. 145
Annuli Magici quam vim habeant. 198.& seqq.
Annuli morbis averruncandis. 209
Annuli morientibus detracti. 221
Annuli omnibus digitis gestati excepto medio. 24
Annuli patriarchalis custos Chartophylax. 58
Annuli Physici. 198
Annuli plures gestati uno digito. 144
Annuli positi in cessione bonorum. 134
Annuli pro Arrha dati. 152
Annuli pro compedibus. 3
Annuli pro symbolo. 154
Annuli qua manu gestati. 17.18
Annuli Regis Francorum custodia penes Referendarium. 59

Annuli ſemeſtres. 147
Annuli traditio an hæredis inſtituendi teſſera. 222
Annuli velares. 3
Annuli uſus apud Ægyptios. 7
Annuli uſus apud Hebræos antiquiſſimus. ibid.
Annuli uſus apud Hetruſcos. 8
Annuli uſus apud Sabinos. ibid.
Annuli uſus in inauguratione Impp. 194
Annuli uſus in Epiſcoporum inveſtitura. 180
Annuli uſus ſæpe noxius. 243
Annuli uſus Trojanis temporibus ignoratus Græcis. 6.
Annulis aureis donati plebeii. 135
Annulis ferreis uſi ſervi. 128
Annulis fictis ſæpe fraus commiſſa. 107
in Annulis patrimonia effuſa. 147
Annulis venena incluſa. 217
Annulo ferreo uſi triumphantes. 121
ex Annulo omen captum. 298
in uno Annulo principes bonos poſſe ſcribi. 242.243
ex Annulo ſæpe aliqui cogniti. 244.245
Annulo ſignatorio non diligenter aſſervato ſæpe fraus commiſſa. 101
Annulo Sponſalitio male aſſervato faſcinatus aliquis novus maritus. 163
Annulorum aureorum jus impetrabatur à principe. 134. & ſeqq.
Annulorum aureorum modio cædes ſuas metiebatur Annibal. 124
Annulorum aureorum uſus increbeſcit. 138
Annulorum cura probatæ fidei viris commiſſa. 33
Annulorum luxus inoleſcit. 143
Annulorum prima mentio apud Romanos. 121
Annulorum ſculptura. 78
Annulorum varia genera. 10
Annulos à Prometheo originem trahere fabuloſum. 5

Annulos aureos primi gestarunt Legati, mox Senatores, tandem & equites. 120
Annulos deponebant, qui judicio se provocabant. 155
Annulos plures gestare mollitiei indicium. 145
Annulos plures gestare priscis temporibus vitio datum. 143
per Annulum Anglorum Rex investitus à Pontifice Adriano. 196
per Annulum candentem probatio. 238
per Annulum & baculum cur Episcopi investiantur. 182
Annulum ferreum fortissimus quisque Germanorum cur gestarit. 6
per Annulum investitus pontifex. 193
Annulus angustus quomodo digito possit detrahi. 242
Annulus aureus an inter manumissionis insignia. 140
Annulus aureus Equitum ornamentum peculiare. 125
Annulus bigemmeus. 13
Annulus è sinistra in longissimum dextræ digitum translatus sedat singultum. 24
Annulus Edovardi Regis Anglix. 212
Annulus Gygis. 198
Annulus in Imperatoris inauguratione. 195
Annuln in ventre piscis repertus. 229
Annulus investituræ sacerdotalis symbolum. 182
Annulus majorum imaginem insculptam habens filiis degeneribus detractus. 84
Annulus miraculose de cingulo in terram prolapsus. 237
Annulus natalitius. 147
Annulus non temere quibuslibet tabulis imprimendus. 113
Annulus pronubus. 159

Annu-

Annulus pro crinibus intortis. 4
Annulus pro inauribus. ibid.
Annulus Edovardi Regis Angliæ comitiali morbo laborantibus salutaris. 212
Annulus signatorius, sigillaritius. 25
Annulus signatorius diligenter asservandus. 101
Annulus signatorius dominii signum. 223
Annulus solidus & cassus. 11
Annulus sponsalitius ferreus an aureus? 157
Annus apud Ægyptios per serpentem indicatur. 2
Ant. Musa libertus ab Augusto aureo annulo donatus. 136.137
Aquila draconem unguibus ferente signabat Areus Lacedæmoniorum rex. 91
Archiepiscopi Electores cancellarii dicti. 68
Argenteis annulis utebantur plebeii. 128
Aruntius ex annulo agnitus. 243
Augusti imagine signarunt Impp. 86
Augustus moriturus annulum tradidit Agrippæ. 221

B.

Bella ob annulos gesta 149
Bella super investitura Episcoporum per annulum gesta inter Impp. & Pontifices. 186
Brachmanes Indorum Gymnosophistæ quando cœperint gestare annulum. 142
Bulla argentea. 50
Bulla aurea. 46
Bulla aurea dicebatur rescriptum Imp. etsi sigillum erat cereum. 54.55
Bulla cerea duplex Rubra & Prasina. 52
Bullæ aureæ appensæ Privilegiis Reip. Lubec. à Frid. II. & Ludovico IV. Imp. datis, earumque brevis descriptio. 46
Bullæ aureæ Caroli IV. Imper. descriptio. 47

Bullæ quadruplices & earum usus. 46
Bullæ tribus crucibus in fronte notatæ. 57
Bulla plumbea. 52
Bulla plumbea Venetis in usu. 54
Bulla plumbea utuntur Pontifices Romani. ibid.
Bulla quid.
Bullare. 45
Bullarum appensione literæ principales obsignabantur. ibid.
43
Bullis aureis divina manu Imperator subscribebat.
55
Bullis subscriptum encauto quodam. ibid.

C.

CÆlestis Deæ effigiem gestabat Asclepiades. 83
Cancellarii. 64
Cancellarius idem quod Logotheta vel Quæstor sacri Palatii. 68
Cancellarius præfecti Prætorio. 65.66
Cancellarius præfecti urbi. 66
Cancellarius pro Scriba. 67
Cancellarius Quæstoris. 66
Cancellarius unde, ejus officium apud veteres & dignitas. 60
Cane signabat Galba Imperator. 90
Caroli M. Imp. insanus amor, erga mulierculam etiam mortuam. 213
Caryatides saltantes in annulo Clearchi. 93
Catti gestabant annulum ferreum. 6
Cera obsignabantur literæ. 36
Cartophylax custos annuli patriarchalis. 58
Χρυσόβυλλα dicta *Rescripta Principum etsi cereum habeant sigillum.* 55
Christianorum annulis qua imagines insculpi debeant. 100

Κίσσαλις. 61
Cinnabaris usus in subscriptionibus. 57
Κοφίανον quid? 23
Claxendix. 73
Clericis nisi in dignitate constituti sint, non licet gestare annulum. 141
Colorum differentia in subscriptionibus. 57
Columba in Annulis Christianorum. 99
Concha sigillis appositа. 73
Condalus, condalium quid. 2
Conradus II. Imp. falsis litteris ad desponsandam filiam inducitur. 116.117
Conradinus Sueviæ Dux annulo agnitus. 244
Constantini Magni imagine signabant Chersonitæ. 86
Cretæ usus in literis obsignandis. 36
Cruces tres in fronte bullarum cinnabare scriptæ. 57
Crucis signum in annulo. 100

D.

Δακτυλιογλύφος. 79
Δακτυλὶς variæ significationes. 4
Deæ cœlestis imaginem gestabat Asclepiades. 83
Demosthenes veneno, quod annulis erat inclusum, periit. 217
Deorum imagines in annulo gestare olim nefas: gestatæ tamen. 80. & seqq.
Dextra manu gestati annuli. 18
Digitis omnibus gestati annuli sed medio excepto. 20
à Digito annulari an vena ad cor hominis perveniat. 22
Digito annulari cur potissimum gestati annuli. 21
Digito medio cur Romani non gestarint annulum. 24
Digito minimo gestatus annulus dicebatur ἀνακρὲς. ibid.

Digi-

Digitus annularis. 21
Digitus medicus, medicinatus. *ibid.*
Δικήεσσον. 52
Doctores annulis ornantur. 197
Domus obsignata. 69
Dormituri ponebant annulos. 219

E.

Eburnei annuli. 16
Edovardi Regis Anglorum annulus morbo comitiali salutaris. 212
Effigies *majorum* in annulis 84
Effigies *amicorum* in annulis 85
Effigies *regum* in annulis ibid.
Effigies *principum* in annulis ibid.
Effigies *animalium* in annulis 90
Eleasari Judæi annulus. 203
Emtauti genere bullis subscriptum. 55
Epicuri imagine signatum. 85
Episcopi cur per annulum & baculum investiti. 184
Episcopi & Abbates gradu dejecti annulum deponebant. 184
Episcopi investiti per annulum. 182
Epistolæ annulis obsignatæ. 32
Epistolam solvere. 42
Equites annulo aureo à plebe distinguebantur. 124
Equites censu imminuto annulum deponebant. 133
Equitibus equestrem censum habentibus jus erat aureorum annulorum. 131
Equitibus etiam militiæ fuit jus aureorum annulorum contra Lipsium. 127
Equo hinniente signabat Darius. 91
Execesti Phocensium tyranni annulus magicus. 202

F.

Fabulæ annulis insculptæ. 91
Ferrei annuli usus antiquissimus. 120

Ferreo annulo utebantur triumphantes. 121
Feuda per annulum ab Impp. collata. 195
Fibula ferrea. 240
Fidei signum in annulo sponsalitio. 100
Flamini Diali non fas erat gestare annulum solidum. 12
Flaturarius sigillarius. 79
Fores Gynæceorum annulis obsignatæ. 70
Funda annuli *quid.* 15

G.

Gemma Ectypa. 14
Gemmæ in annulis. 13
Gemma uda *quid?* 36
Gemmæ vitreæ in annulis vulgi. 14
Gestatione alicujus simulachri juvari se putabant prisci. 82.
Τῆ σφραγῖδι. 37
Gladiis sigillum impressum à Pompejo. 77.78
Gygis annulus. 198

H.

Hannibal literis annulo Marcelli obsignatis Salapiam tentat. 101
Hebræi primi usi sunt annulis. 7
Helena Adiabenorum regina filiu Monobazo annulum patris signatorium dedit, cum cura Reip. 224
Heliogabalus Imp. annulos non bis induit. 149
Heliogabalus mortis causa annulos habuit. 218
Herennius Gallus histrio à Balbo Quæstore aureo annulo donatus. 136
Herodi mortuo annulus detractus. 221
Hesperus in publico sigillo Locrorum. 92
Hieroglyphicæ literæ in annulo. 96
Historiæ annulis insculptæ. 91

I.

Archiæ Indorum principis annuli. 205
Iaspis viridis in apnulo singularem vim habet. 212.213
Icellus Galbæ libertus aureo annulo donatus. 138
Imagines amicorum in annulis. 86.87
Imagines gemmis incisæ, vel cavæ erant, vel prominentes. 14
Imagines Imperatorum in ferro. 87
Imagines majorum in annulis. 84
Imagines ptincipum in annulo ferre quibus licuerit. 88
Imperator per annulum inauguratus. 194
Indice digito [illegible] utebatur κυβερνῶν. 23
Investiendi per annulum jus penes quem fuerit. 186
Investitura Episcoporum per annulum. 184
Joannes Comnenus patri morituro annulum detrahit. 225.226
Josephus à Pharaone donatus annulo. 7
Ismenias Thebanorum legatus annulo regi Persarum facit fucum. 247
Ituri cubitum ponebant annulos. 219
Jesabel litteris mariti annulo signatis mandat eadem Nabothi. 101
Judæi Eleazari annulus. 203
Judas ex annulo cognitus. 7
Judas Thamari nurui suæ pignoris loco dedit annulum. ibid.
Juzurthæ traditione signavit Sylla. 94
Justinianus Antoniæ dedit annulum. 159

L.

Laberius Eq. Rom. à Cæsare aureo annulo donatus. 136

Legati ferebant aureos annulos. 120
Leone μαχαιροφόρῳ signabat Pompejus. 90
Lex Solonis de sigillo annuli. 110
Liberti donati aureis annulis. 136. 137
Lignis à vermibus exesis Lacones olim signabant. 6
Lini usus in signando. 36
Lino soluto aperiebantur tabulæ. 39
Lino ter perforamina trajecto obsignabantur tabulæ. ibid.
Linum incidere. 39
Literæ obsignabantur. 32
Literarum regio sigillo signatarum apud Persas magna auctoritas. 33
Literarum scriptor cognoscitur ex sigillo, manu, stylo. 42
Literis principum bullæ appensæ. 43
Loturi ponebant annulos. 219
Lugentes ponebant annulos. 218
Lyra Musica in annulo Polycratis. 99
Lysander dolo Pharnabazi sese ipsum accusavit. 115

M.

Magistri annulis donantur. 197
Majorum imagines in annulis gestati. 84
Manu qua gestati annuli. 17
Manumissi quando consecuti jus aureorum annulorum. 140
Maximilianus Mariæ Burgundæ misit annulum. 162
Medici nacti jus aureorum annulorum ab Aug. Cæs. 137
Meletii Episcopi sui imagine signarunt Antiochenses. 86. 87
Menas libertus annulo aureo ab Augusto donatus. 136. 137
Miles clypeatus in annulo. 97

Militibus gregariis jus aureorum annulorum datum à Severo Imp. 127
Mæcenas Augusti literas obsignabat. 34
Morientes solebant ipsi annulum alicui ex amicis tradere. 221
Morientibus detrahebantur annuli. 220
Muleasses Rex Tunetanus unguentorum odore agnitus. 246
Mutianus annulo Vespasiani signabat. 34

N.

NAtalitius annulus. 147
Nero vestem nunquam bis induit. 149
Nonii Senatorii annulus magni pretii. 148
Nuptiales tabulæ obsignabantur. 41

O.

OBsignatores *qui?* 30
Omen captatum ex annulis. 222
Orbiculus *annuli quid?* 15
Orci galea *quid?* 200
Os lacus, in quem Daniel demissus, annulo fuit obsignatum. 71
Otho I. Imp. Adelhaidi misit annulum. 161
Oya aceto macerata per annulum trahi possunt. 40

P.

PActorum & conventorum tabulæ obsignari solitæ. 25
Pala annuli *quid?* 15
Pallade signabat Viglius Zuichemus. 84
Pallas Claudii Imp. libertus aureis annulis ex decreto Senatus usus. 138

Papa per annulum investitus. 293
Pecunia obsignata. 76
Pharnabazi dolus in obsignando libro, quo se laudari putabat Lysander. 115
Philippus Macedo Alexandro sigilli curam committit. 224
Πυελὸς vel πυελίς. 15
Pileo naturali inest vis conciliandi. 209
Plancus literis Antonii annulo signatis eadem Sext. Pompeji mandavit. 102
Plebeji annulis argenteis usi. 128
Pollice gestati annuli. 22
Polycratis annulus. 229
Pontifex à Friderico Barbarossa investitus per annulum. 293
Proserpinæ imaginem in annulo gestare non semper licitum, nec tutum. 88
Probatio per annulum candentem. 238
Promethei fabula de annuli origine. 5
Proserpinæ raptus in annulo Neronis. 92
Proverbia. *Gygis annulus.* 199
Ne Symbolum quidem habet. 155
Orci galea. 200
Trahi per annulum. 239
Ψῆφος quid? 15
Pythagoræ symbolum de Dei imagine non gestanda in annulo. 81. *de annulo non gestando.* 240

Q.

Quadriga in annulo Plinii. 94

R.

Rana signabat Mæcenas. 90
Reges Arachan & Pego bella gessere pro gemma. 149
Rei ponebant annulos. 219
Rhodogunes imago in sigillo Regum Persarum. 92
Richardus Angliæ rex annulo agnitus. 241
Romani à Sabinis vel Hetruscis annuli usum accepêre. 8
Roscius Comœdus à Sylla aureo annulo donatus. 136

S.

SAmothracii annuli *qui?* 11
Scarabæo signabant Ægyptii. 91
Sculptura annulorum in ipso metallo. 78
Sculptura annulorum in gemmis. 79
Secreta vela vel cancellos primo aditu habebant. 61
Secretum vel Secretarium. 60
Senatores ferebant aureos annulos. 120
Sepulchrum Christi obsignatum. 71
Servi utebantur ferreis annulis. 128
Servorum in annulis fraus & superbia occulta. 129
Sigilla occultabantur concha. 73
Sigilla plerumque nomen signantis denotabant. 102
Sigilla quis primus appenderit. 45

Sigillarius flaturarius. 79
Signa adulterina. 110
Signa cognoscebantur ante aperturam. 40
Signa mutabantur pro libitu. 89
Signare *quid?* 25
Signatores *qui?* 30
Signatorius sigillaritius annulus. 25
Signum annuli madefactum antequam imprimeretur. 36
Sinistra manu cur potissimum gestati annuli. 18
Siseni Persæ exitium. 107
Sol exoriens quadrigis vectus in annulo Amphitrionis. 52
Solvere epistolam. 40
Σημεῖς. 79
Σφενδόνη. 15
Sphynge signabat Augustus. 90
Σφραγιδονυχαργεκομήτης. 146
Sponsionis nomine dati annuli. 156
Sponsiones obsignabantur. 28
Statuæ annulis ornatæ. 9
Succinci annuli. 16
Succino gaviſæ mulieres. 17
Supellex obsignata. 71
Supplices ponebant annulos. 219
Symbolum pro annulo. 154

T.

Tabulæ nuptiales obsignatæ. 27
Tabulæ pacta & conventa continentes obsignabantur. 25
Templum obsignatum. 69
Termino signabat Erasmus Roterodamus. 84
Testamenta obsignabantur. 28

Testamentorum obsignandorum ritus. 29. & seqq.
Testes classici *qui?* 30
Theodosii in literarum subscriptione facilitas. 113
Θεμιδεῖα & δρεπόδρεπα *signacula quæ.* 6
Triumphantes ferreum annulum in digito gestabant. 121
Trogi Pater curam annuli Cæsaris habuit. 34
Tropæum in annulo Pompeii. 97. *Item militis, quem Timoleon eduxit.* ibid.

V.

VAlentinianus Imp. annulo Petronii Maximi uxorem ad se pellexit & stupravit. 10
Velarii. 63
Vela secretis obtenta in causis gravioribus. 61
Vela secretorum in causis levioribus removebantur. ibid.
Velo levato cognoscere. *ibid.*
ad Velum sisti. 63
Venena inclusa annulis. 217
Veneris armatæ effigiem gestabat Jul. Cæsar. 82
Veneti arrogant sibi maris Adriatici imperium. 178
Veneti die Ascensionis mare Adriaticum sibi despondent annulo aureo mari injecto. 168
Victoriæ effigies cum tropæo in annulo. 96
Ungulus *quid?* 2
Vota obsignabantur. 78.

W.

Wenceslai Imp. facilitas in signandis literis. 115

Z.

Zipanginorum brachialia magica. 207

FINIS.

GEORGII LONGI,

Sacerdotis, Doctoris, & Ambrosianæ Bibliothecæ custodis primi

TRACTATUS

DE ANNULIS SIGNATORIIS ANTIQUORUM

SIVE DE VARIO OBSIGNANDI RITU.

LUGD. BATAV.
Apud HACKIOS,
cIↃ IↃ C LXXII.

GEORGII LONGI TRACTATUS DE ANNULIS SIGNATORIIS. ANTIQUORUM.

CAP. I.

Quid Annuli, quid ſigilli nomine intelligatur.

AVerbi nomenclatura tractatum aggredi ſuſcepto oneri rem convenientem mihi facturus videor, ſi quid Anulus,

quòd ei nomina quotuplex usus, quid ve olim sigillum fuerit, principio statuam, Principis eloquentiæ consilium secutus 1. de off. ubi, *omnis*, inquit, *quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.*

Anuli etymologia.

Quibus nominibus anulum antiqui appellavent.

Est autem anulus Latine, quod Græce Δακτύλιος à digitorum vestitu, dicitur: quamquam, & de nomine ipso non parum ambigi video. Anulum enim à quibusdam condulum, & condalium, & Græcis, & nostris unguulum Teste Plin. Nat. Hist. lib. 33. cap. primo (illa fortasse ratione, ut Isidorus sentit lib. 19. cap. 32. quia sicut ungula carni, ita gemma anuli auro accingatur; sicuti & samothracius aureus quidem, sed capitulo ferreo à loco ita vocatus) Ab aliis vero anulum symbolum appellatum fuisse aperte indicat Plaut. Pseud. Act. 1. Sc. 1.

Ea causa miles hic reliquit symbolum.
Expressam in cera ex anulo suam imaginem,
Ut qui huc afferret ejus similem symbolum.

Sic apud Terent. Eunuch. *de symbolis esse*, & alibi, *symbolum dare*, ad anulos refertur, ut ibi communiter Terentiani interpretes exponunt. Et Plinius ipse nat. hist. lib. 32. cap. 1. à priscis

priſcis *ungulum*, habent mm. ſſ. *cingulum*, noviſſime à Græcis, & noſtris *ſymbolum* vocatum, prohibet. Deſumptum autem id nomen ex eo obſervavit Philippus Beroaldus ad 10. librum Apul. de Aſ. aur. quod pro arrha collationis ad jentaculum, ſive prandium faciendum deponi ſoleret. Cum enim nihil aliud *ſymbolum* ſit, quam plurium in rem aliquam collatio ex D. Auguſt. Serm. 115. de temp. recte *ſymbola* pro collatoribus, ſive commeſſalibus accipiuntur, quæ adoleſcentuli in unum pro rata conferunt prandii, vel cœnæ, vel jentaculi cauſa. Sic enim & hodie vulgari ſermone *collationem facere* dicimus, pro *jentaculum ſumere*; quoniam ſcilicet id ex collata pecunia plerumque fieri ſolet. *cap. non oportet diſt.* 43. *Non oportet Clericos ex ſymbolis, quæ vulgus commeſſalia appellat convivia celebrare.* Hujus etiam loci eſt, quod à Platone lib. 11. de leg. adverſus ſordidam convivarum avaritiam in hæc verba præcipitur. *In eo convivii genere, quod ex ſymbolis fit, & ἔρανος vocatur, ſi quis te violatum conqueratur, aut alio quovis modo ſit ea de re controverſia, ita inter ſe partes agant, tanquam nulla hac de re utilis actio cuiquam ſit competitura, ut ſordidis hujuſmodi litibus omnis anſa præcidatur.*

Unde ſit quod vulgo dicitur facere collationem.

Porro Casaub. animad. in Athen. l. 3. c. 32. differentiam inter σύμβολα & συμβολὴ ostendens, συμβολὴ, inquit, *est collatio eranistæ ad convivium, quisque enim, quod ad manum erat, conferebat. eæ partes dictæ* συμβολαὶ, *& convivium ejusmodi* ἔρανος, *vel* δεῖπνον ἀπὸ συμβολῶν. *mutato vero genere* σύμβολον *vocabant anulum, vel quicquid aliud arræ loco solitum dari ei sodalium, qui jubebatur parare cœnam.* Terent. Eunuch. *Heri aliquot adolescentuli coiimus in Piræeo, In hunc diem ut de symbolis esse-mus: Chæream ei rei Præfecimus: dati anuli: locus, tempus constitutum est.*

De quo etiam anuli usu Plin. loquitur lib. 32. *celebratior anuli usus, &c.* Auserim tamen dicere, non anulos modo symboli appellatione accipi solitos, sed generaliter quidquid arrhæ loco daretur. Sic & Tesseræ illæ, quarum olim in contractibus usus loco præsentis pecuniæ, symbola dicebantur, sic Theophrastus in character. cap. de desperat. *& cum præstigiæ spectantur ad quemque spectantium adire, & stipem æream exigere, ac si quis symbolum afferens, gratis spectare postulet, cum eo rixabitur*, quo etiam sensu accipiendum illud Isidori lib. 5. orig. cap. 24. ubi ait: *Veteres quando sibi aliquid promittebant, stipulam tenentes frangebant, quam iterum jungentes sponsiones suas agnoscebant.* Ve-

Verum quidquid ſit, de vocabuli differentia parum laboro, certiſſimum illud eſt, triplicem omnino anulorum uſum extitiſſe. Erat ſiquidem ſuperſtitioſe ſponſalitius anulus, qui modo religioſe eſt, iſque ferreus in fidei ſignum dabatur ſponſæ, & arrhæ loco. Alchernius de laudibus virginitatis, *anulo*, inquit, *ſubarrhatam ſortitur virgunculam*, & Jul. quoque Solin. de Thracum uxoribus, *quæ*, inquit, *præ cæteris ſpecie valent ſubarrhari volent.* eſt enim ſponſalitius anulus ex D. Hier. in cap. 8. Job. & in 111. Iſaïæ, & Beda in cap. 15. Lucæ homil. 40. *ſinceræ fidei ſignaculum, quo promiſſa certa impreſſione ſignantur.* Quod quidem arrhæ genus adeo ſeculis omnibus familiare fuit ut ipſius Dei genitricis Joſephique ſponſalitio illuſtre redderetur. Conſtat ſiquidem ipſi quoque Beatiſſimæ virgini à Joſepho anulum datum eſſe, quomodo D. Laurentii Templum in Peruſina Civitate, ubi religioſiſſime aſſervatur, non mediocriter colitur, quamvis cuiuſnam materiæ exiſtat non facile diſcutias. Meminit de eo Jo. Chartal. de ſponſat. B. V. lib. 4. homil. prima. Quin etiam fuit anulus honorarius inſigne equeſtris ordinis, quo Romani ſcribas ſuos, & milites poſt reportatam de hoſtibus victoriam advocatis con-

Anulorum uſus.

cionibus donare solebant. Testis est Cicero. orat. v. in Ver. Cujus etiam rei intuitu Aristoteles lib. 7. de Rep. Charthagine legem fuisse tradit, ut quot quisque expeditiones feciſſet, tot digitis gestaret anulos. Contra vero apud Macedones servatum, ut qui nullum in bello hostem interfeciſſet, pro cingulo, hoc est pro anulo, capistro cinctus foret. Sic enim & Romanis perquam familiare fuisse legimus, ut anulorum largitione libertos bene merentes in ingenuitatem revocarent, quo pacto L. Sullam Dictatorem Q. Roscium Comœdum, Cæsarem Dictatorem D. Laberium anulo aureo donasse legimus, non quidem ut eos, quos donarent equites Romanos facerent, sed ut eos eo jure afficerent, quo quidem fuissent, si lecti equites à Censoribus essent, quorum illud erat præcipuum. Sed enim plura de eo cap. 5. ubi promiscue honorarium anulum ad obsignandum inseruisse, patebit. Jam vero tertium anulorum genus signatorius, sive sigillaricius fuit, quem nos hodie *sigillum* appellamus, quo semper veteres ad obsignandum usos esse video. De eo mihi, prætermissa priore examinatione, nisi quatenus forte instituto operi inserviet, præsens negotium erit. Ceterum quoniam, (quod ad secundam capitis

Sigilli vox quid proprie fuerit antiquis

capitis particulam attinet) ſigilli nomen raro apud veteres in rem præſentem animadverterim uſurpatum, conſentaneum arbitror aperire, quid antiquis ſigillum fuerit, & quid modo recentioribus.

Sigillum itaque pro parva, & fictili imagine, ſive hominum ſimulacro ſæpenumero accipi conſueviſſe ex Martiali lib. 14. epigram. 185. cognoſcere licet.

Gloria tam parvi non eſt obſcura ſigillum.

& alibi:

Sum fragilis, ſed tu, moneo, ne ſperne ſigillum.

Ubi Raderus ex Plin. lib. 34. cap. 8. *ſigilla*, inquit, *ſunt icunculæ infra humanam ſtaturam, quas Saturnalibus miſſitabant.* Unde Rhodig. Antiq. lect. lib. 17. cap. 16. & Jo. Brodeus in ſcholiis ad ſecundum librum Epigram. Græc. Epigram. 8. & alii plures ſigna univerſum ea dici, obſervant, quæ humani habitus ſtatura minores ſunt. Quo ſenſu etiam de Tiberio apud Suetonium legimus cap. 43. cubicula plurifariam tabellis, & ſigillis laſciviſſimarum picturarum exornare ſolitum. Horum originem optime omnium Macrob. Satur. lib. 1. cap. 7. in hunc modum recenſet. *Epicadus*, inquit, *refert Herculem occiſo Gergone, cum victor* *Sigillorum hujuſmodi origo.*

ctor per Italiam armenta duxisset, Ponte qui nunc Sublicius dicitur ad tempus instructo, hominum simulacra pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, in fluvium demisisse, ut aqua secunda in mare devecta pro corporibus defunctorum, veluti patriis sedibus redderentur; & inde usum talia simulacra fingendi inter sacra mansisse. Sed mihi hujus rei illa origo verior æstimatur, Pelasgos (postquam sælicior interpretatio capita non viventium, sed fictilia, & φότου æstimationem non solum hominem, sed etiam lumen significare docuisset) cæpisse Saturno potius cereos accendere, & in sacellum Ditis aræ Saturni cohærens oscilla quædam pro suis capitibus ferre: ex illo traditum, ut cerei Saturnalibus mitterentur, & sigilla arte fictili fingerentur, ac venalia pararentur, quæ homines, pro se, atque suis piaculum pro Dite Saturno facerent, Hactenus ille. Porro sigilla hujusmodi oscilla etiam esse dicta tum ex Macrob. supra ex eo ritu indicatum est, tum ex Virgilii carmine secundo Georg. quidam existimant,

Sigilla oscilla dicta.

Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

Interpretantur enim, ut velint fictilia simulacra ex pinu suspensa, quemadmodum, ad sacras olim arbores lucernæ appendebantur. Sed ea de re Serv. & cum eo plerique juniorum; hoc unum

unum dico, videri noſtros hanc quoque ſuperſtitionem in religionem commutaſſe, quando & ſanctorum ſepulchra, & circum altaria parietes hodie religioſis hiſce ſigillis, quæ nos vota dicimus, onuſti appareant. Sed ex aliis etiam ſigillorum hujuſmodi uſum cognoſcere licet, ac ea quidem in primis dono pueris tranſmitti ſolita, præter citatum Martialis locum, ex illis quoque Spartiani verbis de Antonino Caracalla ſatis aperte colligitur. *Quæ à parentibus ſigillariorum gratia acceperat, ea vel clientibus, vel magiſtris ſponte donavit.* Quin & civium moris fuiſſe, ut ſimilibus ſimulacris æreis, argenteis, atque aureis inter ſolemnia ſigillariorum (ſicuti & à nobis Dominicæ Nativitatis gratia non raro fit) ſeſe invicem donarent ſcribit Guliel. Stuchius antiquit. conviv. lib. 1. Nec non & vicum Romæ fuiſſe, ubi ſigilla fingebantur, ac venalia proponebantur, auctor eſt Gell. lib. 2. cap. 3.

Religioſa ſigillorum commutatio

Vota hodie à nobis dicuntur.

Sigilla dono dari ſolita.

Addiderim ſtatuas etiam ipſas grandiuſculas ſigilli vocabulo non ſemel appellatas, quod præter ea, quæ ſuperius dicta ſunt, variis apud Janum Gruterum ſolertiſſimum antiquitatis indagatorem, monumentis conſtare etiam poteſt. Exemplum ſubjiciam, quod ex Appiani ſchedis alias ſe deſumpſiſſe, refert. Tit. Diis dedicatorum.

Statuæ ipſæ ſigilla dicebantur.

rum. pag. 57. num. 4. apud Isaram Fluvium.

MARTI. AVG.
CONSERVATORI.
CORPORIS. SVI.
MERCVRIALIS. AVG.
N. V. EX. IVSSV.
NVMINIS. IPSIVS.
SIGILLVM. MARMOREVM.
POSVIT.

& tit. ac pag. iisdem num. vero secundo collectam Lavinii vetustissimam inscriptionem ab Alberto Pighio non vulgaris eruditionis viro idem Gruterus in hanc formam profert.

MAVORTIO.
SACR.
HOC. SIGILLVM.
A. SERVO. TANGI
NEFAS. EST.

Cur servis veteri-tum statuas aliquas tangere.

At vero ne temere cautum quisquam putet, ut servi à similibus statuis tangendis manus abstinerent, sciendum in primis est, præter deorum aras, in quas nos hodie religiosius impunitatis gratia confugimus, statuas quoque clarorum virorum damnatis olim profugium & tutissimum salutis asylum extitisse. Sic Decium Magium Cyrenas tempestate delatum ad Ptolomæi Regis statuam confugisse Liv. tradit. hist. lib. 23. Et Suet. in Augusto *Antonium juvenem simulacro Tulli, ad quod*

quod post multas, & irritas preces confugerat abreptum interemit; & in Tiber. de Agrip. *Novissime calumniatus modo ad statuam Augusti, modo ad exercitus confugiebant.* Resque eo evasit, ut non periculi solum fugæ, imago Imperatoris esset, sed calumniæ occasio. Ea abrepta inferre injuriam licebat, non solum vitare. Præcipuum autem servorum morem ad eas confugere, expressit Seneca de clem. lib. 1. *Servis ad statuam licet confugere, cum in servum omnia liceant.* Vlpian. in Pythæanis fragmentis; *ideoque cognosce de querelis illorum, qui ex familia Tull. Sabini ad statuam confugerant, & sive durius habiti, quam æquum, vel infami injuria adfectos cognoveris, venire jube, ut in potestatem Sabini non revertantur.* & Philostratus de vita Apollonii lib. 1. erat, ait, *apud Aspendios Tiberii, statuæque sanctiores illis in locis, venerabilioresque quam Iovis Olympii simulacrum habebantur, ita ut impietatis damnatus quidam fuerit, quod servum suum verberasset, qui drachmam argenteam Tiberii imagine signatam gestabat.* Itaque subvenerunt mox leges, & ne ad statuas, vel imagines quis confugeret, Senatus censuit, eumque qui imaginem Cæsaris in invidiam alterius prætulisset *in vincla publica coëceri*, D. Pius rescripsit l. unic. C.

Summa in statuas non-nullas inti-quor. ob-servantia.

de his, qui ad ſtat. confug. ait Calliſtratus l. 28. de pœnis; ſed & ſtatuæ deorum eodem jure adfectæ ſunt, itaque adſcriptum *à ſervo non tangi.* alia præterea (ne longius ab inſtituto aberrem) eaque diverſa fuit ſigilli ſignificatio, cujus Strabo in ſecundo Geograph. l. meminit, ſcribit enim Eratoſthenem ſolitum appellare ſigilla portiones illas terræ habitatæ, quarum una ſeptentrionalis vocatur, meridionalis altera. Non inficior tamen ſigilli nomine idipſum aliquando intelligi conſueviſſe, quod de anulo ſignatorio, unde & apud Lycophronem ita legitur:

Terræ habitatæ portiones ab Eratoſthene ſigilla appellantur.

Reliqua porro vermiculatum non tangens ædes
Sigillum ſervabit. —

Sigilli vocabulum pro anulo ſignatorio & apud veteres aliquando habitum.

Et in Dione lib. 51. hiſt. Rom. anuli ſignatorii Auguſti, & Galbæ *ſigilli* nomine appellantur, ut & multis aliis locis videre eſt. Is igitur veterum ſenſus fuit de ſigilli vocabulo, mox quid recentioribus, experientia ipſa docet, nil aliud ſigilli appellatione accipi, quam ſignaculum illud uniuſcujuſque proprium, quo ad epiſtolas, pleraque alia obſignanda frequentiſſime utimur, ſive anulus illud ſit, ſive non. Signaculum, inquam, non ſignum: cum probatis auctoribus hæc duo plerumque nomina non idem fuiſſe comperiam, quorum diſcrimen ex uno

quid nobis ſigillum ſit.

Ori-

Origenis loco lib. 4. in Epist. ad Rom. colligimus, ubi *fortassis*, inquit, *idem videbitur aliquibus signum quod signaculum; sed mihi uterque sermo multam videtur inter se habere differentiam, signum namque dicitur, cum per hoc quod videtur aliud aliquid indicatur, signaculum dicitur, cum alicui rei servandæ pro tempore custodia imponitur, quod nemo alius, nisi ille qui impressit resignare debeat.* Nos hic & anulum quatenus signatorius est, & sigillum hoc ultimo modo acceptum examinandum constituimus.

Discrimen inter signaculum, & sigillum

Cap. II.

De Anuli signatorii antiquitate, sive de primo illius inventore.

VEtustissimi instituti fuisse ipsum gestare digitis signatorios anulos, non vulgare testimonium illud esse potest, quod Genes. 38. de Thamar muliere scriptum est. Huic namque pacta concubitus mercedis arrham poposcenti, *anulum*, sive *sigillum*, ut Hebræa dictio reddit, à Juda datum esse, legimus. Ex quo sane more comparatum postea crediderim, ut signatorium anulum sibi mutuo darent homines in sponsionum usus, & arrhæ loco. Plin. lib. 33. cap. 1. *ad sponsiones anulo exsiliente*, & Juvenal. Sat. Sexta.

Sigillum Thamar arrhæ loco postulat à Juda.

Anuli signatorii usus ad sponsiones, & arrhas.

— *Et digito pignus fortaſſe dediſti.*

Demoſth. quoque πρὸς Παυθαίνετον, proponit ſponſionem ita factam φέρε τυνὶ δακτύλιον λαβὲ & Plautus Curcul. act. 2. ſc. ult.

Provocat me in aleam, ut ego ludam: pono pallium.

Ille ſuum anulum oppoſivit. —

Unde dici ſolebat anulus fidejuſſor extremæ voluntatis, ad quod alludunt ſequentes verſus:

Talibus à dominis poſt cuncta noviſſimus exit

Anulus, & digito mendicat Pollio nudo.

Quod Timothei ducis exemplo confirmatur, qui Polyæno auctore ſtratag. l. 3. cum in Atticis caſtris nummi inopia cum militibus laboraret, mercatores induxit, ut ſuo ipſius anulo ſignatorio pro numiſmate uterentur. Diſcedentes vero ſigillum redderent, & argentum acciperent, quo facto, abundans mox pecuniis Timotheus conſtitutum precium perſolvit. Vlp. l. 5. §. item ſi inſtitor, & l. ſi gratuitam. de præſcript. verbis §. ult. & l. exempto. n. §. ego illud de act. empt. Cæterum ut jam ad anuli vetuſtatem aſtruendam redeam, Gen. c. 41. traditur Pharaonem Ægypti Regem beneficio acceptæ divinitus ominationis, ut Joſephum excellenti dignitatis gradu

colio-

cohoneſtaret, anulum, quem digito geſtabat, ejuſdem Joſephi manui inſeruiſſe. Ex quibus, & aliis colligitur à qua antiquitate principium mos iſte petat, utpote qui ab ipſis pene humanæ naturæ primordiis profluxerit. Quare nec facile dixeris, quis opifex fuerit, cum & ſcriptores univerſim vera anuli origo lateat. Jam vero quoniam certi quippiam de hac re affirmare non auſim, libet hic locum fabulæ, & mendacio facere. Prometheum Caucaſi rupibus à Jove alligatum fabulantur, quod per ludibrium tecta ſibi in convivio oſſa appoſuiſſet, quod ignem cœleſtem ſurripuiſſet, quodque de ſtupro Minervam ſollicitaſſet. Cæterum cum Jupiter Thetidis amore captus ab eo fatorum præſcio cognoviſſet, naſciturum ex Thetide filium patre majorem, memor eorum, quæ adverſus patrem geſſerat, metuenſque ne par redderetur, à Thetide abſtinuit, ac Prometheum grati animi monumentum ſolvit, ea tamen lege, ut anulum lapide, & ferro compactum geſtaret, ne omnino pœna videretur exolutus. Hoc anulum fuiſſe, hoc gemmam dicunt. Sed hæc ſatis; non enim fabellis rerum vetuſtas comprobatur, ubi tot inſignia ſacrarum hiſtoriarum loca interceduut. Inter quæ inſignis ad anuli antiquitatem elicien-

Incerta vera anuli origo.

Fabulosa anuli origo.

dam locus Exodi cap. 33. se offert, ubi à piis mulieribus anulos in donaria collatos legimus. Neque demum Plin. sententiam (quam alioqui propter summam viri auctoritatem apprime revereor) hoc loco admittendam censerem, qui cap. 1. lib. 33. nullum Iliacis temporibus anulum fuisse asseverat, unde & Homerum testem vocat, qui & codicillos missitatos epistolarum gratia indicet, & conditas arcis vestes, ac vasa aurea, argenteaque & ea colligata nodi non anuli nota: nam qua ratione Homerum hujus rei auctorem faciat, non video, cum id aperte nullibi ex ipso constet. Neque enim (quod forte Plin. fundamentum fuit) ex Vlyssis vinculo, quo Aretæ dona arca inclusit id inferre potest, cum per id temporis Vlyssem eo maxime uti par esset, quippe quod à Circe venefica jam edoctus fuerat. Demonstrat id aperte Odyss. 8. Homerus in hæc verba:

Plinii sententia examinatur

Homerus à Plinio an recte citatus.

Ipse tunc vide de operculo, statim vero vinculum
Circumliga ———
Ne quis tibi in itinere damnum afferat, tum forte
Dormieris dulce somnum profectus in nave nigra.
Ceterum postquam hoc audivit prudens Divus

Vlys-

Vlysses —
Statim aptavit operculum, celeriter autem.
Vinculum circumligavit —
Vartum quod olim docuit veneranda Circe.

Ad quem locum interpretes communiter vinculum hujusmodi vulgarium securitatem excessisse perhibent, & Eusthatius hoc loco, Jacobus Cujac. lib. 37. cap. 12. & Adrian. Jun. in suis adagiis monent posse proverbialiter *Vlyssis vinculum* de rebus diligenter, & tuto obseratis usurpari; qui sane mos ciistas vinculis muniendi ex Laconum inventione evanuit, & clavibus postea uti cœptum est.

Vlyssis vinculum de rebus tuto obseratis proverbialiter dici solet.

Potuit igitur & Iliacis temporibus anulorum usus viguisse, quod vero nodum potius, quam anulum Ulysses adhibuerit Circes jussu factum id esse supra ex Homero indicavimus. Ego vero interea mirari non desino, quo pacto tantæ lectionis vir antedicta scripturæ loca adeo incautus præterniserit, ut ne verbum quidem de illis fecerit, nisi id forte ethnici auctoris cæcitati tribuamus. Ceterum, quod ad anulorum antiquitatem attinet, abunde nos dixisse existimo, plura etiam in sequentibus obiter dicenda occurrent.

Plin. sacræ scripturæ ignarus.

CAP. III.

Cujus rei gratia fuerit anulus inventus.

QVamvis de vero anuli auctore nullus adhuc auſerit affirmare, in eo tamen omnes conveniunt, ut non ad ornatum (quod falſo effœminati homunculi, & mulierculæ credunt) ſed ad ſignandum inventum eſſe, doceant. Ita Macrob. Satural. lib. 7, ex Attejo Capit. Plin. lib. 33. cap. 1. Alexander ab Alex. lib. 2. cap. 19. Pier. Valer. Hieroglyph. lib. 41. & Budæus lib. 3. de aſſe, anulos ab antiquis non ad decorem, ſed ſignandi cauſa inventos, ac geſtatos fuiſſe, ſcribunt. Hos ſequitur Clem. Alexand. Pædag. lib. 3. c. 2. ubi hæc habet expreſſa verba. *anulus datus ſemel ſponſæ loco arrhæ non ornātus cauſa dabatur, ſed ut obſignaret quæ domi eſſent.* Circulari vero ratione ſponſæ dari ſuſpicor, quia arctiſſimum Matrimonii fœdus perpetuo nec deſtituro amore nitatur. §. 1. de patr. poteſt, vel quia prolis æternitas ſucceſſione quodammodo aquiritur l. Liberorum §. fi. de verb. ſignifi. Hinc Attejus Capito annum *à circuitu temporis* putat quod *an* antiquis *circum* eſſet: unde ambire & Cato in origin. *an terminum* pro *circum terminum*, dixit, & Ægyptii mundum figurantes in orbem pin-

Anulus ad ſignandum non ad ornatum inventus

pingebant ſerpentem ſuam ipſius caudam devorantem, quia hæc figura eſt. Et quidem poſtea lege caveri cœptum eſt ff. de verborum ſignifi. l. ſignatorius, ſignatorium anulum ornamenti appellatione non contineri, quem locum Gloſ. ſic explicat, *in proſcriptione bonorum alicujus, ſi de muliebribus ornamentis agatur, ne quis ſibi ſignatorium anulum, aut res alias pannicularias audeat vendicare.* de bo. damna. L. Divus, & ibidem vir doctiſſimus Jacobus Cujac. declarat, anulos ſignatorios quibus cuſtodiæ cauſa ſigillimus inter hominum ornamenta minime recenſeri, quia hos ornatus cauſa non fabricavit, ſed neceſſitas, non minus quam claves, & ſeras. Huc ſpectat etiam quod à Solone lege tab. 24. cautum legimus in hæc verba: *Si quis anulario anulum vendiderit, ſignum ſervari fas eſto:* Cujus rei argumento eſt l. gemma ff. ad exit. Quod autem ſignatorii anuli cura ad matresfamilias propriè ſpectaret, pluribus locis docet Xenophon in Oecon. & Flav. Vopiſc. in Aurel. *Vxori*, inquit, *& filiæ anulum ſigillariciium quaſi privatus inſtituit*, filiæ quidem natu grandiori & jam in matrimonio collocatæ, ut monet Caſaubonus hîc; tantum enim à fœminis ſtudium circa res familiares, tantamque ſolertiam veteribus requiſitam eſſe, Tertull.

Anulus ſignatorius inter ornamenta muliebria non recenſetur à Jure-Conſ.

Ad matres familias anuli cura ſpectat.

tull. ſcribit apolog. adverſ. gent. c. 6. ut matronam ob reſignatos cellæ vinariæ loculos, ſui inedia necarint. Sed & interdum majori natu liberorum à parentibus traditum, colligit D not. ex l. 77. §. 21. ff. de legat. 2. Quare nec poterat uxor, mortuo marito, ejus anulo ſignare, ſi ſe in aliam familiam tranſtuliſſet, imo prohibebatur, remanebatque anulus apud heredes, ut l. ſi quæ ſunt ff. famil. erciſc. Porro quidnam tam oculatos homines effecerit, tamque ad rerum domeſticarum cuſtodiam propenſos, in cauſa id fuit, quod rectam juſtitiæ inſtitutionem non omnes ſequerentur, ex quo & ſervi, & domini juſti ex æquo eſſent; ſigillis propterea opus fuit, quibus tuta quæque reddi poſſent. Quare jure merito citato loco queritur his verbis Plinius. *Quæ fuit illa priſcorum vita, qualis innocentia, in qua nihil ſignabatur; at nunc cibi quoque & potus anulo vindicantur à rapina;* & paulo poſt ejus rei cauſam ſubdens. *Hoc*, inquit, *profecere mancipiorum Legiones, & in domo turba externa, ac ſervorum quoque cauſa nomenclator adhibendus, aliter apud antiquos victum omnem in promiſcuo habebant, nec ulla olim cuſtodia à domeſticis opus erat, nunc rapiendæ comparantur epulæ, pariterque qui rapiant eas & claves quoque ipſas ſignaſſe non eſt ſatis, gra-*

Quid primum homines ad ſignandum impulerit.

gravatis somno, aut morientibus anuli detrahuntur. Sed ne allatis tantum testimoniis contenti esse videamur, accedat id nobis corollarium, quod Isidor. lib. 1. de Eccl. offic. cap. 5. in rem præsentem, prodit, ob eam scilicet causam, Episcopo anulum dari, ut non ad elegantiam gerat, sed quasi signaculum secretorum; quare & in ejus traditione hæc solent verba proferri. *Accipe anulum discretionis, & honoris fidei signum, ut quæ signanda sunt signes; & quæ aperienda sunt, prodas.* Sic quoque & Theologiæ, & juris periti anulo donari solent, ut notat Alciat. parerg. lib. 8. cap. 10. quia anulo signata responsa antiquitus Jureconsulti reddere consueverant Augusti beneficio l. 11. §. pen. ff. de orig. jur. Quamvis Stephanus Forcatul. alia conjectura nitens, aliter autumet, dari nimirum doctori anulum, vel quasi jus postmodum interpretaturo, vel quod equestris dignitatis, ac virtutis insigne sit. Ideoque Episcopis, & Doctoribus permittitur, non autem simplicibus Clericis Glos. in ca. ut Apostolicæ de privileg. in 6. ubi Doctores explicant, clericos gestantes anulos, aut Episcopos, aut fatuos. Hæc igitur ratio potissima fuit, cur sigilla, & anuli adhiberentur, quæ non ad venustatem, ac digitorum elegantiam,

Anulus episcopo in signaculum traditur non ad elegantiam. Prisci J. C. responsa signata reddere solebant.

ſed rerum domeſticarum cuſtodiam, vel dignitatem indicandam à majoribus inventos eſſe, ſatis ſupra monſtratum eſt.

CAP. IV.

Quanti Antiquis anulus ſignatorius fuerit.

MAximi olim ab antiquis æſtimatos ſignatorios anulos, atque inter alia domeſticæ ſuppellectilis ornamenta principem locum obtinuiſſe, haud obſcure colligi poteſt ex Ciceronis Epiſtola prima ad Q. Fratrem, qui, exponente Manutio, ne ſigillum ſuum paſſim tanquam dolium circumferri ſinat, ſed illud diligenti coſtodia conſervet, his eum verbis hortatur. *Sit*, inquit, *anulus tuus, non ut vas aliquod, ſed tanquam ipſe tu, non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ.* Licet quidem Manutii expoſitio (ut illud etiam obiter adnotarim) à vero Ciceronis ſenſu multum aliena videatur, putantis à vaſe, aut dolio ſimilitudinem duci, quod perquam ridiculum eſt. Verba Manutii hæc ſunt. *Non ut vas aliquod, quod aſſidue circumfertur, ſed vide quibus illum tradas, ne quis, accepta pecunia, ſignet ea, quæ tu non probares, & ne quis eo, quoties velit, uti poſſit.* Non inquam, meo judicio, is Ciceronis ſenſus fuit.

Anuli curam Cicero Q. F. ſuadet.

Manutii ſenſus.

Ego

Ego ſane, locum Ciceronis primum dixerim, non carere mendo, non enim *aliquod*, ſed *aliquis* legi debet, ſic habent nonnulli Codd. Manuſſ. Bibliothecæ Ambroſianæ: Erratum autem inde fluxiſſe arbitror, quod aliqui eodem modo quo Manutius à vaſe deductam ſimilitudinem exiſtimantes, *aliquis* in *aliquod* mutarunt. Deinde aſſero Ciceronem non ad dolium aliquod, ſed ad ſponſorem reſpexiſſe; nam vas, ſi facit vadis, ſponſorem ſignificat, & ſi aliquantulum differt, declarat Varro lib. 5. de ling. lat. ubi hæc habet verba. *Vas appellatus, qui pro altero vadimonium promittebat.* Conſuetudo erat, ut cum reus parum eſſet idoneus incœptis rebus, pro ſe alterum daret, à quo caveri poſtea lege cœptum eſt ab his, qui prædia venderent, vades ne darent; ab eo ſcribi cœptum in lege mancipiorum, vadem ne poſceret. *Locus Ciceronis reſtitutus.*

Ait igitur Cicero cavendum eſt tibi, Quinte, ne anulus tuus ſit tanquam vas alienæ voluntatis, id eſt ne aliquis tuum quæſtum hac ratione faciat in provincia, dum anulo tuo multa obſignat, te inſciente, corruptus largitione alicujus provincialis: fuiſſet enim tunc anulus vere ſponſor alienæ voluntatis, id eſt eorum, qui corrupti fuerunt, nam ſicut creditores vades poſtu-

poſtulant, ita illi provinciales, ut temere pecuniam darent iis, qui polliciti erant ſe obſignaturos Prætoris edictum, aut interdictum aliquod, poſtulabant antevadem. Is autem erat prætoris anulus; obſignationem enim ubi viderant, decipi ſe poſtea poſſe non credebant.

Honorificentiſſimum apud antiquos donari anulo.

Verum enim vero non ex uno tantum ſignatorii anuli æſtimatio, dignitaſque comprobatur. Scribit Alex. ab Alex. genial. dier. lib. 1. cap. 26. & lib. ſecundo c. 19. donari anulo apud Perſas, maxime fœderis vinculum, ac intimæ amicitiæ, plenariæque quidvis agendi ſcribendive poteſtatis ſignum fuiſſe: Conſtat enim Perſarum Reges ſignatorios anulos geſtaſſe, quos, ubi res poſcebat, digito detractos fido alicui amico ad obſignandum dabant, & quod hoc ſigno confirmatum eſſet, ſic ratum apud omnes, ut nefas violare. De Pharaone, & Joſepho ſuperius dictum eſt. Antiochus vero, de quo Machab. lib. primo cap. 6. filii imperiique totius curam Philippo cuidam dato ei proprio anulo, commiſit. Pauſan. quoque Phocic. lib. decimo, Phocum Æaci filium anulo gemmato ſignatorio à Jaſæo pro veteris gratiæ reconciliatione donatum eſſe, tradit. Neque præterea vulgare loci hujus teſtimonium illud erit, quod cap. 3. libri

libri Esther ab Assuero factum perhibetur, qui ut suam in Mardocheum voluntatem declararet, ipsumque in locum Aman sufficeret, anulum signatorium, quem ab Aman in crucem suffigendo recipi jusserat, digito suo detractum, summa ei benevolentia tradidit, summoque eum apud se loco esse, palam hac tessera confirmavit. Tissaphernem quoque aliquando à Clearcho rogatum, Ctesias refert, ut pectinis copiam sibi faceret, mox anulum suæ amicitiæ mutuæ ad necessarios, & familiares Lacedæmone suos insigne sibi dedisse, in cujus palla Caryatides saltantes insculptæ visebantur. De Mentore vero Hermiæ anulum accipiente, ipsiusque nomine literas ad arces, & omnia dedenda conscribente Diodor. Sicul. lib. 16. & Polyæn l. 6. meminerunt. Sic movente in Bizantinos Philippo, cumque annum ætatis sextum decimum Alexander ageret, demandatam ei Macedoniæ, & *sigilli* curam, scribit Plutar. in Alex. Quin etiam memoriæ proditum à Justino historico lib. 12. Curtio lib. 10. legimus; ipsummet Alexandrum Magnum jam jam animam agentem, præcluſa voce, exemptum digito anulum ipsum Perdiccæ summo copiarum Duci tradidisse. Id ipsum etiam ab Augusto factum videmus, qui moriturus

turus signatorium anulum Agrippæ familiari suo in potestatis signum exhibuit, ut ex Dione lib. 53. Xiphilinus scribit. Accedit, quod de Tiberio Valer. Max. lib. 7. cap. 9. & Suet. c. 73. memorant. Is enim deficiens exemptum digito anulum, quasi alicui traditurus parumper tenuit, postea vero adhuc animam expiranti, Caligulæ de digito detrahi, jussit, in Caligula c. 12. idem adjicit. Atqui ipse etiam Hegesippus hist. lib. primo cap. ultimo refert, Ptolomæum Alexandri mortui anulum digito detraxisse & in concionem protulisse. Patet id in eam rem quoque Ciceronis locus in orat. pro Rosc. Amer. non longe à fine, ex quo maxima anuli existimatio colligitur, ubi Chrysogonem alloquens, ait. *Si vestitum, quo ipse tectus erat, anulumque de digito suum tibi tradidit.* Neque præterea illud omiserim, quod de Cæsare Suet. scriptum reliquit, ut quo loco anuli signatorii apud omnes fuerint, clarius innotescat. *Ille*, inquit, *cum in alloquendo, exhortandoque sæpius digitum lævæ manus ostentans, affirmaret, se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset, anulum quoque æquo animo detracturum sibi.* Sed enim quanti faceret & Verres signatorios anulos, declarat Cic. lib. 4. in eundem act. secunda, qui ejus

in

in furripiendis anulis aviditatem his verbis insectatur. *Quam multis istum putatis hominibus honestis de digitis anulos aureos abstuliisse? nunquam dubitavit, quotiescumque alicujus gemma, aut anulo delectatus est*; quod autem de signatoriis Cicero intelligit, cap. 9. demonstrabimus. Ad quod illud Horatii etiam alludit lib. 1. Od. 9.

Pignusque direptum lacertis
Aut digito male pertinaci.

Et illud Terentii Hecyr. act. 5. sc. 3.

Homo se fatetur vi in via nescio quam
compressisse,
Dicitque sese illi anulum, dum luctat
detraxisse.

Maximam vero præ cæteris anulorum æstimationem arguit ea Annibalis solertia, quam ex Plutarcho discimus in Marcello. Is, cæde nunciata Marcelli, cum in tumulum properassет, corpusque contemplatus esset diu, & robur, ac speciem considerasset, nullum ei dictum excidit arrogantius, nec lætitiam vultu, ut alius fortassis, acri, & gravi sublato hoste, præ se tulit, sed ad insperatam mortem obstupescens, anulo ejus ablato, cætera vilipendens corpus eximie ornatum, & cultum honorifice cremavit. Cui non absimile factum à Cæsare, idem Plutarchus memorat in Pompejo ad finem. In Ægyptum enim veniens, eum qui ca-

caput Pompeji sibi obtulit, ut detestabilem aversatus, anulum ejus accipiens illachrymavit.

Per anuli traditionem heredes olim designati.

Sed quid jam plura? cum & leges ipsæ per anuli signatorii traditionem indicari olim heredes, decernerent; Ita Papinian. in l. cum pater §. pater. D. de legat. secundo. *Pater pluribus filiis heredibus institutis moriens, claves, & anulum custodiæ causa majori natu filiæ tradidit.* & Vopsc. de Aurel. *uxori, & filiæ anulum sigillaricium quasi privatus instituit.* Valer. vero Maximus lib. 7. cap penult. & ult. de Tito Barulo refert, ipsum morientem Lentulo Spinteri, cujus vivens animum amantissimum sensérat, anulos suos, perinde, atque unico heredi tradidisse. Et Marcus quoque Popilius, cum Opicum Gallum ab ineunte ætate sibi familiarissimum decedens pro vetusto amicitiæ jure ultimo complexu, & osculo unum de multis, qui ante eum assidebant, judicaret, anulos suos ei tradidit, ne quid videlicet ex ea hereditate, quam nullo pacto aditurus erat, amitteret, quos postea Opius vir diligens in locellum, sive sacculum, quam bursam vocamus depositos, & à præsentibus assignatos heredibus illius exheres ipse reddidit.

Neque vero solum superadictis rationibus à Principibus viris domesticis suis,

ſuis, atque à patribus familias filiis datos anulos video, ſed & falſis gentilium Diis, aut etiam parentibus ipſis ſuperſtites honoris, & gratitudinis ergo ſæpiſſime poſuere. Teſtantur id aperte inſcriptiones vetuſtiſſimæ, quæ paſſim apud Gruterum reperiuntur, libuit autem hoc loco ejus exemplum ſubjicere, quæ tit. Diis dedicat. p. 59. his verbis habetur.

Anuli Diis parentibusque dicati.

VENEREM. AVG. CVM. PARERGO.
ITEM. PHIALAM. ARGENT.
ÆMIL. RVST. F.
ITEM. TABVLAM. ARGENT.
M. ANNIVS. CELCITAN. TEST.
SVO.
POST. MORTEM.
ÆMILIÆ. ARTEMISIÆ. VXORI.
ET HEREDI. SVÆ. PONI. JVS.
ÆMILIA. ARTEMISIA. TIRA.
POS.
EADEMQ. DE SVO. ANVLVM.
AVR.
GEMMA. MELIORE.

Inſomnia de anuli ſive ſigni commutatione quid antiquis portenderent.

Illud quoque quod à priſcis ſomniorum obſervatoribus de anulo traditur, ſummo eum loco habitum, manifeſte arguit, cujuſmodi eſt, quod Artemidorus Oneirocrit. lib. 5. cap. 32. ariolatur his verbis. *Viſus eſt ſibi quis anulum ſuum, quo omnia obſignabat ejeciſſe, deinde quærens lapidem, qui in ipſo erat;*

erat, in multas partes comminutam reperiisse; ita ut de cætero inutilis esset annihilata, sunt ipsi omnia negotia per quinque & quinquaginta dies. Atque id à nobis pro capitis corollario positum sit.

CAP. V.

Quemnam maxime Anulum gestare deceret, qualem, an plures quam unum, quove digito ferendum, veteres dixerint.

Vetitum servis anulum aureum gestare.

ADea, quæ de anulorum præstantia superius, illud etiam insigne splendoris argumentum accedit, receptûm usu quondam à priscis, ut non nisi ingenuis viris aureum anulum gestare licuerit (aureum inquam, nam alioqui & servis ferreum ad signandum nempe concessum fuisse, infra indicabimus) quo veluti indice ipsorum libertas monstraretur, & equestris ordo à servorum turba distinctus foret. Ejus rei testes erunt Macrob Saturnal. lib. 7. ex Att. Capit Pier. Valer. Hieroglyph. lib. 41. & alii juniorum plures: qui liberos solummodò homines, & quibus fides adhiberetur, anulum habuisse, testantur. Quam quidem distinctionis rationem paulatim, cum luxuriantis ævi abusus, tum impudentissimorum servorum superbia penitus abrogavit; cum enim nullum ser-

ſervis jus eſſet aurei anuli in propatulo geſtandi, ecce, novitio invento, alii ferro aurum ſuperinduxere, alii aurum merum, purumque decoloraruntque & in ferri modum deformarunt; id enim certe fuit. Aurum geſtabant, nec videbantur geſtare cum colore aliquo atro (hodie etiam uſitatiſſimum) id velarent. Nam ſervis certe, aliiſque vulgaribus homunculis anuli tantum uſum fuiſſe teſtantur Iſid. libro 19. cap 32. & Statius in lachrymis Hetruſci:

Mutavitque genus, levæque ignobile ferrum
Exuit, & celſo natorum æquavit honore.

Quibus accedit Appiani teſtimonium lib. 1. bell. civ. ubi refert à Tribunis in exercitu Romano aureos, ferreos à reliquis geſtatos eſſe. Porro de libertinis Carol. Sig. de antiq. jur. civ. Rom. lib. 2. ſcribit, non ingenuos modo, ſed & ipſos aliquando libertinos aureis donatos eſſe, eo nimirum conſilio, ut eiſdem & equeſtria ornamenta, & liberorum jura ea largitione tribuerent, unde ſcriptum etiam reliquit Ulpian. cap. de jur. anul. aur. qui tali jure affectus eſſet, eum tanquam ingenuum vivere, tanquam libertum mori, quod nimirum patronus præteritus adverſus ejus tabulas poſſeſſionem

nem obtineret. Quare cum dicat Dio, Menam Sexti Pompeii libertum poſt proditam patroni ſui claſſem anulo aureo ab Auguſto eſſe donatum, & in equitum cenſum adſcriptum, eo munere in ingenuitatem aſcitum, interpretatur Suet. ſcribens Auguſtum neminem unquam libertinorum cœnæ adhibuiſſe, excepto Mena, ſed aſſerto in ingenuitatem. Quo de jure hæc eodem in loco Dio adjicit, nemini quondam Romano non libertino ſolum, ſed ne ingenuo quidem anulos ferre aureos, præterquam ſenatoribus, & equitibus licuiſſe. Unde Tiberio Principe, Plinio auctore, anno ab urbe condita DCCLXXV. anulorum auctoritati forma conſtituta eſt: quo tempore ſtatutum, ne cui jus eſſet aurei anuli geſtandi, niſi cui ingenuo ipſi, patri, avoque paterno ſeſtertia CCCC. cenſus fuiſſent, & in lege Julia theatrali, in quatuordecim ordinibus ſedendi. T. Livius lib. 3. decad. 3. ſcribit, neminem poſſe, niſi equitem aureum anulum habere; quare equeſtris ordinis inſigne erat. Id ipſum de Athenienſibus cit. loco teſtatur Alex. ubi ferreum tantum anulum ad ſignandum geſtaſſe, tradit. Majora etiam libet adferre, quæ ex Tacito in lib. de moribus Germanorum capite 31. didici; conſueviſſe Cattorum for-

Athenienſes ferreum anulum tantum geſtarunt.

fortissimos quoque ferreum anulum, velut vinculum gestare, donec sese cæde hostis absolverent, ignominiosum sibi existimantes, quod auribus, oculisque accepissent, gestamen id apud Romanos sevorum peculiare fuisse. Optime vero omnium Lacedæmoniorum Reges sapientissimi tanto huic futuro luxui consuluere. Unde & 3. lib. legum, quas Nicolaus Cragius diligentissime collegit, ac recensuit, commentariis etiam adjectis, tab. inquam 6. de habitu institut. 8. ita cavetur: *Anulus in digito tantum ferreus sit.* Sane ferreum fortes decuit; itaque Lacedæmonii non aureo usi sunt, sed ferreo, de quo Plin. cit. loco, ubi adimens antiquissimis Romanis tum Regibus, præter Numam, & Servium, tum & aliis anulos, miratur Tarquiniorum statuas etiam sine anulis esse, cum ii ex Græcia, unde & anuli usus profluxit. Ex quo discere licet, fuisse quidem Lacedæmoniis, aliisque anulos, sed ferreos virtutis, ac fortitudinis indicium, potius quam corporis ornamentum: habitum enim ferreum à majoribus, & validius, & consuetius ei usui, testatur Varro. juris, porro aureorum anulorum originem extitisse, verisimile est, à Gn. Flavio Annii filio, Appiique Claudii Cæci scriba, qui legis actiones populo Ro-

Lacedæmoniis ferreus tantum anulus permissus.

Origo anulorum aureorum à quo.

Romano vulgavit, id est solennes, & certas agendi formulas; quæ antea penes principes civitatis viros, Appium maxime, religiose asservabantur.

Tam gratum id munus populo fuit, ut licet libertini filius, Tribunus plebis, & senator, & Ædilis curulis crearetur, in gratiam tanti beneficii l. 11. §. postea cum ff. de orig. jur. Ceterum quamvis ante Cn. Flavium non fuisset aureorum anulorum usus frequens, ipse tamen usus est, si Plinio creditur cit. loco, nempe velut ingenuus, & qui jus civile in manus populi misisset, & vulgasset. Neque hic omitto, invaluisse quondam, ut causarum patroni anulis honestarentur. Juvenal. Sat 7.

Patroni causarum anulis decorati.

——— *Ciceroni nemo ducentos*
Nunc dederit nummos, nisi fulserit anulus ingens.

At verò de numero, illud æque scriptores sentiunt, plus quam unum habere non licuisse, quo scilicet domestica obsignarentur; Ejus vero rei insignis Divi Clementis Alexandrini locus extat tertio Pædagog. cap. xi. ubi ait: *Quod si oportet, nos quoque, qui Rempublicam gerimus, & in agris etiam alia opera exercemus, & sæpe etiam simus sine uxoribus*, (indicans signaculi curam ad matresfamilias spectasse, ut etiam alibi ostendimus) *non-*

Turpe plures anulos gestare.

nun-

nulla, ut sint tutiora obsignare, dat nobis quoque unum ad hoc signaculum: alii autem sunt abjiciendi anuli. Quinimò pluribus uti, turpe fuisse, affirmant Gothof l.74 de V. S. & Isidorus Orig. lib.19. cap.32. cujus etiam rei argumento esse potest Gracchi in Mevium invectiva. *Considerate Quirites sinistram ejus, en cujus auctoritatem sequimini, qui propter mulierum cupiditatem, ut mulier est ornatus.* Quod si quando duos à Crasso gestatos anulos scriptores prodiderint, id ei ob ingentes opes tributum, simul asseverant, licet in uno tantum signum habere licuerit. Cujus fortasse rei intuitu, & hodie Assyrii singulos signatorios anulos gestant, Jo. Bohemus de gent. morib. lib.2. capite 3. Quin plerosque etiam Romanorum pro gravitate anulis abstinuisse, idem Isidorus memorat. De fœminarum vero honestate illa majorum instituta vigebant, quæ modestiæ, & sobritati patrocinabantur, cum aurum nulla norat, ut Tertullian. scribit Apol. adverſ. gen. cap.6. præter uno digito, quem sponsus oppignorasset pronubo anulo, vel duobus ad summum, ut Isidoro placet. Sed laxatam sanctæ huic disciplinæ viam fecit temporum incuria, luxus cuncta occupavit. Singulos modo digitorum anulis onerare

non ſufficit, tres etiam uni minimo congerere, non pudet. Licet quidem & Plinii, & Senecæ temporibus abuſum hunc invaluiſſe, ex Plin. cit. loco & Seneca Natural. quæſt. lib. 7. cap. 31. manifeſte appareat. *Exornamus*, inquit Seneca, *annulis digitos & in omni articulo gemma diſponitur*, & Iſidorus lib. 19. cap. 32. Orig. *At nunc*, inquit, *pro auro, nullum fœminis leve eſt, atque immune membrum.* Atqui ejus generis lapillos, gemmaſque univerſim incluſas habent, ut à cerdone equitem, & à vili muliercula nobiliſſimam viraginem haud facile dignoſcas. Dedecet id ſane, viles præcipue homunculos, & quibus capiſtro manus obligare præſtaret. Meminerint, Principibus quandoque viris luxum hujuſmodi exitio fuiſſe. Neque enim Nonnio Senatori utilis fuit gemma 20 millibus ſeſtertiis taxata, propter quam ab Antonio proſcriptus fuit. Obfuit & in ſummum exitium gemma Conradino Neapolitano Principi, quaſi caruiſſet, in tantum diſcrimen mortis turpiſſimæ non incidiſſet, latuiſſetque hoſti, nec captus, nec occiſus in hiſtoriarum libris legeretur. Nam adverſus eum cum Carolus Neapolitanorum Rex fuiſſet victoria potitus, ipſe agaſonis ſumpto habitu aufugiens, retento in digitis anulo

Anulorum quandoque luxus damna pleriſque intulit.

anulo pretioſiſſimo incautus ſeſe prodidit, non agaſonem, ſed magnum principem: piſcator enim ex gemma ſimulatam credidit perſonam, atque ideo captus, ultimo ſupplicio capitis abſciſſione publice Neapoli multatus eſt. Peperit igitur anuli affectata gloria domino ſuo ſummam ignominiam, cum vitæ interitu, ſed & præterea Heliogabali luxus à paucis commendatur, quem ſingulis quoque diebus novos variaſſe anulos, eundemque nunquam bis induiſſe, traditur. Neque demum aliam ob cauſam Cyrenenſium mores ſcriptores redarguunt, quam quod, ut Ælian. ſcribit variarum hiſtoriarum lib. 12. cap. 30. eorum abjectiſſimi, & contemptiſſimi decem minarum pretii ſigilla habuerint, anuloſque mirabili arte ſculptos.

Sed jam quibus digitis geſtarent inſpiciamus. Veteres quidem Græcos anulum in ſiniſtræ manus digito, qui minimo eſt proximus, habuiſſe teſtis eſt Gell. lib. 10. cap. 10. Romanos quoque homines, ajunt, ſic plerumque uſitatos anulis, quod in ſtatuis Numæ, & Servii obſervavit Plin. cauſamque hujus rei Appian. in libris Ægyptiacis dicit, quod in ſectis, apertiſque corporibus, ut mos fuit, quas Græci ἀνατομὰς vocant, compertum

Cur in digito minimo proximo anulum veteres geſtarent.

est, quendam tenuissimum nervum ab eo uno digito, de quo diximus, ad cor hominis pertingere, visumque esse, eum potissimum digitum tali honore decorandum, qui continens, & quasi connexus cum principatu cordis videretur. cap. fœminæ. 30. q. 3. Qua de causa etiam Macrob. teste lib. septimo Satur. Ægyptiorum sacerdotes circa deorum aras positi, hunc in singulis digitum confectis odoribus illiniebant, ac propterea anularem, medicinalemque appellabant. Alii putant in hunc digitum anulum immissum fuisse, ne aurum tam facile obtereretur (ignaviissimum enim eum esse inter omnes digitos manifestum est) idcoque ad auri, & gemmarum incolumitatem aptior visus est, non enim exporrigi sine aliorum comitatu potest, unde minus attritui obnoxius est. Accedit lævæ manus opportunitas, in quam relegatus est, quod dextera otiosior esset, quæ plurimum negotiorum gerit. Ad quod facere videtur Gracchi in Mevium paulo ante citata invectiva, cum ait, *Considerate Quirites sinistram ejus, &c.* Postea autem, procedente tempore, & pollici proximum induere etiam deorum simulacris, vocaturque à Polluce l. 2. cap. 1. ejus digiti anulus κοχείαριον, sicuti ἀκρὶς, qui in minimo gestatur.

Galli

Galli vero, & Britanni medium, mox minimum noſtri Græcorum more, quod ſane convenientius inſtitutum fuiſſe, docet his verbis Clem. Alex. pædag. lib. 3. cap. 11. *Sed neque eſt à viris anulus in articulo ferendus, hoc enim eſt muliebre, ſed in parvo digito, atque adeo in extrema ejus parte eſt demittendus: ita enim erit manus proxime ad operandum expedita in iis, in quibus ea egemus, neque facile excidet ſigillum, quod majore articuli ligamento cuſtoditur.*

Ceterum de eo quidquid ſcriptores dicant, nam & hodie pro animi ſententia quiſque anulum geſtat. Sane & Epiſcopis anulum in eo digito, de quo priore loco diximus, geſtandum eſſe, tradit Iſid. lib. primo de Eccleſiaſticis cap. 19. & Imol. in cap. Clerici de vit. & honeſt. Cler. quanquam uſu receptum fuerit, ut à nonnullis ipſorum in indice manus dexteræ geſtetur; quod inſtitutum putarem tum Hebræorum Jer. 22. *Etiamſi Ieconias anulus fuerit in manu mea dextera, inde evellam illum*, tum etiam quod digitus index ſalutaris dicatur Suet. in Aug. cap. 80. Trebell. Poll. in vita M. Septimii: *ſalutaris* vero appellatur inquit Apul. lib. 1. & Martianus Capella de nuptiis Philologiæ, quia ſilentium indicat. Neque demum anulis digitos

Quo digito anulus Epiſcopo geſtandus.

Anuli à veteribus in auribus gestati, & propterea irrisi.

onerare antiquitati sat fuit, sed auribus quoque ipsis (ne novitium inventum putes) inserere non dubitarunt, quod tamen vitium non omnibus commune, sed Barbaris præcipuum maximeque Pœnis, qui propterea male apud Romanos audiebant, neque mediocriter probris afficiebantur. Argumento sunt, quæ Plautus in Pœn. act. 5. sc. 2. ait *Milphio viden', homines sarcinatos consequi; at ut opinor, digitos in manibus non habent.* AGORAS. *quid ita?* MILP. *quia incedunt cum anulatis auribus.* & Lucill. *Nequam est, aurum aures cujus vehementius ambit.* Unde etiam jocus Cic. in Afrum; *atqui aurem foratam habes.*

CAP. VI.

Quæ signa veterum in anulis.

POstquam anulorum primordia ab ipsius pene mundi origine ducta, præcipuamque de illis veterum curam longa satis adhuc animadversione perpendimus, reliquum est, ut quæ ad eorum usum maxime spectant, singulas sigillorum formas ac species prosequendo, quam strictissima oratione tractemus. Plurifariam autem signare antiquos consueviſſe constat. Nam primum nudæ dumtaxat literarum notæ habebantur, ut observavit Meurs.

Meurs. exercit. critic. part. 2. cap. 9. mox vero ſcalptura multiplex in uſu fuit, de qua Plin. lib. 33. cap. 1. Erat vero in ipſa materia non in gemmis, quas poſtea demum addere cœperunt, ut ex Macrob. lib. 7. cap. 13. patet. Succreſcente autem luxu, adſcitis gemmis, deſitæ literæ, ſculpturæ locus fuit, ſed, & hoc varie, nam Romanis quidem anulo tantum ſignatorio, incluſa ſcilicet gemma, ſculpturam vel imaginem aliquam habente ſignare conceſſum legitur ff. de liberis, & poſtu. Cujus ſane moris (ut de iis primo loco dicamus quorum jam mentionem inſtituimus) ſuperiorem Africanum principem fuiſſe tradit Alex. ab Alex. gen. dier. lib. 2. cap. 19. qui primus ſixi fragmentum, Sardonichen nimirum, auro incluſum, gemmæ loco geſtarit, quod ſola gemmarum ceram non auferret. Hodie tamen præter eam inciduntur & aliæ, Achates ſilicet, Onix, & Sarda; ſed & Adamas, cujus novitii princeps fuit Jacobus Treccia, qui primus (ut refert Antonius Guevar.) gentilitia ſtemmata Philippi Hiſpan. Regis ea gemma ſculpſit. Sed ante Africanum certe Joſephi anulum, quem à Pharaone Ægypti Rege dono acceperat, ſignum aliquod incluſum habuiſſe, fateri neceſſe eſt, crucis for-

Africanus pater prior gemmam ad ſignandum auro incluſam habuit.

Sardonix ceram non aufert.

Joſephi anulus.

tasse formam reddens, si Gretsero credimus lib. 4. cap. 8. de sancta cruce.

Sigillum Davidis quale.

Quin & David ipse Propheta Regius (quod Meursii observationi repugnare videtur) ut testatur Greg. Tholosan. lib. 6. de Rep. cap. 16. Leonem in anulo insculptum gestavit, quem postea etiam sequuti sunt reges Judæ, ut narrat Rabbi Abraham in Cabala historia cap. 1. & 17. eo fortasse consilio adducti, quod ipse Leonem necasset, vel quod significaret illud: *vicit Leo de tribu Iuda radix David.*

Augusti.

Verum reliqua jam antiquitatis signa persequamur. Plinius lib. 37. capite 1. & Suetonius in Octavio cap 40. ipsum adeo silentii amatorem fuisse, scribunt, ut Sphyngem in anulo insculptam gestarit, qua literas, ac diplomata signare solitus esset, eo fortasse intuitu, quo Ægyptii, qui in foribus templorum Diis dicatorum

Quid Sphynx

Sphynges pingebant, ut indicarent, divina dogmata, sacraque mysteria per ænigmatum nodos esse inviolabiliter custodienda. Erat siquidem Sphynx monstrum quoddam, teste Diod. Sic. lib. 40. & Plinio lib. 8. c. 21. cujus caput, & manus puellæ similitudinem, corpus canis, ala avis, vox hominis referebant; quamquam mox, mutato consilio, ad fugiendam detractionem eorum, qui ejus literas,

&

& edicta Sphynge signata accipientes, illa ænigmata afferre dicebant, Alexandri Magni imagine, per multum temporis est usus; nihil tamen refert; noviſſime poſtea ſua ipſius imagine uſum etiam eſſe inſculpta à Dioſcoride artifice ſculpendis gemmis peritiſſimo, quam in ſignando in uſum ſequentes principes, Galba excepto, traxere, qui ex Dione, & Cæl. lib. 6. cap. 29. Signatorium habuit anulum majoribus ſuis familiarem, *canem* ſcilicet *ſeſe è prora proclinantem.* Nonnulli Harpocratem, Ægyptioſque Deos inſculpſere; notaque eſt Pyrrhi gemma, in qua Apollo, & Muſæ cum ſuis inſignibus non effictæ ſed nativa ſpecie viſebantur, & anulus Syllæ, in quo, ut refert Valer. Max. lib. 8. c. 14. traditus Jugurtha inciſus erat. Celebratur quoque Mæcenatis rana, & enſifer Leo, ac trophæa Pompeji; nec non Seleuci fatalis anulus, in quo anchora efficta viſebatur, cujus imago in femore poſteris familiæ nativa apparuit. Quin & Auguſtus corpore maculoſo in modum & ordinem Cæleſtis urſæ notas habuit, & Lacedæmoniorum Regem Darium aquilæ ſigillo draconem unguibus tenentis uſum eſſe ſcribit Joſeph. de antiquit. Judaic. lib. 12. cap. 5. Plinius quoque junior Bythiniæ proconſul, quadrigas ſe in ſignum

Galbæ anulus.

Pyrrhi.

Syllæ.

Mæcenatis.

Pompeji.

Seleuci.

Darii.

Plinii.

adhibuisse, sæpius memorat. Proditumque memoriæ est, Macrianorum familiam hoc habuisse proprium, ut Alexandri magni imagines tam viri, quam fœminæ in anulis deferrent, & reliqua supellectile insculptas. Thucydid. etiam narrat, Persarum reges, Cyri imaginem in anulis, aliquando Darii, ad cujus equi hinnitum rex primus creatus esset, habuisse. Marcus vero Tullius de finibus Epicuri studiosos memorans; *Epicuri*, inquit, *imaginem non modo in tabulis, sed etiam in anulis* (Nonnius legit, *in anellis*) *habebant*. & apud Lucianum in Philopseude, Philocles gloriatur, quod anulum haberet sacrum, Pythii Apollinis imaginem exprimente sigillo, quocum (diabolo scilicet) ad libitum colloquebatur. Quemadmodum etiam plerique libidini dediti nudatos anulis eos habuere, quos amarent, vel amicas, ut ne si vellent quidem, possent affectionis, & amoris oblivisci, quod libido, & intemperantia in mentem perpetuo revocaret, ut etiam infra ostendam. Ejusmodi est, quod apud Plaut. Pseud. act. 1. scen. 1. legitur.

Macrianorum.

Persarum reges.

Epicuri imag. in anulis.

Tuam amicam video Calidore. CA. *ubi ea est, obsecro.*

Eccam in tabellis porrectam, in cera cubat.

Alii

Alii sub anulis venena clausere, sicut Demosthenes summus oratorum Græciæ, gemmasque mortis gratia habuere, Plin. lib. & cap. cit. Sic Execestus Phocensium Tyrannus, ut scribit Aristoteles in lib. de rep. Phocen. duos gestabat incantatos anulos, quibus inter se invicem sonitum obstrepentibus, rerum gerendarum tempus sciebat; licet postea dolo interfectus perierit, quamvis id prius sonitus significasset. His non absimiles fuisse, conjicio Apollonii Thyanæi anulos, quibus juxta numerum septem stellarum ab Iarcha donatus fuerat. Fertur enim eos instar numinis habuisse, ita ut in singulis diebus per vices variaret, maximorumque, ut Philostratus refert, secretorum particeps fieret. Notus est & Gygis, & Midæ anulus apud Platonem celebratissimi.

Venesicia, excantationes & venenæ in anulis.

Sed & præterea nonnulla Hieron. Card. sigilla celebrat, quæ ad multiplicia commoda, conferre, inepte existimat de rerum variet. lib. 16. cap 89. ubi vim aliquam sigillis inesse posse ex eo infert, quod dum sculpimus, aut fingimus, vis astri influat, recipiatque, unde metallica quidem sigilla plus virium ab astris consequi, lapidea vero plus sponte habere, superstitiose nimis existimat. Oportere enim, sentit, his convenire facultatis

Cardini, & aliorum inepiæ.

naturam, & materiæ, & ſyderis, tum hominis, qui eo uti velit; ut ſi velit anulum, aut ſigillum ad conciliandum, exempli gratia, ſomnum, eligendum eſſe lapidem ſomniferum, qualis eſt Hyacinthinus, aut Cryſtalli ſpecies cæruleo diſtincta. Figuram quoque in his, quæ ad affectus animi pertinent multum conferre ſcribit, veluti ad ſomnum inſculpendo hominem juxta rivum in ſylva dormientem; nam & intuitum, & memoriam imaginis profuturam, ait; quod ſi lapis viridis ſit, ipſo colore conducturum, aut ex aqueo & viridi commixtus, velut praſii ſpecies cum faſciis albis. Tradit etiam Trallianus Medicus, Herculis imaginem ſupine jacentis, leonemque ſtrangulantis anulo incluſam, digitoque geſtatam ad dolorem, ut vocant, colicum, amuletum eſſe peculiare. Necnon utiles mulieribus uterum geſtantibus eburneos anulos ad menſtrua, & defectiones animi, ſcribit Levinus Lemnius Suidam referens. Quæ omnia ſimpliciter ſuperſtitioſa, & falſiſſima ſimul, niſi alias ſigilli materiæ vim aliquam natura communicaverit. Cæterum de anulis hujuſmodi, præter ipſum etiam Cardanum, illuſtris apud Lucian. locus in Navig. extat. Nos reliqua proſequamur Africanus Scipio filius pa-

Africani filii anulus.

patris effigiem anulo insculpsit, quem postea Romani odio inducti, præteritorum malorum memores de manu ejus detraxerunt, ut scriptum reliquit Valer. Max. lib. 3. cap. 5. eo nimirum consilio, ne quid eo temere signaret. Cujus quoque rei intuitu, aliquos etiam didici capitali supplicio damnatos, quod Tyranni imaginem in anulo gestarent, & D. quidem Ambrosius lib. primo off. cap. 49. *Si Tyranni*, inquit, *imaginem aliquis habeat, nonne obnoxius est damnationi? Memini*, subdit, *me legisse quosdam capitali supplicio damnatos, quod Bruti, & Cassii interfectorum Cæsaris imagines in anulis asservarent.* Ex quo patet, quam infestæ priscis essent Tyrannorum imagines, quam invisa nominis memoria. At vero contra, qui bene merentium Icones anulis effictas latrinæ, aut lupanari admovisset, is sub Tiberio capitali noxæ subjiciebatur, ut diserte testatur Sen. lib. 3. de benef. cap. 26. Plin. lib. 33. cap. 3. & Suetonius in Tiberio. Amicorum præterea, aut majorum effigies anulis nonnullos gestasse, ostendit non uno loco Val. Max. & Ovid. lib. 1. Trist. eleg. 6.

Veti-tum Tyranni imaginem in anulis habere.

Hæc tibi, dissimulas, sentis tamen, optime, dici
In digito qui me ferſque referſque tuo;

Effi-

Effigiemque meam fulvo complexus in auro,
Cara relegati, quæ potes, ora vides.
Quæ quoties ſpectas, ſubeat tibi dicere forſan,
Quam procul à nobis Naſo ſodalis abeſt.

Quem etiam morem Martialis expreſſit, dum de anulo Stellæ ſui libro 4. epigr. 12. differit.

Res non difficilis mihi videtur
Vno cum digito, vel hoc, vel illo
Portet Stella meus decem puellas.

Quamvis enim non deſint, qui interpretantur, decem anulis digitum Stellæ oneratum, mihi tamen magis placet, gemmas decem uno anulo incluſas geſtaſſe, quarum ſingulæ puellæ imaginem redderent. Facit, huc quod Mardobæus de anulo Pyrrhi, de quo ſupra, canit.

Rex Pyrrhus digito geſtaſſe refertur Achatem,
Cujus plena novem ſignabat pagina Muſas,
Et ſtans in medio cytharam tangebat Apollo.
Naturæ, non artis opus, mirabile dictu.

Et ſi teſtes plures deſideras, lege Plinium libro 37. cap. 100. adi Solinum cap. 11. Alexandrum Neap. cap. 19. lib.

lib. 2. ubi mira de gemmis leges.

Alia alii in anulis signa habuere, quæ qui plenius discere velit, unius Abrahami Gorlæi non vulgaris eruditionis viri dactyliothecam adeat, ubi ad vivum ære diligentissime incisa veterum signacula visuntur. Nos vero satis jam externis exemplis, & prophanis gentilium ritibus declaratis, quæ olim Christianorum anulis signacula includi solerent, videamus. Et quidem Clem. Alex. Pædag. lib. 3. cap. 11. in hanc rem; *sint*, inquit; *nobis signacula columba, vel piscis, vel navis, quæ celeri cursu à vento fertur, vel lyra musica, qua usus est Polycrates, vel anchora nautica, quam insculpebat Seleucus, & si sit piscans aliquid, meminerit Apostoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum sunt imprimendæ facies, sed nec ensis vel arcus iis, qui pacem prosequuntur, nec pocula iis, qui sunt moderati, ac temperantes.* Hæc ille. A quo etiam consilio non abhorruit postea Atejus Capito Pontificii, priscique juris in primis peritus, nefas esse putans, Deorum formas anulis insculpi, ut Macrob. ait lib. 7. cap. 15. Porro (quod ad Christianorum etiam veterum anulos pertinet) nota hu,usmodi

Amicorum imagines anulis effictæ.

Qualia Christianorum signacula esse debeant.

in-

Pinsculptos quoque fuisse, testatur vir eruditissimus Cæsar Baron. tom. 1. ad ann. Christi 57. num. 52. Ex iis, quos è ruderibus refossos viderat, quam sancte Christi nomen continere arbitratur. Quoniam vero frequens notæ hujusce usus multis etiam ante seculis occurrit, quam humanam carnem Christus indueret, ac proinde tam sanctum nomen innotesceret, eo fit, ut in variis de notæ intelligentia viri docti discedant sententias: sunt enim, qui stellulam illam in ethnicorum numismatis expressam, immortalitatis notam esse, & divinitatis putent, *depicta Ægyptii stella Deum significant*, inquit Orcus Apollo lib. 2. Hieroglyphicor. capite 1. & lib. 1. cap. 13. Alii sunt, qui significari putent χρηστήριον. Nec desunt, qui, χρησαορός, quod Jovis apud Cares epitheton; sunt etiam quibus magis placeat χρίμας, qui inter Principes Athenienſium reperitur. Quidam cautius, & verius ajunt, esse notam nominis ignoti, cujus primæ literæ X & P. moris enim fuisse nomina propria Præfectorum rei, seu monetæ in nummis exprimere. Sunt præterea, qui signa hæc officinæ, vel magistratus notas esse, existiment. Hieronymus vero Borsærius, cuius me forte urbanitas ad id etiam obiter scri-

Stellula hieroglyphicum immortalitatis.

ſcribendum appulit, juvenis haud mediocriter antiquitatis gnarus, præter alias rationes quibus pacem ea nota veteres indicaſſe oſtendit (pro quibus ipſum conſule, ad Theatri Inſubricæ Magnificentiæ tomum tertium l. 23.) Probi etiam Auguſti numiſmate adductus, in quo ſimilis omnino nota efficta conſpicitur, pacis potius, quam Chriſti nomen indicari poſſe, putat, nullam Ethnico Imperatori, & à Chriſtiana religione quam maxime alieno Chriſti nominis notitiam adſcribens. Ego ingenioſas haſce doctiſſimorum virorum ſententias primum commendarim, deinde, licet, præter conjecturas, quod adferam, ſicut & alii, non habeam, arbitror tamen cum Jacobo Gretſero libro ſecundo de S. Cruce cap. 38. nota illa in antiquis numiſmatibus vocem χρηστὸς ſignari, hoc eſt *bonus*, *benignus*, *clemens*: quemadmodum etiam Ptolomæi nummum, de quo idem Gretſerus cit. loco, Principis bonitatem ea nota indicaſſe perſpicuum ex eo eſt, quod aliis etiam honorificis cognomentis à virtutibus ipſis deſumptis *Ptolomæus* videlicet, *Euergetes*, *Philadelphus*, & *Philometer* dictus eſt. Non igitur mirum, ſi & Chriſti cognomentum ipſe, aliiſque diverſo tamen ſenſu ſibi vendicarint, quod, ut inquit Tertull. apol. cap.

Probus imperator gentilis.

cap. 3. de ſuavitate, vel benignitate compoſitum eſt. Neque vero præterea, multum officeret, etiamſi Probo nominis ſalvatoris noſtri indicem fuiſſe, aſſereremus, quando & à ſucceſſoribus Conſtantini, Magnetio, Decentio, & aliis tyrannis alioqui uſurpatam hujuſmodi notam videamus, eaque ſua ipſorum labara exornare conſueverint, quod multis locis apud eundem Gretſerum apertiſſimum fit.

Anuli Chriſtianorum cruce inſigniti.

Quin etiam Crucis tantum ſigno, aliquando Chriſtianorum anulos inſignitos fuiſſe, exemplum habemus in anulo ferreo ſanctæ Macrinæ, cujus meminit Gregor. Nyſſ. in vita ejuſdem. Addam & illud: ſanctorum quoque virorum imagines effingi ſolitas, ut D. Chyſoſt. in oratione in laudem Meletæ de Antiochenis auctor eſt. Neque etiam ſanctiſſimis veteris Eccleſiæ Patribus peculiaria quædam ſignacula defuiſſe, comperio, quibus quas publice darent literas communirent, quod tam ex præfatione Clodovei in principio Concilii Aurelian. 1. expreſſum habetur, tum etiam ex D. Auguſtini epiſtol. ad Victorinum, quæ 217. eſt in ordine, ubi ad finem, *Hanc*, inquit, *epiſtolam ſignatam miſi anulo, qui exprimit faciem hominis attendentis in latus.* Aliud præterea anulorum genus ad obſignandum familiare anti-

Imagines SS. virorum in anulis effictæ.

D. Auguſtini ſignaculum quale fuerit.

antiquis extitiſſe, didici ex iis Bataviæ, & inferioris Germaniæ antiquitatibus, quæ nuper ex Petri Scriverii muſæo prodierunt, inter quas anulata clavis viſitur, ad duplicem ſcilicet uſum, ſignandi, aperiendique, quam libuit ſculptoris manu fideliter expreſſam hoc loco apponere. Ejuſmodi vero

Claves anulares ad duplicem uſum veteres habuerunt.



claves,

claves, sive anulos complures in ruinis arcis Britannicæ, & alibi erutos, videre est apud antiquarios forma minutissimi digiti. Vir summus Justus Lipsius horum maximam copiam fuisse veteribus, existimat.

CAP. VII.

De alia signorum specie, sive de iis, quæ vulgo sigilla appellantur.

Maxima anulorum copia antiquis.

PRetiosorum lapillorum, gemmarumque discrimini, quod inter signandum pati viderentur, ab aliis acrioris judicii viris paulatim sapientissime obviam itum est, intermisso namque anulorum usu, quorum per id temporis ad eum usum frequentissimus adeo fuerat, ut Annibal, clade Romanis ad Cannas illata, ultra modium anulorum aureorum, quos mortuorum digitis detraxerat, Carthaginem miserit, ut Liv. tradit dec. 3. lib. 3. aureas pallas nonnulli, nonnulli etiam ferrea signacula ad signandum aptiora existimarunt. Quamquam, & ante anulorum usum, ligna ad obsignandum veteres adhibuisse, Græco vocabulo, Θρηπίδιτα appellata infra demonstrabimus. Ac de aureis quidem pallis Suetonius in vita Claud. Cæs. & Budæus lib. 3. de asse, sub ejusdem principatu auro ipso non gemma signa-

Pallæ aureæ ad signandum adhiberi cœptæ.

Lignea sigilla primo omnium adhibita à vermibus exesa.

signare consueviſſe, ſcribunt, quod violare ſignis gemmas, nefas antiqui ducerent. Quomodo Commodus ipſe Imperator palla aurea, impreſſo ei Amazoniæ ſigno, ſignaſſe, dicitur, donec ſecutis temporibus paſſim id inſigne appeti cœptum eſt. Porro de ſignaculis, quæ nos hodie ſigilla parum Latine nominamus, inter alia ſcriptorum loca, illuſtris apud Lycophronem in Caſſan. is extat, cujus etiam cap. primo meminimus. *Commodi Imperatoris ſigillum.*

Reliqua porro vermicalatum non tangens ædes
Sigillum ſervábit.

Ex qua loquendi formula id plane deducitur, ſolitos olim veteres pro ſigillis, vermiculatis lignis, à vermibus ſcilicet exeſis uti, magnitudinis minutiſſimi digiti, ut expreſſit Lipſ. ad Tacit. Nec deſunt graviſſimorum ſcriptorum de eo teſtimonia, unde hæc habet Euſtath. Odyſſ. prima. Θριπήδεστα, ξυλήφια τὰ ὑπὸ θριπῶν βεβρωμένα οἷς ἐχρῶντο οἱ σφόδρα οἰκονομέλοι ἀντὶ γλυπτῶν σφραγίδων. Hoc eſt, *Thripideſta ſunt parva ligna exeſa à vermibus, quibus utebantur, qui rem familiarem diligenter cuſtodiebant pro ſignis ſculptis.* Suidas vero Θριπήδεστα τὰ ξύλα ὑπὸ θριπῶν βεβρωμένα οἷς ἐσφραγίζοντο. Id eſt, *Thripideſta ſunt ligna à vermibus exeſa, quibus utebantur*

Thripideſta quid ſint.

Lignis à vermibus exeſis principio veteres ad obſignandum uſi.

tur ad obsignandum. Etymologici auctor Θριπιδέστα τὰ ὑπὸ τῶν θριπῶν διαβεβρωμένα ξύλα οἷς ἀντὶ σφραγίδος ἐχρῶντο. Id est, *Thripidesta sunt ligna à vermibus exesa, quibus pro sigillo utebantur.* Quam consuetudinem apud Aristophanem etiam observare licet ἠσυχοφοείᾳ, quem consule.

Sed jam tempus esse puto, ut à priscis illis ad ea, quæ proxime ætatem nostram sunt, transeamus. Evanuit sensim cum sigillorum hujusmodi, tum etiam anulorum usus, & ferreis argenteisque à nostris locus tantum datus est, in quibus sua quisque gentilitia stemmata, insigniave ad obsignandum efficta servat. Cæterum quod similium quoque sigillorum varias à scriptoribus passim formas, easque insuetas summo studio observari video, tum vero præcipue quibus Germani Cæsares ad tempus usi sunt, commodius apud Lazium, & Bonfinium de rebus Hungaricis quisque observare poterit.

Imperatoris Tartarorum signum quale.

Joannes vero Bohemus lib. secundo de Asia refert Tartarorum Imperatorem sigillum habere cum hac inscriptione. *Deus in cælo, & Chuichuth Cham in terra, Dei fortitudo, & omnium hominum Imperator.* Verum hoc loco ad hominis impudentissimi arrogantiam evulgandam interserere placet

cet Eraſmi nefarii ſigillum, quod, Mureto auctore, in notis ad orat. tertiam Cic. in Catil. termini notam reddebat, additis duabus vocibus, *Nulli cedo.* Sed hæc ſatis, qui plura ejuſmodi deſiderat, hiſtoricos adeat. *Eraſmi ſigillum.*

Cap. VIII.

De fide anulis, ſive ſigillis habita.

TAntum præterea anulus ab antiquis tributum fuit, ut cum illos fidei ſymbola haberent, & ratum quidquid iis ſignatum foret certumque arbitrarentur, eo factum eſt ut cum literas ab aliquo perferri contigiſſet, appoſitam continuo ſigilli notam inſpicere diligenter ſolerent, moxque ſcribentis ſigno cognito, cui tum præcipue mori locus erat, plenam tabellis etiamſi alioqui aliena manu exaratis fidem habebant, neque ſe poſtea ullo modo decipi poſſe credebant, id quod ex Plauti Pſeud. præcipue intelligitur, ubi Sycophanta ita Ballionem alloquitur. *Signa epiſtolarum diligenter inſpici ſolita antequam legerentur.*

Accipe, hem cognoſce ſignum

Et mox:

Miles Lenoni Ballioni epiſtolam
Conſcriptam mittit Polimachæro placidus
Imaginem obſervatam, quæ inter nos duo

Con-

Convenit olim. SY. *Symbolum est in epistola*

BAL. *Video, & cognosco signum.*

Et Bacchid. etiam eandem consuetudinem memorat, ubi Nicobulo Tabellas reddit Chrysalus à filio.

Nunc hasce tabellas ferre me jussit;
Orabat, ut quod isthic esset scriptum, fieret.

NICOB. *Cedo.* CHRYS. *nosce signum.*
NIC. *novi.*

Quo etiam illud Xenophontis spectat lib. 5. de rebus Græcorum, cum refert Tiribazum antequam literas Regis Persarum legeret, iis qui audituri essent prius signa eadem de causa ostendisse.

Prius autem signa inspicere solebant, quod scilicet cum lino, aperta epistola, frangerentur.

Crispini industria contra Annibalem Marcelli anulo jam potitum.

Propterea enim (ut apud Livium legimus Hist. lib. 27.) cum Marcelli Consulis anulo, & corpore Annibal potitus esset, metuens Crispinus collega, ne ejus signi errore aliquis dolus necteretur à Pœno, circa Civitates proximas nuncios miserat, qui & occisum collegam esse, & anulo ejus hostem potitum, ne quibus literis crederent Marcelli nomine compositis. Neque præterea eundem ipsum morem perspicue minus ex Propertio colligere est, qui pro amissis pugillaribus

bus amatoriis hanc querimoniam facit Eleg. 22. lib. 3.

Has quondam noſtris manibus detriverat uſus,
Qui non ſignatas juſſit habere fidem.
Non illas fixum charas effecerat aurum,
Vulgari buxo ſordida cera fuit.
Qualeſcunque mihi ſemper manſere fideles.

Quem locum Beroaldus explicans, *uſus*, inquit, *mearum manuum attriverat tabellas, ut etiam non obſignatæ cognoſcibiles forent, ſignum enim fidem faciebat à quo literæ darentur.* Sed quoniam forte in pugillarium mentionem incidimus, valde alienum ab inſtituto futurum minime arbitror, quid pugillares, ſive pugillaria eſſent in medium afferre. Erant igitur pugillares tabellæ ceratæ triangularis formæ, in quibus ſcribebatur, quarum uſus fuit ante tempora Trojana, nam Homerus Bellerophonti codicillos datos, non epiſtolas ſcribit, inde tabellarios vocaverunt earum portitores, ſcribebant enim in dedolatis è ligno codicillis, & à libris arborum, hoc eſt corticibus librarios ſcriptores. Porro pugillares pluribus apud veteres nominibus diſtinguebantur, alii enim quincuplices, alii duplices, tri-

Signum à quo mitteretur epiſtola fidem faciebat.

Quid pugillares eſſent, & quando illorum uſus.

Pugillares multiplices.

plices alii nominabantur, iique aut eborei, aut citrei, aut etiam membranei dicti, qui ex citro, ebore, & membranis conficiebantur. Quamquam raro ab ipsis in membranis scriptitatum, nec nisi Chartæ & tabellarum inopia, argumento sunt, quæ D. Augustinus epistol. 113. ad Romanianum scribens habet, ait enim, *Non hæc epistola sic inopiam chartæ indicat, ut membranas saltem abundare testetur. Tabellas eburneas, quas habeo, avunculo tuo cum literis misi.*

Frequentius in chartis, & tabellis, quam in membranis scriptitatum temporibus D. Augustini.

Redeo nunc unde digressus eram. Ausonius hujusce quoque consuetudinis meminisse visus est. Epistola 22. ad Paulinum, cum ait: *Hoc quo facilius impetrarem, aut quo majorem verereris molestiam si negares, concinnatam jambis, signatamque epistolam misi, ne subornatum diceres tabellarium, si ad te sine signi fide veniret.*

Inter epistolæ signum inspiciendum Vitalianus interficitur.

Apertissimum vero hujus rei testimonium affert Herodot. Alex. hist. lib. 7. in Maximino, & Jul. Capitol. in Gordia. cum Vitaliani prætorianorum militum præsidis Maximini Imperatoris necem memorant. Quæstorem Gordianus miserat adolescentem corpore validum, & ad omne discrimen paratissimum cum fictis literis, & quasi Maximini anulo obsignatis, per quas arcana, occultaque negotia signi-

significare Imperatoribus mos erat, eum ante lucem urbem cum militibus intrare, & dum adhuc Vitalianus jus redderet, accedere ad eum intra cellulam, ubi res secretas ad principem suum pertinentes scrutari consueverat, habere se ad eum literas à Maximino, addens, velle etiam, remotis arbitris, de rebus ad securitatem Imperatoris spectantibus cum illo colloqui, mandataque Principis exponere simulans. Dein (Herodiani verba sunt) *signis agnoscendis occupatum*, dum se aliquid dicturum, simularet, pugione, quem in sinu occultum haberet derepente confoderet. Quæ scilicet omnia ex sententia successerunt, etenim ante lucem, quo tempore prodire illi mos fuerat, invenit hominem pene solum, paucis tantum circumstantibus, quippe alii nondum venerant, alii salutato abierant priusquam diluceseeret. Igitur vacante illo, ac paucis dumtaxat ante cellulam inventis, facilè intromissus est, porrectisque pugillaribus *comtemplantem eum signa diligentius* (Herodiani verba sunt) *prolato pugione confodit*. Summam igitur habitam olim signis fidem cum allata exempla, tum miserrimus etiam Atistii Petronis interitus apertissime comprobavit. Cum enim (ut scribit Dionys. Halic. antiq. Rom. lib. 3.) optaret *Petronis interitus.*

Æstus Sexti Tarquinii in Gabiniis prodendis recenſetur.

Sextus natorum Tarquinii maximus præcipuos Gabinorum de Patris conſilio funditus perdere, quo facilius Gabinios, quibus tum æſtu maximo, ſimulata ſcilicet in patrem ſævitia præerat, in ejus poteſtatem redigeret, advocata concione, paratum ſe, ajebat, imperium deponere, aufugereque priuſquam à proditore comprehenſus patri dederetur ſimulque fictis lachrymis, quaſi vere in extremo vitæ diſcrimine eſſet, concitata jam multitudine, proditorem ſtudioſe Antiſtium nominavit. Is, ut erat animi integerrimi à miſſis arbitris inquiſitionem domi ſuæ fieri libenter paſſus eſt, cum Sexto interim in concione manens, donec perſcrutatores redirent. Verum jam ille corruptos pecunia ejus ſervos ſubornaverat, qui Tarquinii ſigillo obſignatas literas domi deponerent, quo facto cum poſtea ab inquiſitoribus in concionem epiſtolæ variæ allatæ fuiſſent, tum ea ad manus venit, quam Antiſtio inſcriptam Sextus è patris ſignaculo agnoſcere dictitans ſcribæ publico legendam tradidit. Continebantur in ea mandata, ut vivum omnino ſi poſſet filium ſibi traderet; ſin minus caput ſaltem abſciſum. Atque ita innocentiſſimi Petronis exitium haud fruſtra molitus, lapidibus obrutum vidit. Sed neque ab hoc

Signum epiſtolæ dolo appoſitum Petronem perdit inſontem.

hoc loco multum abeſſe video, quod eſt apud Am. Marcel. in Conſtantio, & Juliano de principe quodam urbaniſſimo, ac verecundiſſimo, cui Marci nomen erat, qui, cum ad imperiale culmen in Syria Caſſius evectus eſſet, epiſtolarum faſcem ab eo ad conſcios miſſum, perlatore capto ſibi oblatum illico ſignatum exuri præcepit, ne inſidiatore per ſignum cognito, invitus aliquem habere poſſet offenſum. Cujus etiam conſuetudinis fidem aſtruit idem Halicarnaſ. lib. 5. cum inſigne Bruti Conſulis factum recenſet, qui tribunali aſcenſo, ut conjuratorum epiſtolas audiret, ubi filiorum literas *ex utriuſque ſigillo* primum, deinde poſt *avulſa ſignacnla* è manu etiam agnovit, à ſcriba recitari juſſit omnibus audientibus, mox data filiis, ſi vellent, dicendi copia, cum neuter impudenter negare auderet, paulum cunctatus ſurrexit, indictoque per præconem ſilentio, capitalem ſententiam in flentes filios protulit.

Marcus ſignum epiſtolæ exurit ne proditorem invitus cognoſcat.

At vero & apud Ciceronem morem hunc obſervare licet, ſiquidem in oratione pro Flacco ait, *neque enim teſtis ipſe ſigno inſpecto falſum nos proferre dixit*, & in Catilinam, orat. 3. *Literæ quæcunque erant in eo comitatu integrus ſignis prætoribus traduntur*, & infra, *tabellas perferre juſſimus quæ à*

quoque dicebantur datæ; primum ostendimus Cethego, signum cognovit, nos linum incidimus, legimus. & infra, *introductus Statilius cognovit manum, & signum. Tum ostendi tabellas Lentulo, & quæsivi cognoscere tne signum, annuit. est vero inquam signum notum imago avi tui, &c.* Sed & Salustius in iisdem rebus recensendis. *igitur*, inquit, *perlectis literis, cum prius omnes signa sua cognovissent, &c.* quod, ea de causa factum, opinor, ne postea ii contra quos facerent, perfugii aliquid haberent, dicerentque fictas esse; sed & cum in Verrem invehit, solertiam ejusdem versutissimam indicans in deprædandis signaculis, inquit, *casu iste signum animadvertit in cretula, exquisivit unde esset, &c.* Hinc idem etiam Plautus in Bacchid. *æquum*, ait, *est tabellas consignatis credere.* Et in Trin. act. 3. Sc. 3. hujusce consuetudinis testimonium profert, ubi Calicles senex Megaronidem fictas exarare literas studentem, commonefacit, fore ut ex anuli signo impostura, & falsitas innotescat, cum ait;

Verres avidissimus anulorum.

— *Ferat epistolas*
Duas: eas nos consignemus, quasi à patre.

Et infra,

Sed epistolas quando obsignatas afferret.

Si-

Siquidem obſignatas attulerit epiſtolas,
Nonne arbitraris eum adoleſcentem anuli
Paterni ſignum noviſſe? —

Et mox:

Iam ſi obſignatas non ferret, dici hoc poteſt;
Apud portitorem eas reſignatas ſibi,
Inſpectaſque eſſe —

Et ſubdit paulo infra,

Nihil eſt de ſigno quod vereare; me vide.

Ex quo etiam illud colligi poteſt, literas peregre latas portitoribus commiſſas, utpote, qui eas deinde curarent, omnibus noti, ſicuti & tabellæ amatoriæ à ſolis fœminis ſinu geſtabantur, ut auctor eſt Achil. Stat. ad Tibull. lib. ſecundo eleg. 6. & Ovid. de arte amand. lib. 3.

Tabellæ amatoriæ ſinu à fœminis perferri ſolitæ.

Scilicet obſtabit cuſtos, ne ſcribere poſſes,
Sumendæ detur cum tibi tempus aquæ?
Conſcia cum poſſit ſcriptas portare tabellas,
Quas tegat in tepido faſcia lata ſinu.

At è diverticulo in viam redeo; Curtiumque ejus moris conſcium profero, ut ſedulam veterum operam indicem ſigillis agnoſcendis adhibitam: *Siſenni Perſæ*, inquit, *Cretenſis miles*

obſignatam anulo epiſtolam, cujus ſignum haud ſane notum erat tradidit, quæ priuſquam ei redderetur in manus Alexandri pervenerat, lectamque eam ignoti anuli ſigillo impreſſo, Siſenni dari juſſerat, ad fidem Barbari æſtimandam. Aliud præterea ejus generis teſtimonium. Tacit. de Petronio Arbitro in hæc verba facit. *Ne codicillis quidem Neronem adulatus eſt, ſed flagitia Principis ſub nominibus exoletorum, fœminarumque & novitate cujuſque ſtupri perſcripſit, atque obſignata miſit Neroni, fregitque anulum, ne mox uſui eſſet ad faciunda pericula.* Ex quo Petronii metu, ſummam tunc anulis fidem habitam, diſcimus.

Sigilla ipſa id ad fidem rei faciendam tranſmitti ſolita.

Ex his, quæ diximus facile conſtare poteſt, quantum ſignis tribuere receptum eſſet, utpote quibus tum animi conſilia, tum fortunæ bona credere conſueverint. Verum enimvero illud quoque dictis libet addere, quod obſervatione digniſſimum mihi viſum eſt, ſigilla nonnumquam ipſa (præterquam quod epiſtolis, ſive tabellis imprimerentur) tranſmittere veteres ad invicem conſueviſſe, cum aut aliquem arcerſerent, aut vera eſſe, quæ per nuncios mandaſſent indicare vellent. Perſpicuum illud eſt ex Athenæo Deipnoſoph. lib. 13. ubi Laïdem Corinthiam ab amatore quodam per ſi-

Lais Corinthia per ſigillum ab Amatore advocatur.

gilli

gilli transmissionem advocatam ostendit. *Sigillo*, inquit, *misso Laïdem Corinthiam amator quidam ad se venire jussit, non possum inquit illa, lutum est.* quam etiam consuetudinem tangere visus est Plutarchus in libello de curiositate his verbis: *Eadem de causa etiam omnis fides curioso derogatur, nam servis, & peregrinis facilius credimus epistolas, atque literas, & sigilla, quam amicis, & familiaribus curiosis.* Ex quo sane more comparatum esse crediderim ut prisci jam Ungariæ Reges, ac judices (nam alibi consuetudinem hanc viguisse affirmare non ausim) cum primum ex subditis quempiam quacumque ratione vellent advocare, id per solam proprii sigilli missionem præstarent. Fidem vero huic observationi astruunt decreta nonnulla Regni illius, cum à D Ladislao per id temporis rege sancita, tum etiam à Colomano Belæ primi nepote, quæ ideo ad verbum referenda censui quod instituto capitis non mediocriter inserviant. Leguntur autem apud D. Ladislaum infra scripta capita libro scilicet primo cap. 42. quod inscribitur de spretu sigilli Regii, aut judicis. *Si quis autem regis sigillum super aliquem projiciens, & ipse in curiam venire neglexerit, rationem perdat, & quinque pensas persolvat, &c.*

Ungarię Reges per sigillum vocant.

Decreta Regum Ungariæ de transmittendo sigillo.

Et lib. 2. cap. 25. ita cavetur. *Possit judex sigillum suum mittere super quoscunque exceptis Presbyteris, & Clericis, nec non & Comitibus, si quis autem, &c.* Et cap. 26. ejusdem libri. *Si quis sigillum judicis negligens, ad causam non venerit, primo quinque pensis puniatur, si secundo, totidem, si tertio, rationem perdat, & tonsus reddatur pro debito.* Ad hæc Colomani decreta accedunt; & primo capitulo de citationibus Presbyterorum hæc habet: *Episcoporum, & Comitum cappellani, vel reliquorum per sigillum Episcopi ad causandum cogantur.* Et capitulo de citationibus Presbyterorum, & laïcorum contra sese. *Si vero Clericus habet causam cum Laico, per Iudicis sigillum Laicus cogatur, si vero Laicus habet causam cum Clerico, per sigillum Episcopi Clericus cogatur.* Et capitulo, quod nullus secularis Judex Clerico det sigillum. *Nullum secularis Iudex præsumat sigillum Clerico dare.* Et demum capitulo quod nemo sine sigillis tributariorum extra Hungariam ire audeat. *Egressuri de Hungaria à Theoloniariis tam regis, quam comitis, qui exitus teneat, sigillum quærant pro Theoloniariis, quod Theolonitarius regis ab una parte cum sigillo comprimat, ab altera parte Theoloniarius figuram Comitis sui concludat: si quis autem tentaverit sine tali sigillo egredi, &c.*

Huc

Huc quoque spectat, quod Ludovicus Romanus in singulari suo 643. affert, ubi vult, sigilli ostensionem probationem inducere de mandato, ita quod, quis ostendens alterius sigillum posset tanquam procurator, admitti. Ex his patet, quo loco antiquis anuli, & sigilla fuerint; & quam promiscue fidissimis nuntiis, certissimisque voluntatis suæ interpretibus uterentur. Sed jam ad reliqua transeamus.

Cap. IX.

Vetus epistolarum obsignandarum formula, resignandi artes, & usus. figmenta varia contra resignantes excogitata, plumbi usus. Diversi colores ceræ, & funiculi varii ad signandum, Romanis Pontific. familiaria. Et sinistra dextrâ potior.

OPortunus hic quærendi locus se offert, quonam præcipue tempore literas antiqui signare instituerint; opportunior vero ex dictis respondendi, sigilli quidem inventum, atque usum innumeris abhinc seculis extitisse: at vero quis eo prior, aut ad tabellas, aut alia quæque obsignanda usus fuerit, haud facile constare posse, alibi demonstravimus. Cæterum, quod ad epistolarum consignationem attinet, veteres primum omnium, cretam ad signandum adhi-

Creta veteres primum ad obsignandum usi.

buisse, haud dubitarim. Auctor est Herodotus Euterpe, ubi Ægyptiorum ritus circa sacrificia referens, hæc habet: *Inspicit & bovis caudæ pilos numquid eos habeat secundum naturam procreatos. Eum si fuerit his omnibus mundus, notat, alligato cornibus byblo, deinde applicita creta sigillari anulo impressa, abducitur: nam immolanti eo sigillo non notatam, pœna mortis sancita est, &c.* & Lucian. in Pseud: quem mox referam, libellos & epistolas *argilla* consignari solitas, non uno loco indicat. Quod ipsam etiam Cicero in Verrem lib. 4. ac secunda apertissime meminit, his verbis: *Cum Valentino ejus interpreti epistola Agraganto allata esset, casu signum iste animadvertit in cretula; placuit ei; exquisivit unde esset, &c.* & Servius ad 6. Æneidos Virg. de Sybilla quædam loquens ait: *Quod cum cives ejus agnovissent, sive invidia, sive miseratione commoti; ei epistolam miserunt creta antiquo more signatam.* Maxime vero ad hujusmodi usum nobilis extitit creta illa Asiatica, de qua Cicero in oratione pro Flacco: *Hæc, quæ est à nobis prolata laudatio obsignata erat creta illa Asiatica, quæ fere est omnibus nota nobis, qua utuntur omnes, non modo in publicis, sed etiam in privatis literis, quas quotidie mitti videmus à*

pu-

publicanis sæpe unicuique nostrûm. Cujus consuetudinis argumento amoliri crimen, à L. Flacco, quem defendebat, conatus est, quod scriptum testimonium, quo reus valde premebatur, ceram haberet, non cretam, unde illud fictum, & adulterinum esse, argumentabatur.

Cretæ, & ceræ usus promiscuus.

Fateor tamen, & procedente tempore, tum cretæ, tum ceræ usum promiscuum fuisse, quod apud Ciceronem ipsum animadvertere est citato loco, ubi subdit: *Nostra igitur laudatio consignata creta est, in illo autem testimonio, quod accusatori, dicitur, datum, ceram esse vidimus.*

Cera cum linu usus ad obsignandum.

Ceterum, cum animadvertere paulatim cœpissent prisci, quale paterentur epistolæ discrimen, mutato jam consilio, cretaque relicta, quod modicæ nimium tenacitatis esset, ceram insequentibus temporibus assiduo usu retinuere, additis insuper funiculis, quibus majoris securitatis gratia constringerentur. Quam quidem signandi formulam etiamnum ætate hac nostra usu indies, præsertim vero à mercatoribus retentam videmus, & à Polonis universim, qui eas literas sic obsignatas resticulas ex eo appellant, quod restibus constringantur; qua de re Mart. Crom. Polon. histor. libro 16.

Porro

Porro consuetudinis hujus non uno duntaxat loco Plautus meminit, & apertissime Bacchid. act. 4. scen. 4. illic enim Chrysalus ad scribendam, atque obsignandam epistolam stylum, ceram, tabellas, & linum sibi adferri jubet; dum ait:

Cedo, tu ceram, ac linum actutum
Age obliga, obsigna cito.

Stylus quid. Erat autem Stylus (dicam obiter) quo in ceratis tabellis literas faciebant, vel pangebant potius; cujus adeo Styli cuspis (id quod à Turnebo eruditissimo viro observatum est) qua æquor illud cereum inarabatur, acumen cluebat, unde & M. Tullius, *omnia sub acumen Styli subeant, necesse est*: altera pars retusa erat, qua veluti transverso calamo inducebant, eradebantque obliterantes, si quæ minus ex sententia videbantur, ipsamque ceram denuo complanabant, sartam (uti prius) æquabilemque concinnantes ad novam scripturam supponendam, quasi succidaneam, veteri, ac fugitiva illa expuncta.

Linum vero petit Chrysalus, quo tabellas exaratas obligabant. unde apud Curtium: *Parmenion vinculum epistolæ solvens, quidnam rex ageret requirebat.* Lucian. in Timone: *Posteaquam autem signum ablatum fuerit, linum incisum, & tabulæ apertæ, declara-*

claratus novus meus dominus. Quem morem, festiviſſime omnium, & eleganter Plutarchus teſtatur in libello de curioſit. ubi curioſos his verbis admonet: *Quare ad hoc etiam adſueſcendum eſt, ut allatam epiſtolam non ſtatim, neque feſtinanter ſolvas, quod multi faciunt, manibus cunctantibus, dentes vinculis injicientes, eaque morſu rumpentes*, & Plaut. Pſeud. act. 1. ſc. 1. *Epiſtolam ſtatim reſignanda.*

Phœnicium Calidoro amatori ſuo
Per ceram, & linum, literaſque interpretes
Salutem mittit, & ſalutem à te expetit.

Cicero quoque oratione tertia in Catilin. ejus moris meminit, cum ait, *ſignum cognovit, nos linum incidimus; legimus.* Verum de lini uſu pauca repetam ſequenti capite. Interea quod de ipſa veterum obſignandi formula tradit Rorbertus Titius, Locorum controverſorum lib. 10. cap. 14. id ſcito totum à nobis firmiter retineri; complicatam namque epiſtolam lino vinciebant, mox cera imponebatur, & anulus, ſive ſigillum imprimebatur, quod (ut ſcias, non ita craſſo judicio fuiſſe antiquos, ac proinde pleraſque conſuetudinum noſtrarum ab iis promanaſſe) quo facilius ceræ imprimeretur, ſaliva prius (nobis etiam uſitatiſſimum) humectabant. Unde *Mos humectandi ſigillum ſaliva.*

apud

apud Ovidium Amorum ſecundo elegi. 15.

Idem ego, ut arcanas poſſim ſignare tabellas,
Neve tenax ceram ſiccaque gemma trahat.

Et Juvenalis Satyra prima.

Signator falſo, qui ſe lautum, atque beatum
Exiguis tabulis, & gemma fecerat uda.

Sed neque antiquis defuere modo, quibus reſignarentur epiſtolæ (ut de eo pauca etiam ſubjiciamus) quos ex uno Luciani loco in Pſeud. & Cælio Calcagnino libello de oraculis diſcere eſt, ut literarum reſignandarum morem nefarium videas antiquis quoque familiarem fuiſſe. Hos, etſi doloſiſſimi præſtigiatoris aſtus excogitarit, tamen quod inſtituto noſtro ob antiquitatem, quam maximam redolent, fidem aſtruant, non erit inutile recenſere. Fuit is Alexander quidam Abonotichita Apollonii Thyanei ſceleſtiſſimi alumnus, qui ſe Podalyrii filium faciens, ac pro vate venditans, ſtolidos Calcedonas in hunc modum callidiſſime decipiebat. *Iuſſerat, ut quiſque illorum* (Luciani verba ſunt) *quod maxime à Deo de rebus propriis diſcere vellet, id in libello conſcriberet, eumque funiculis obvinctum cera, argillave, ſimili*

Antiquis etiam mos reſignandi epiſtolas familiaris.

ſimili re quapiam obſignaret: Severo, acceptis libellis, cum ſubiſſet adyta, apparatæ jam cortinæ, ordine per præconem eos evocaturum, qui tradidiſſent, dehinc, ubi de ſingulis eſſet edoctus à Deo, libellos redditurum, ita ut traditi fuerant, obſignatos, ſubſcripto illis reſponſo pro cujuſque argumento, Deo nimirum reſpondente quacunque de re, quis eſſet ſciſcitatus: varias enim commentatus erat artes, quibus ſigna tollerentur; quæ quiſque ſciſcitabatur ea legebat, atque ita, quæ videbantur, ad interrogata reſpondebat. Plurimus namque hic inter illos erat ſermo, qui tandem ſcire potuiſſet ea, quæ à quoquam tradebantur, ſane quam diligentiſſime obſignata, ſignis imitatu neutiquam facilibus, niſi revera Deus eſſet quiſpiam, cui cuncta eſſent perſpicua. Sed jam quibus artibus effecerit videamus. *Primam ſic rationem habebat* (ſubdit ſtatim Lucianus idem) *eam ceræ partem, quæ poſt ſignum hærebat, acu candefacta liquefactam diducebat; tum ubi legiſſet, rurſum calefactam acu ceram, quæ à tergo funiculi fuerat, ſigno eodem manente, facile coagmentabat. Porro ſecundus modus conſtat per id, quod collyrium vocant; id erat ex pice Berithia, bitumine, ac lapide perſpicuo trito cum cera, & maſtiche. Confectum igitur ex his omnibus* collyrium

Quibus artibus reſignarentur epiſtolæ.

collyrium igni calefactum, inuncto prius suillo pingui, signo applicabat, ac Symboli, sive signi figuram excipiebat; id simul atque siccum esset factum (siccabatur autem protinus) commode resigna-bat libellos, quibus perlectis, impositio ceræ denuo, perinde, atque è lapide signum idem imprimebat ad archetypi similitudinem. Post hæc jam tertiam accipe rationem. *Calce in glutem injecta, quo vulgo codicillos agglutinant, atque ex his confecta ceu cera, mollem adhuc eam admovebat signo, statimque amovebat; nam illico siccescebat, adeo ut cornu, vel ferro solidior redderetur. Hac ad exprimendum signum uti consueverat.*

In resignantes alienas literas.

Ex his igitur conjicere est, cum multiplices illorum temporum obsignandi ritus, tum callidissimi impostoris hujus nefarios astus, & dolos. Licet quidem id hominum genus ne utinam aliqui singulis fere ætatibus extitissent, hanc ipsam turpissimam artem profitentes, ex quibus, & nostrûm plerique, qui sive alienorum consiliorum cupiditate flagrent, sive etiam, ut faciliori negotio excogitatas insidias tendant, alienas epistolas intercipere, ac referare didicissent.

Sane ob eam causam, & veteres ipsi cum sigillorum custodiam haud omnino tutam intelligerent, propriis jam

jam sumptibus sæpius edocti, alia, quibus sapienter commentis hujusmodi quoquo modo occurrerent, stratagemata invenire, coacti sunt. Hinc per notas scriptitare, & ensium vaginis arcana credere cœptum est, cujus alii novitii Principem Tironem Ciceronis libertum, asserunt, licet Plutarchus Ciceroni ipsi, Dio Mecænati, Seneca servis quibusdam tribuat. Sic apud Herodotum Terpsichore lib. 3. & Polyæn. stratagem. lib. primo legimus virum quendam, cui Histiæ nomen erat, apud Darium Persarum Regem degentem, cum Aristagoræ amico suo furtivo scripto indicare vellet, ut à Rege deficeret, neque satis sigillis fideret, nec id alia ratione efficere posset, utpote itineribus custoditis, fidelissimo è servis, ægros jamdiu oculos habenti, caput tamquam medendi gratia erasisse, literasque impressisse, quibus quod vellet Aristagoræ significabat, & hominem retinens, quoad capilli renascerentur ubi illi renati sunt, rapidissime servum Miletum ad amicum dimisit, nihil aliud mandans, nisi ut cum Miletum perveniisset, juberet Aristagoram, eraso suo capite, inspicere. Servus, ut imperatum erat, ad Aristagoram venit, mandatumque domini affert, quod ille frustra non esse ratus, quod erat mandatum fecit.

Quis primus furtiva scripta excogitarit.

Figmenta varia referuntur conantes tra residgnantes literas inventa.

ita

consilia sua noscerentur. Surculi duo erant teretes oblonguli pari crassitudine, ejusdemque longitudinis, derasi, atque ornati consimiliter: unus Imperatori in bellum proficiscenti dabatur, alterum domi Magistratus cum jure, atque signo habebant. Quando usus secretiorum literarum occurrebat, circum eum surculum lorum modicæ tenuitatis, longum autem quantum rei satis erat, complicabant volumine rotundo, & simplici, ita ut oræ adjunctæ undique & cohærentes loci, quod plicabatur, coirent. Literas deinde in eo loco per transversis junctarum loras versibus à summo ad imum proficiscentibus, inscribebant: id lorum literis ita perscriptis revolutum ex surculo Imperatori commenti illius conscio mittebant; resolutio autem lori literas mutilas reddebat, membraque earum, & apices in partes diversissimas spargebat: propterea, si id lorum in hostium manus incideret nihil quicquam ex eo scripto conjectari quibat, sed ubi ille, ad quem erat missum, acceperat, surculo compari, quem habebat, capite ad finem, proinde ut debere fieri sciebat, circumplicabat: atque ita literæ per ambitum eundem surculi coalescentes, rursum coibant integramque & incorruptam epistolam, & legi facilem præstabant. Ne-

Neque minus mittendarum literarum ratio callidior ea eſt, quam apud Herodot. eundem Vran. obſervavi. Expugnata Olyntho Artabazus Potideæ obſidendæ impenſius incumbebat. Hoc faciens cum Timoxeno Scioneorum Magiſtratu de facienda proditione tranſegit, incertum quonam modo ab initio, ad extremum, ita actum eſt. Quoties exaratum libellum aut Timoxenus, aut Artabazus ad Timoxenum mittere volebat, cum ſagittæ poſtremo involvebat; adaptatiſque deſuper pennis, ad locum, de quo convenerat, ſagittam dirigebat. Sed Timoxenus, qui Potideam prodebat, doli compertus eſt: nam Artabazus ad conventum locum ſagittam dirigens, fruſtrante ictu, cujuſdam Potideatæ humerum forte percuſſit, ad quem ſaucium turba, ut adſolet in bello fieri, cum conveniſſet, ſubito, revulſa ſagitta, animadventens libellum reperit, & ad Magiſtratus detulit.

Columbæ literæ creditæ à priſcis.

Sed neque Ægyptiis Aſſyriiſque defuere ſua adverſus aſtus hujuſmodi figmenta. Fuit enim iiſdem familiare, ut epiſtolam filo ſub ala columbæ (hanc enim fidiſſimi nuntii ſymbolo decorabant) alligatam tranſmitterent. Ajunt enim, eam avem naturaliter diligere locum, ubi prius fuerit enutrita,

trita, & quantumcunque in longinquas partes deferatur, ſemper ad propria domicilia redire, ſi libertatis compos evadit; hincque non raro evenit, ut in via ab hoſtibus commenti ejuſmodi peritus ea de cauſa interfecta remanſerit. ut auctor eſt Barthol. Angl. de rerum propriet lib. 12. cap. 1.

Tu de Columbis per Hircium miſſis cum literis ad Brutum Mutinæ obſeſſum lege Frontinum libro tertio ſtratagem. Morrhes quoque Ægyptiorum Rex cornicem nunciam habuit. Ælianus lib. 6. Animal. cap. 7. ſic & Cecinnam hirundines victoriæ nuncias habuiſſe Plinius refert.

Hiſce ego inventis illud etiam hoc ultimo loco addam, quod Hieronymus Oſorius de rebus geſtis Emanuelis Luſitaniæ Regis libro ſecundo perhibet (uberiorem enim exemplorum hujuſmodi copiam hiſtoriarum ſtudioſis ex antiquitatis ærario excerpendam relinquimus) Civis quidam Tingitanus catellam Arziliæ in domo neceſſarii ſui per oblivionem reliquerat. Hic autem cum Tingitanum certa de re conſcium facere cuperet, catellam ejus ligari, literaſque cera circumlitas, quibus ea quæ vellet nunciabat, collo illius appendi jubet, eamque ſub noctem acerrime verberatam in litore conſtitui. At catella do-

Epiſtola catellæ collo alligata.

dolore verberum graviter affecta tanta celeritate domum properat, ut ante lucem ad Tingi portas assisteret, quam ut vidit Tingitanus miserabili latratu, & cauda gestientem gremio excepit, & literas, quas circa collum gestabat reperit.

His igitur, aliisque permultis id genus artibus audaciſſimorum hominum temeritati obviam itum est, maxime vero furtivis scriptis, quæ vulgo cifras vocant, de quibus vide Perrerium, Savarum, Apollinar. Brissonium, Sixtum Senensem, Cujacium, Brodæum, Bernatium, Juretum, Tholosanum, præsertim vero Joh. Baptistam à Porta, à quo integrum conscriptum est volumen. At mihi interea adversus nefariam similium insolentiam libet hoc loco referre, quantum etiam nonnulli superioribus ætatibus ab eo, de quo dixi turpissimo studio abhorrent, ut si quando amici epistolam justa etiam causa quis adductus resignasset, maximas tamen adhiberet excusationes. Memini me apud Ciceronem legisse in quadam ad Atticum epistola, adeo se aliquando obtrectatorum maledictis, sive etiam suspicione commotum ut cum literarum fascículus in manus suas incidisset, quamvis ad se nihil scriptum esset, quandam tamen resignasse, quod su-

Quinam de scriptione per notas scripserint.

Justa utitur Cicero excusatione quod aliquas literas resignarit.

spi-

ſpicaretur iis famam ſuam proſcindi, uti & aliis, quas ſibi legendas hi dederant ad quos miſſæ erant. Ciceronis verba ſubſcribam. *Ex quibus unus, qua mente fuerit is, quem tu mihi commendas, cognoſces ex ipſius literis, quas ad te, & alios miſit, quas ego nunquam aperuiſſem, niſi res acta ſic eſſet. Delatus eſt ad me faſciculus, ſolvi, ſi quid eſſet ad me literarum, nihil erat. Epiſtola Vatinio, & Ligurio altera: juſſi ad eos deferri. Illi ad me ſtatim ardentes dolore, ſcelus hominis clamantes, epiſtolas mihi legerunt plenas omnium in me probrorum. Hic Ligurius furere, ſe enim ſcire ſummo illum in odio fuiſſe Cæſari, illum tamen non modo foviſſe, ſed & tantam pecuniam illi dediſſe honoris mei cauſa. Hoc ego dolore accepto, volui ſcire, quid ſcripſiſſet ad cæteros, ipſi enim illi putavi pernicioſum fore, ſi ejus hoc tantum ſcelus percrebuiſſet: cognovi ejuſdem generis literas; ad te miſi, quas ſi putabis illi ipſi utile eſſe reddi, reddes, nihil me lædet. Nam quod reſignatæ ſunt, habet, opinor, ejus ſignum Pomponia*; Quamquam propterea non magnopere culpandum Ciceronem cenſuerim, quem juſtus dolor ad hujuſmodi literarum reſignationem impulerit, quaſque nihilominus reddi fideliter curaverit. Contra vero Bellerophontes ille (de quo Plutar. libello

de curiositate.) literas, quas in scipsum scriptas ferebat, non aperuit, sed sua usus continentia, tam literis, quam uxore regis abstinuit.

Pari etiam ratione Athenienses captis Philippi tabellariis epistolam Olympiadi scriptam ferentibus, non solverunt eam, neque patefecerunt mariti peregre absentis uxori missam salutationem, ut idem Plutarchus tradit in libello cui titulus, Reipublicæ gerendæ præcepta.

Commendatur Federici Cæsaris integritas.

Federicum vero Cæsarem haud mediocriter ea ipsa de causa commendarim, quod cum Gasparis Sollichii literæ in manus suas deveniissent, quæ nonnullis Hungaris inscribebantur, essentque qui eas aperiendas dicerent, quod in iis aliquid proditionis scriptum esse putarent, quod sciri expediret, responderit Imperator, Gasparem se probum virum, suique amantem existimare, quod si falleretur, malle per sese errorem patere, quam sua diligentia investigari; neque adduci potuit, ut amici epistolam ad se non spectantem aperiret, tametsi quibusdam videretur, inde sibi periculum imminere, quod profecto plerique facturi non fuissent. Verum hoc curiosorum præcipuum vitium est, cui remedium adhibere difficile semper habitum est, quamvis de auditore quo-

Ingenua Imperatoris responsio.

quodam ſuo Plutarchus lib. de curioſit. rem miram referat. Cum enim Romæ aliquando Plutarchus diſſereret, & Ruſtico cuidam audienti interveniens miles epiſtolam à Cæſare miſſam tradidiſſet, velletque Plutarchus orationem intermittere, ipſique ſpacium legendi literas concedere, renuit ille, neque ante epiſtolam ſolvit, quam peroraſſet, & miſſa eſſet ſchola, omnibus viri gravitatem admirantibus.

Sed jam (quod ad capitis abſolutionem attinet) quæ de plumbeis ſigillis apud ſcriptores obſervarim, hoc loco interſerenda duxi. Conſuevere Principes, & ſummi viri, ut ſe cæteris præſtare indicarent, ad divitiarum oſtentationem, relicta cera, auro argentoque ſigna ſua imprimere, (licet id tantum à Carolo Magno ad noſtrum uſque ſeculum locum habere affirmet Polydorus Virgilius libro octavo cap. ſecundo, non autem antea) ut ex variis diplomatibus Regum ac Principum Lotharingiæ videre eſt. Mox plumbi uſui locus datus eſt, quanquam & antea Græcis principibus id ipſum in more fuiſſe conjicio. Ii enim, ut meminit L. 1. C. Theodoſiani de veter. diplomata, & codicillos, quibus alicui magiſtratum, dignitatem, aut privilegium dabant,

Auro aliquando ſignatum & argento.

Plumbi uſus ad ſignandum quo tempore inceperit.

Quid encaustum. encausto subscripta (erat is liquor ex cocto murice, & trito conchylio confectus) plumbea bulla principum vultu signata muniebantur, nam in cera nunquam ab iis signatum fuisse observat ex vetusto codice Græco Guidus Pancirolus variarum lectionum libro primo, cap. 28. nisi cum ad uxorem, matrem, aut filios scriberent, quem postea signandi morem inde Venetiarum Duces acceperunt, & ipsi Romani Pontifices, cum innumeras diplomatum species expediri contingeret, eandem signandi consuetudinem secuti sunt, quod minus ea materia temporis injuriæ esset obnoxia. Cujus instituti apud ipsos principes extitisse Stephanum tertium ejus nominis Pontificem natione Siculum & Adrianum primum anno scilicet DCCLLIIII. circiter, auctor est Polydorus Virgilius lib. 8. cap. 2. ea ductus conjectura, quod nullum eo tempore plumbeum sigillum repertum fuerit: sicuti è contra temporibus Agathonis Pontificis in cera signatum manifeste arguit.

Quando in cera principes Græci signarent.

Romani Pont. & Venet. Duces plumbo signant.

Quis primus Pont. plumbo signarit.

Sigilli Pontificii forma. Sigilli vero Pontificii forma ea erat. Efficta uno latere Apostolorum Petri, & Pauli capita visebantur, in altero nomen Papæ tantum: quamquam postea ex Pauli II. decreto, ubi nomen solum præfigebatur, nunc quasi

quasi imago Papæ infulati coram populi multitudine appareat. Oritur hic tamen haud futilis quæstionis materia ex eo, quod in aliquibus summorum Pontificum sigillis dexteram Paulus teneat, sinistram Petrus, quasi vero Apostolorum principi Paulus præferatur, ac proinde potiorem in sedendo locum obtineat. D. Thomas hanc de eo rationem reddit in illud Apostoli ad Galatas cap. primo qui suscitavit eum à mortuis, *quia præsens*, inquit, *vita significatur per sinistram, futura vero per dexteram, in quantum ista cælestis est, & spiritualis, illa vero temporalis: ideo Petrus, qui vocatus à Christo fuit adhuc in carne mortali posito, ponitur in bulla Papæ in sinistra parte; Paulus vero, quia vocatus à Christo jam glorificato, ponitur in dextera parte.*

Cur Paulus ad dexteram Petri in sigillo Pontificio ponatur.

Ego vero cum hanc ordinis sedendi indignitatem mecum sæpius repeterem, subiit mihi quædam suspicio, alium fuisse apud antiquos sedendi ordinem, quam qui sit nostris temporibus, ut videlicet qui sederet ad sinistram esset potior eo, qui sederet ad dexteram: id quod postea multis argumentis fuit mihi exploratum, atque compertum. Sed qua via in eam cogitationem inciderim, paucis mihi enarrandum est. Principio autem

Sinistrum olim latus dextero nobilius.

animadverti eos, qui potentiores assectabantur, sive armati, sive inermes, tum satellites, tum stipatores, tum laterones, sive *latrones* fuisse dictos; eosdemque apud auctores dici, aut, *tegere latus*, aut *cingere latus*. Horat. serm. secundo.

Quid tegere, aut claudere latus.

Vt ne tegam spurco Damæ latus.

Juvenalis satyra 10.

Divitis hic servi claudit latus ingenuorum
Filius. —

Ovid. 4. de Ponto.

Dumque latus sancti cingit tibi turba Senatus.

Latus intectum & nudum quod.

Latus quoque intectum, sive nudum dicebatur illius, quem nemo comitaretur. D. Ambrosius in sermone de obitu fratris Satyri. *Quod si aliquando sine altero prodeundum fuit, intectum latus putares.* Seneca lib. 3. epistolarum. *Nudum erit latus incomitata lætitia.* Is præterea qui alium comitabatur dictus erat *ire exterior*, cui vero præstaretur comitatus *ire interior*. Horat. ubi supra.

Quid ire exterior & interior.

—*Ne tamen illi*
Tu comes exterior si postulet ire recuses.

& subdit verba quæ supra retulimus

Vt ne tegam spurco Damæ latus. —

Ovid. lib. 5. Fast.

Et medius juvenem non indignantibus ipsis

Ibat

Ibat & interior si comes unus erat.

De sene loquitur, cui debetur honos à juvenibus.

Atqui restat probandum, exteriorem illum dici apud scriptores veteres, qui sit ad dexteram alicujus, & interiorem, qui ad sinistram. Servius Grammaticus explicans illud Virgilii 5. Æneid.

Exterior is dictus qui ad dexteram & interior qui ad sinistram esset.

Radit iter lævum interior.

exponit pro *sinisterior*, citatque Ciceronem dicentem *in quem omnia intus*. & Salust. in secundo hist. *Introrsus prima Asia Bithynia est*, ubi Cicero *intus*, & Salustius *introrsus* pro *sinistrorsus* acceperunt. Horat. quoque in secundo serm. *Interiore diem gyro trahit, ire necesse est.* ubi *interiore* pro sinisteriore ponitur, quod meridies mundi pars sinistra est, quemadmodum septentrio dextera. Lucan. in 3. Pharsal.

Interior pro sinisterior.

Ignotum vobis Arabes venistis in orbem
Umbras mirati nemorum non ire sinistras.

Id est meridionales etiam in æstate. Colligamus igitur ex his, quæ diximus, eum qui sit alterius comes *claudere, aut cingere, aut tegere latus, atque eidem ire exteriorem*, hoc est ad dexteram illius. Cujus vero latus clauditur, cingitur, tegitur, *ire interiorem*,

riorem, hoc est ad sinistram, qui locus erat dignitate præstantior, ac propterea Paulum in sigillis Pontificum Petro dexterum animadvertimus, quod Apostolorum Principi comes, & stipator datus fuit, hocque clare indicat gladius ille, quem Paulus habet strictum. Sed placet sententiam hanc nostram aliis etiam exemplis firmare, præcipue autem ex forma ipsa consessus Patrum Chalcedonensis Concilii quod tom. I. Conciliorum extat in prima actione; leguntur autem hæc ibi: *Residentibus magnificentissimis, & glorioſissimis Iudicibus, & amplissimo Senatu in medio ante cancellos Sanctissimi Altaris, & in læva quidem parte sedentibus sanctissimis, & Reverendissimis Episcopis, & Vicariis Deo amicissimis Sanctissimi, & Reverendissimi Leonis Antistitis urbis Romæ, & Anatolio Religioſissimo Archiepiscopo Constantinopolitanæ Regiæ Civitatis, &c. ex dextera vero parte similiter considentibus Dioscoro Religioſissimo Episcopo Alexandrino, & Iuvenale Episcopo Hieroſolymorum, &c.* Ex quo sedendi ordine, quis non intelligat, lævam partem tunc dextera digniorem habitam fuisse? cum enim Dioscorus Episcopus Alexandrinus hæresis insimulatus, cujus causa in Synodo discutienda erat, primo dexteræ partis consederit

Paulus comes & stipator Petri.

ſederit loco, legati vero Apoſtolicæ ſedis primo lævæ, certe manifeſte convincitur ſanctiorem ſiniſtram partem dextera exiſtimatam, eo fortaſſe conſilio (ut optime ratiocinatur Illuſtriſſimus eruditiſſimuſque Cardinalis Baronius tom. 3. annal.) quod in Eccleſia Chriſti ex benedictione illa Patriarchali in Ephraim, & Manaſſem, de qua Geneſis 48. mutatæ ſint rerum vices, & ordo, ut quæ ſiniſtra eſſet in dexteram, & dextera in ſiniſtram, dignitatis, & benedictionis ordine mutaretur. Sed quoniam nimium fortaſſe in his immorati fuimus, ad capitis abſolutionem procedamus. Et ne quid amplius pro viribus noſtris in eo deſideretur circa Pontificiarum conſignationum materiem; utque in eo Jureconſultis noſtris morem geram, adjunxerim quoque quod ab iiſdem in rem præſentem obſervari intelligo: ut ſcilicet in Brevis Apoſtolici expeditione rubea cera adhibeatur ad differentiam alterius gratiæ, quæ cera viridi obſignatur. Ita Rebuf. in praxi tit. de Brevi Apoſtolico, & aliis, ubi pariter ſigillum hujuſmodi Piſcatorium anulum ex eo appellari putat, quod D. Petrus eo primum uſus fuerit. Moriſque præterea eſſe, ut ex omni gratiæ reſcripto ſericeus funiculus pendeat, contra vero in quibus vis ju-

Cera rubea quando adhibeatur. Cera viridis. Anulus piſcatoris quare ſic dictus.

Funiculus canabaceus.

justitiæ, & executoriis literis canabaceus apponatur, cap. licet de crim. falsi, & scribit Felinus in cap. postulanti, col. 3. de rescrip.

Atque hæc de veteri epistolarum consignatione aliisque ad eam quoquo modo spectantibus dicta sint.

CAP. X.

Tabulæ contractuum omnes olim obsignatæ, & quomodo. Ante obsignationem hæredibus ostensæ. Testes septem adhibiti, nobiles, amici, noti, rogatique Signatores dicti, classici, & alligati. Mane, ac in templis signari solitum. Sponsaliorum veterum formula. Testamentorum genera apud Rom. prima, & ultima cera. subscriptionis ratio. tabulæ ubi asservatæ; & resignationis ritus.

Tabulæ & scripturæ omnes signari solitæ.

PRæter literas, de quibus hactenus dictum est, tabulas quoque, sive scripta omnia, quæ commercii rationem haberent, & testamenta signari consueviſſe, vel unus Plautus Curculio. act. 2. sc. ultima, idoneus auctor est.

— *Atque ei mandavi, qui anulo meo*
Tabulas obsignatas attuliſſet. —

& infra:

Eamus nunc intro, ut tabellas consignemus.

Ci-

Cicero in Verrem libro primo actione secunda: *alii nummos numerabant, alii tabellas obsignabant.* Et Cæsar de bello Gallico libro primo, *vulgo totis castris testamenta obsignabantur*, ut clarius infra patebit. Ejus vero consignationis formulam Jul. Paul. sent. lib. 5. tit. 25. ad L. Cornel. testam, perspicue declarat his verbis. *Amplissimus ordo decrevit, eas tabulas, quæ publici, vel privati contractus scripturam continent, adhibitis Testibus, ita signari, ut in summa marginis ad mediam partem perforata triplici lino constringantur, atque impositum supra linum ceræ signa imprimantur, ut exteriores scripturæ fidem interiori servent, aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent.*

Auctor hujus formæ Senatus sub Nerone.

Porro formæ hujus auctor fuit Senatus Romanus sub Nerone Imperatore, ut Suetonius in vita ejusdem cap. 17. ostendit, cum ait: *Adversus falsarios tunc primum repertum, ne tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto, obsignarentur.*

Testamenta antequam obsignarentur heredibus ostendi solita.

Ceterum ante ipsam tabularum consignationem (ut ab eo ordiamur) qui è Romanis testamenta faciebant, ea, priusquam à testibus sigillis munirentur, his quos vel legato, vel hereditatis parte prosequebantur, plerumque ostendebant, ut obsignatas postea re-

reponerent in fanum aliquod, ut infra dicemus; nec nisi ipsis mortuis resignarentur. Quibus autem ostendebantur inspicere abnuebant, & recusabant, ne heredipetæ, & captatores viderentur. indicavit hunc morem Horatius Satyra 5. ubi Tiresiam docens, qua ratione rem augere possit, inter alia monet, obliquo oculo primæ ceræ secundum versum saltem percurrat, ne illudatur vana spe.

— *Captes astutus ubique*
Testamenta senum: neu si vafer unus, & alter
Insidiatorem præroso fugerit hamo
Aut spem deponas, aut artem illusus omittas.

& infra:

Qui testamentum tradet tibi cumque legendum,
Abnuere, & tabulas à te removere memento:
Sic tamen, ut limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu. solus, multisne cohæres,
Veloci percurre oculo: plerumque recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem:
Captatorque dabit risus Nasica Corano.

Captatores. Nam qui testantur, & ultro insectandas

das offerunt tabulas, cum putent negaturum, recusaturumque inspicere verecunde captatorem, cui simulant, se aliquid reliquisse, vana spe lactant, nihilque interdum relinquunt. Quod item deprehensum in Nasica est, cui, ut Plutarchus refert, impudenter captanti tabulas testamenti sui Coranus gener ostendit, legereque sæpius renuentem tandem coëgit: qui intellexit, nil sibi legatum, sed frustra sibi evenisse captatorias artes.

Ad signandum autem Jureconsultos aliquando vocatos fuisse, indicio est, quod Cicero libr. 1. orat. ait: *Cum obsignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis id sit scriptum, quo ille capiatur.* Et Tertullianus in libro de Idololatria: *signatæ signis non jam advocatorum, sed Angelorum.* Idque inter recepta Romæ officia numerabatur, adeo, ut nobilium tantum virorum præcipuum esset. Cicero pro Quintio: *Tabulæ signis hominum nobilium consignantur.* Et Seneca lib. 3. de beneficiis capite 15. *In quid isti viri ornati abhibiti sunt.*

Testes. J. C. vocati ad signandum. Nobiles.

Quibus Ciceronis verbis adducor, ut credam fuisse etiam consignationem speciem quandam vadimonii, quod tota fere oratio indicare videtur: & Fabius libro decimotertio, capitulo octavo: *Promittit enim*, inquit, *litigator*

Obsignatio. species. vadimonii.

gator omnia, teſtem, populum, paratiſſimas conſignationes. Omnium autem apertiſſime oſtendit Seneca libro primo epiſtola octava, cum ait, *non videor tibi plus prodeſſe, quam cum ad vadimonium advocatus deſcenderem, & tabulis anulum meum imprimerem.*

Nobiles igitur ad obſignandum ſæpe adhibitos, cùm iis quæ diximus, tum Ciceronis quoque epiſtola ad Atticum vigeſima quinta libri decimitertii compertum fit, ubi Brutum ſui teſtamenti obſignatorem cupere oſtendit: *Nec enim ad tabulam eum deſideraturus eram, in tali enim negotio cur tu unus non ſatis es? Sed ad teſtamentum volebam.* Idque ideo veteres faciebant, ut quod anulis clarorum virorum ſignatum eſſet, ratum magis haberetur. Sic enim & Anci Carſeolani teſtamentum à Pompejo Magno ſignatum fuiſſe ſcribit Valerius Maximus libro ſeptimo. Et eos quidem amicos, notoſque fuiſſe conjectura ex Quintiliano lib. ult. cap. 7. facile aſſequor, *denique*, inquit, *linum ruptum, aut turbata cera, aut ſine agnitore ſigna invenies.* Apertius tamen Cicero epiſtola 19. lib. 12. ad Atticum. Et Plinius epiſtola 9. libro primo, ubi ait: *ille me ad obſignandum teſtamentum, ille in advocationem, ille in conſilium rogavit.* Et epiſtola ultima libri ſe-

Amici notique.

secundi: *Aurelia ornata fœmina signatura testamentum sumpserat pulcherrimas tunicas. Regulus cum veniisset ad signandum, rogo, inquit, has mihi leges.* Sed placet hic totum Ciceronis locum citatum subjicere, tum quod instituto hujus capitis non parvum lumen sit allaturus ob eruditionem, qua maxime refertus est, tum etiam quod non ita facilem censuerim, ut non aliqua indigeat explicatione.

Ciceronis locus explicatus.

Respondet igitur Cicero Attico libro 12. Epistola mihi decima nona hoc modo: *Quod scribis Terentiam de obsignatoribus mei testamenti loqui: primum tibi persuade, me isthæc non curare; neque esse quidquam aut parvæ curæ, aut novæ loci: Sed tamen quid simile? illa eos non adhibuit, quos existimavit quæsituros nisi scissent quid esset. Num id etiam mihi periculi fuit? Sed tamen faciat illa, quod ego; dabo meum testamentum legendum cui voluerit: intelliget non potuisse honorificentius à me fieri de Nepote, quam fecerim. Nam quod non advocavi ad obsignandum: primum mihi non venit in mentem; deinde ea re non venit, quia nihil attinuit. tute scis (si modo meministi) me tibi tum dixisse, ut de tuis aliquos adduceres. Quid enim opus erat multis? Equidem domesticos jusseram. Tum tibi placuit, ut mitterem ad Silium.*

inde

inde est natum, ut ad Publium. Sed necesse neutrum fuit. Hoc tu tractabis, ut tibi videtur. Sunt qui, dum locum hunc explicant, putent primum, Ciceronis sensum in illis verbis *neque esse quidquam aut parvæ curæ, aut novæ loci*, hunc fuisse, quasi testamenti condendi curam nullius ponderis, & rem inutilem existimaret, respectu molestiarum, quibus premebatur. Deinde conquestam Terentiam de Cicerone interpretantur, quod eam ad testamentum obsignandum, non advocaverit; quorum (ut ingenue fatear) sententia mihi minime arridet. Non enim auserim adeo levem Ciceronem existimare, ut rem tanti momenti, qualis est testamenti ordinatio, nihili faceret: cum alioqui ipsemet libro primo Tusculanarum quæstionum eam maxime extollat; postquam enim maximum argumentum esse dixit, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curæ sunt, & præcipue quidem quæ post mortem futura: addit, *Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulchrorum monumenta significant, nisi nos futura etiam cogitare?* Et idem libro tertio de Finibus: *Ex hoc animorum affectione testamenta, commendationes-*

tioneſque morientium natæ ſunt. His igitur poſitis dixerim, Ciceronem ibi non ad teſtamenti curam, ſed ad uxoris nugas reſpexiſſe.

Neque etiam (quod ſecundam ſententiam attinet) Terentiæ querelam inde ortam fuiſſe dicendum eſt, quod à Cicerone ad teſtamentum ipſum obſignandum advocata non fuerit, quippe cum certum ſit legibus cautum fuiſſe, ne fœminæ aut etiam affines teſtamenta ſignarent, quod ex Ulpiano tit. 20. de teſtam. & Juſtiniano eodem manifeſtum eſt, & nullus negabit. Illud addo, nuſquam me legiſſe apud aliquem, adhibitos ad id officii mulieres. Verius exiſtimarim idcirco conqueſtam fuiſſe Terentiam, & quod de teſtamento faciendo ſecum Cicero non communicaverit, imo clam, ac propterea ſe non præſente confecerit, vel ut Simoni Boſio placet, honoris ergo ipſam non vocaverit.

Verum elucidato jam Ciceronis ſenſu, libet ex eo (quod magis ad rem noſtram facit) aliqua elicere circa teſtamentorum obſignationem. Et primo quidem colligo, non fuiſſe neceſſe teſtibus aperire, quid teſtamento contineretur, quos aliquando ignoraſſe ea, quæ teſtatores ſcripſerant Plinii epiſtola ultima lib. ſecundo indicat: & Ulpianus in *L. ſi binæ ff. de injuſto*

Non neceſſe aſſe perire teſtibus, quid tabulis contineretur.

justo rup. Tabulas quæ septem testium signis signatæ erant vacuas inventas narrat. Deinde intelligo, licuisse (sicuti & hodie) testatori ipsi tabulas suas resignare, per *L. si testamentum ff. qui testam. fac. poss.* Novi præterea ex eodem Cicer. loco: fœminis jure veteri testandi facultatem denegatam non fuisse, quod ipsum ex eodem ad Atticum lib. 2. epist. 16. cum nonnullis sequentibus aperte deducitur, & ex oratione pro Aulo Cecinna, ubi de testamento Cesenniæ uxoris Cecinnæ late differit. Facit demum locus ad indicandum (quæ mens nostra erat) ad testamenta obsignanda adhibitos olim fuisse amicos, & domesticos. Sed jam ulterius progredi juvat. Qui igitur tabulis, aut causis signacula imponebant, hos Pedianus *Signatores* & *obsignatores* nominat. Seneca libro secundo de benefi. iis cap. vigesimotertio: *Quidam nolunt interponi parasios, nec signatores advocari.* & Juvenalis Sat. 10.

Testatori licitum proprias tabulas resignare.

Fœminis jure veteri non vetitum testari.

Testes hujusmodi quomodo dicti.

— *veniet cum signatoribus auspex.*

Ejus vero consuetudinis Seneca citato libro, & capite plenum testimonium dat, ubi humanam aviditatem ad querelas & discordiam incitamentum esse, fidemque funditus concidisse dolens eum ipsum signandarum tabularum morem his verbis improbat, quæ ad di-

Senecæ querela in infidos.

dicendorum obſervationem inſervire etiam poterunt. *Vtinam quidem perſuadere poſſemus, ut pecunias creditas tantum à volentibus acciperent. Vtinam nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret, nec pacta, conventaque impreſſis ſignis cuſtodirentur, fides potius illa ſervaret, & æquum colens animus. Sed neceſſaria optimis prætulerunt, & cogere fidem, quam ſpectare malunt. Adhibentur ab utraque parte teſtes. ille per tabulas plurium nomina, interpoſitis parariis* (ad proxenetas reſpiciens) *facit. Ille non eſt interrogatione contentus, niſi rem manu ſuâ tenuit. O turpem humano generi fraudis, ac nequitiæ publicæ confeſſionem: anulis noſtris pluſquam animis creditur. In quid iſti viri ornati* (hoc eſt claſſici, ut infra dicam) *adhibiti ſunt? in quid inprimunt ſigna? nempe ne ille neget acceptiſſe ſe, quod accepit.* *Anulis pluſquam animis credi dolet Seneca.*

Licet autem & ignobiles interdum ad id officii adhibitos eſſe Suet. in Tib. cap. ultimo videatur indicare, cum ait ipſum *humillimorum ſignis teſtamentum ſuum obſignaſſe.* Moris tamen fuit ut cives nimia paupertate laborantes animadverſione cenſoria claſſibus exempti capite cenſerentur, & in proletariorum numerum referrentur. Siquidem Suetonius ipſe auctor eſt, D. Claudium cenſuram gerentem, cum plu- *Pauperes an ſignare poſſent.*

plures notare conaretur, magna Inquisitorum negligentia innoxios reperisse, quibuscunque cœlibatum aut orbitatem, aut egestatem objiceret, eaque ratio est, cur testes hujusmodi, qui signandis testamentis adhibebantur *classicos* appellaverit Festus, ad quinque classes, in quas pro census qualitate populus Romanus distribuebatur, omnino respiciens, simulque proletarios indicans, ac capite censos, quia classici non erant, signandis testamentis adhiberi non potuisse ob nimiam paupertatem, quæ cum falsi ingentem materiam præbeat, semper Romanis suspecta fuit, quemadmodum de C. Mario scribit Valerius Maximus, libro secundo. Proletarii igitur & capite censi classici non erant, id quod ab Arnobio traditur lib. 2. adversus gentes: *desinite*, inquit, *hominem, proletarius cum sit, classibus, & capite cum censeatur, adscribere ordinibus primis*. Sensus enim est: desinite hominem adscribere primis ordinibus, qui classium respectu, sub quibus nimia paupertate nequit censeri, nomen habet, & titulum proletarii. Illud etiam observari solet, classicis hisce testibus, simul atque testimonium suscepissent, liberum non fuisse, aut dissimulare, aut se subtrahere, indeque & *alligatos* appellavit Isidorus Etymol. libro

Testes classici & alligati qui.

libro quinto: si quæ vero dissimulassent, aut sese subtraxissent, lege XII. tabularum sic puniebantur, ut essent improbi, & intestabiles, & per hoc classibus suis exempti in Ceritum tabulas referrentur, & ærarii fierent. Porro quem Decemviri, & Jurisconsulti *intestabilem* vocant, is à Plauto in Pœnulo *nefastus* his versibus appellatur.

— *Adsunt testes.* M. *Tot quidem,*
Non potuisti adducere hómines magis
ad hanc rem idoneos,
Nam istorum nullus nefastus est, comitiales sunt meri.

Sensus enim est, his testibus non esse nefas testimonium perhibere, & sic nec improbos, nec intestabiles eos esse; quandoquidem in Comitiis sedulam quotidie testificando operam dent.

Cum vero interdum à nobilibus promiscue cum humilioris conditionis viris tabulas signari, contigisset: prius nobiles signabant, mox & alii gradatim, id quod Juvenalis innuit satyra tertia, ubi necessarii sui Umbritii querelam describit, qui quod nullum in Urbe locum bonis viris esse videat, sed tantum exteris, & peregrinis, maximeque Græcis servilibus assentatoribus, ob morum pravitatem Roma Cumas discedere pararet: ait enim, *Ho-*

Nobiles prius signabant.

Horum ego non fugiam conchylia? me prior ille
Signabit, fultuſque toro meliore recumbet
Avectus Romam, quo pruna & cottona vento?

Ac ſi diceret, non patiar, eum me priorem tabulas obſignare, qui Romam venit non honeſto aliquo negotio, aut navigio, ſed ut rerum vilium mercator, ea nave qua pruna, & coctona advecta ſunt.

Septem. Hi autem ſeptem erant, quos propriis ſingulos anulis ſignare oportebat L. hac conſultiſſima C. de teſtam. Quo alludens Apulejus libro ſecundo de Aſino aureo: *introductis*, inquit, *quibuſdam ſeptem teſtibus, obteſtata fidem præſentium, ſingula demonſtrat anxie, verba concepta de induſtria quodam tabulis prænotante. Ecce, inquit, naſus integer, ſalvæ aures, illibata labia, mentum ſolidum. Vos in hanc rem, boni Quirites, teſtimonium perhibetote.* Et Cicero epiſt. ſecunda libro 7. ad Atticum *ejus teſtamentum de Tortorio, Ciceronum ſignis obſignatum, cohortiſque prætoriæ*, & Quintilianus declamatione 308. *Non dixerim ego teſtamentum, cui numerus ſignatorum deeſt.* Cicero pro Milone: *Vna fui, teſtamentum ſimul obſignavi cum Clodio & aliis*: & Appian. lib. 1. bellorum civilium.

Verum

Verum enimvero non ſemper ſignandis teſtamentis teſtes, quot dixi, numero, adhibitos, ac proinde ab uno aliquando teſtatore tabulas obſignatas fuiſſe, certiſſimo argumento eſt, quod de Scevino Tacitus annal. 15. cap. 54. tradit, qui pridie, quo Neronem occiſurus fuit, ab Antonio Natale, quo cum ea de re diu collocutus fuerat, domum reverſus, *teſtamentum*, inquit, *obſignavit*, ubi nullam ſignatorum mentionem facit, mox promptum vagina pugionem, vetuſtate obtuſum, increpans, aſperari ſaxo, & mucronem ardeſcere juſſit, ea cura Milichio ſervo demandata.

Aliquando à ſolo teſtatore ſignatum.

Ex quo loco illud etiam colligi poteſt, ſolitos veteres, vitæ, aut fortunarum diſcrimine impendente (hodie etiam uſitatiſſimum) teſtamenta in procinctu facere, quibus familiæ & heredum commodis caverent, quod præter citatum locum, ex ejuſdem etiam Scevini defenſione ſatis liquet. Is enim conjuratione detecta, ad Neronem per milites raptus, & defenſionem orſus. Ferrum, cujus argueretur, olim patria religione cultum, & in cubiculo habitum, ac liberti fraude ſubreptum, reſpondit. *Tabulas teſtamenti ſæpius à ſe, & incuſtodita dierum obſervatione ſignatas.*

Imminente periculo teſtamenta faciebant.

Colligo ex dictis, non cuique teſtamento

ſtamento ſeptenarium teſtium numerum neceſſario requiſitum fuiſſe, ſed tantum in his, quæ pacis tempore conficiebantur. Triplex namque teſtamentorum genus Romanis fuit, quod ex Juſtiniano colligitur, aut enim in pace fiebat, quod *Calatis comitiis* dicebatur; & hujus generis tabulæ, quas dixi, ſolennitates poſtulabant, aut cum in prælium eſſent exituri, vel aliud periculum immineret, quod *procinctum* vocabatur, tuncque ſola teſtantis obſignatio ſufficiens erat: Vellejus Paterculus lib. 2. *facientibuſque omnibus in procinctu teſtamenta, veluti ad certam mortem eundum foret*: aut per æs & libram, id eſt emancipationem, nimirum imaginariam venditionem, quæ fiebat, præſentibus quinque teſtibus, libripende, & eo qui familiæ emptor dicebatur.

Teſtamentum antiquis quotuplex.

Alias etiam (redeo ad ſolennitates tabularum *calatis comitiis*) ſuo, vel alieno anulo, qui characterem haberet, ſignabant. L. ad teſtium §. 1. quis ex teſtibus ff. qui teſtam. fac. poſſ. Ulpianus lib. 23. ff. tit. primo. Seneca libro primo epiſt. 8. *non videor tibi plus prodeſſe quam cum ad vadimonium advocatus deſcenderem, aut tabulis teſtamenti amulum meum imprimerem.* Et Jacob. Cujac. in tit. ff. de liberis & poſtu. *Signare*, inquit, *oportet more civium*

Suo, vel alieno anulo ſignabant.

civium Romanorum anulo tantum signatorio sculpturam vel imaginem aliquam habente.

Addit tamen Justinianus instit. de testam. potuisse omnes testes uno tantum anulo tabulas signare, aut septem etiam una alioqui, eademque sculptura, sive charactere. Verum signacula hujusmodi tabulis ipsis imprimi necesse non erat, sed lino ceræ superposito, quo tabulæ constringerentur, satis erat. D. L. ad testium § ult. Ulpianus de testam. *Signatas tabulas accipi oportet, etsi tabulæ linteo, quo involutæ sunt, signa impressa fuerint.* Et Paulus Colvius hic.

Uno tantum anulo omnes signare potuerant.

Et quoniam forte in ceræ mentionem incidimus, placet & illud adnotare quid per primas, & ultimas ceras accipi solitum fuerit. Ultimæ igitur ceræ generatim eæ erant, quæ ultimam, & extremam testatoris voluntatem continebant, sive etiam testamentum ipsum ultimum, sicuti & primæ priorem voluntatem testatam faciebant. Aliter vero extremæ seu imæ ceræ sensus erat alterum caput seu ultima testamenti tabula, qua secundi heredes nominabantur, legataque & alia onera primis heredibus imponebantur. Extat de eo illustre Martial. testimonium libro 4. Epigram. ult.

Quid prima & ultima cera.

Nihil Amminno præter aridam vestem
Moriens reliquit ultimis pater ceris.

Et Plauti Curcul. ubi

Novi ædipol nomen
Nam mihi isthoc nomine dum scribo
explevi totas ceras quatuor.

Et Cicero in Verrem 3. & ad eum locum Asco. Hotom. Cum Torrentio. Licet, aliud sit, opinor, ut apud Suetonium legimus, *in ima cera scribere* locus est in vita Cæsaris. *Novissimo testamento tres instituit heredes sororum nepotis C. Octavium ex dodrante & L. Pinarium, & c. Pedium ex dodrante; reliquos in ima cera.* Nam in ima cera scribere dici puto, cum non leviter presso, ut vestigia appareant, sed fortius impresso stylo, ut vix delere possit, scribitur: quod intelligi existimo ex his verbis Hieronymi, quæ subjiciam ex epist. ad Chrysogonum. *Ita nostræ es necessitudinis penitus oblitus, ut illam epistolam, quam in corde Christianorum scriptam Apostolus refert, non parva litura, sed imis, ut ajunt, ceris eraseris.* Alios igitur heredes in ima cera Cæsar scripserat, ne facile delerentur. An potius *ima* infima significat? ut apud Justinian. libr. instit. 2. C. de pupil. substit. ubi de superiore, & inferiore testamenti tabularum parte meminit, cum testatori Imperatori suadet, si verctur, ut substitutus instituto insi-

dietur,

dietur, ſubſtitutionem in inferiori tabularum parte ſcribat, eamque complicatam, ne legi poſſit, ſuo lino, ceraque conſignat. Ex quibus colligitur pluribus teſtamentum tabulis conſtituiſſe, id quod etiam ex Ciceronis epiſtola nona ad Quintum Fratrem perſpicuum fit, dum ait Felicem lapſam per errorem ſuum, & Sicuræ ſervi, alias pro aliis teſtamenti tabulas obſignaſſe. Præbet autem mihi locus iſte conjecturam ſolitum teſtatorem ipſum tabulis ſignare: quæ etiamſi per errorem obſignatæ forent, ratæ tamen eſſent, ut ibi videtur Cicero indicare; & Manutius recte obſervat. Quod autem aliquando uno Codice ſeptem teſtium ſignis ſignato teſtamentum duos homines conſcripſiſſe legamus; conjugibus id tantum à Valentiniano datum didici ex Novel. prima de teſtam. ejuſque teſtamenti formula in Marculphi Monachi libro quodam, quem Briſſonius citat, de formulis publicorum, privatorumque negotiorum, deſcribitur, quo ſe vir, & uxor in una eademque Charta mutuo heredes ſcribunt. Verum (ut unde digreſſa, eo mea redeat oratio) in hujuſmodi tabularum conſignatione verbum quoddam ſolenne ſolitum adhiberi adnotavit Briſſon. de form. lib. 6. SIGNA, nimirum, ſi unus eſſet,

Pluribus tabulis teſtamentum conſtabat.

Verba adhibita.

SIGNATE si plures, aut SIGNENT LICET. Sic enim & apud Ovid. lib. 3. de Ponto eleg. 11. legimus.

Sint hi contenti venia, signentque licebit
Purgari factum me quoque teste suum.

Et infra TESTERE LICET SIGNATE QVIRITES.

Rogati testes signabant ut & hodie.

Rogati autem signabant, quo tabulæ legitimæ haberentur, quæ alias nullæ, ut ex allatis Ovidii, & Brissonii locis videre est, & ex Martiali libro 5. Epigramma 40. ubi

Supremas tibi tricies in anno
Signanti tabulas, Carine, nisi
Hyblæis madidas thymis placentas,
Defeci: miserere jam, Carine
Signa rarius ——

Et libro 9. Epigram. 89.

Signa; cras melius, &c.

Quod & hodierni tabularii, sive notarios appellemus, optime norunt, ea formula expressa in conficiendis tabulis utentes, *Testes vocati, & rogati.*

Grunii testamentum.

Neque hic omittam ludicrum licet Grunii Corocottæ testamentum, quod vetustatem non modo ipso contextu, modoque loquendi præ se fert; verum etiam Divi Hieronymi locupletis, & idonei testis auctoritate antiquitatem suam probat. Sic enim ille epistola ad Eustochiam virginem, in proœmio sci-

scilicet commentariorum in Isaiam: *Testamentum autem Grunii Corocottæ, Porcelli decantant in scholis puerorum agmina cachinantium.* Extat id apud Brissonium libro septimo de formulis, & inter Jani Gruteri inscriptiones, in quo recensendo, ne prolixi nimis simus, ea tantum breviter attingam, quæ ad finem in rem nostram habentur. *Optim. amatores mei, vel consules vitæ, rogo vos, ut corpori meo benefaciatis, bene condiatis bonis condimentis, nuclei, piperis, & mellis, ut nomen meum in sempiternum nominetur. Mei Domini, & consobrini mei, qui huic meo testamento interfuistis, jubete signari.* septem *testes Lucanicus signavit. Tergillus signavit. Nuptialicus signavit. Celsanus signavit. Lardio signavit. Cymatus signavit. Offellicus signavit.*

Addit Martialis matutinas tantum horas in id officii fuisse insumptas l. 10. Epigram. 70.

Nunc ad luciferam signat mea gemma Dianam.

Mane tantum signabant.

Quod sane institutum sacris Canonibus conforme intelligimus ex cap. placuit de testi & C. Honejo 22. 4. 5. quibus cavetur, eum, qui in testem assumendus sit, jejunum esse debere, idque ut ibi notat Abb. quia sobrii, ac proinde fideles. Subjiciam ex iis alterum.

Placuit ſancto conventui noſtro, ut teſtes non conducantur pretio, & ut quicumque idonei, & fideles in teſtimonium aſſumantur, ac nullus teſtis ſit, niſi jejunus. Sed & idem Martialis libro 9. epigram. 68. Luperci improbitatem, fraudemque coarguit, tabulas, vel teſtamenta, quæ ſubjicere vellet obviis amicis ſignanda offerentis, uti tabulas vel non lectas, vel non intellectas. reſpondit enim Martialis *cras* id eſt, cum ſobrii erimus:

Signa, cras melius Luperce fiet:
Nunc ſignat meus anulus lagenam.

In templis ſignabant. In templis præterea ſæpe ſignatas fuiſſe tabellas, perſpicue indicat Paulus Sent. lib. 4. tit. 6. & Juvenalis ſatyra octava, idque faciebant, ut oſtenderent fidem religione maxime conſtringi.

Quo mihi te ſolitum falſas ſignare tabellas
In templis, quæ fecit avus, ſtatuamque parentis
Ante triumphalem? ——

Id eſt, non eſt cur te jactes, & nobilem vendites, qui in templis ipſis falſiratis crimen perpetrare non vereris, falſas tabellas obſignando.

Nunquam defuerunt falſarii. Maxima enim ubique ſemper falſariorum copia extitit, qui falſa teſtamenta componerent, falſoſque teſtes adhiberent, qui ea ſuis gemmis ac ſigil-

sigillis signarent illo insscio, quem testatorem falso prædicabant. Hi autem à Romanis deprehensi, & convicti in exilium mittebantur. Ad quod mihi respexisse videtur Ovidius. lib. 2. de Ponto eleg. 9. ubi queritur: *Falsarii quomodo à Romanis puniti.*

Nec mea subjecta convicta est gemma tabella.

Inter alias autem, tabulas quoque nuptiales, quæ dotis traditionem continerent, signatas fuisse apertissime declarat Juvenalis Satyra 10. nuper citata ubi mutuatam à Tacito, & Suet. de impurissimo Messalinæ Claudii Cæsaris uxoris Amore historiam recenset, quæ novo furore in C. Silium Romanæ juventutis formosissimum ita exarsit, ut ei vivo marito palam nubere non sit verita. Profecto namque Claudio Imperatore Hostiam, nuptiarum solennia celebravit, adhibiti qui tabulas obsignarent, & verba auspicum audita, qui tunc nuptiis interesse solebant, quo de more Valerius Maximus libro secundo pluribus locis. Ait igitur Poëta: *Tabulæ nuptiales signatæ. Auspices nuptiis adhibiti.*

— *Veniet cum signatoribus auspex.*

Ea vero apud priscos spondendi nuptias ratio fuit, quam apud Plautum Aulular. expressam habemus actu 1. sc. 4. ubi Megadorus ab Euclione ita stipulatur. *Sponsaliorum formæ apud antiquos.*

Quid nunc etiam mihi despondes filiam? Euc. *illis legibus*
Cum illa dote, quam tibi dixi. M. *spondeñ' ergo?* E. *spondeo.*

Eodemque modo, qui mulierem nuptum dabat, rogabatur, ut apud eundem Curcul. actu quinto scena secunda Phædromus à milite ita stipulatur:

Spondes mihi miles hanc uxorem?

Cui Miles respondit. *Spondeo*, Curculio vero,

Et ego hoc idem unum spondeo.

Mox tabulæ nuptiales signabantur, plerumque scilicet post contractum matrimonium, ut docet Scævola in L. Seia ff. de donationibus inter vir. & uxor. Quo etiam illud Juvenalis satyra secunda spectat.

Signatæ tabulæ: dictum feliciter: ingens
Cœna sedet: gremio jacuit nova nupta mariti.

Et Apulejus apolog. *Habes Æmiliane causam totam, cur tabulæ nuptiales inter me, & Pudentillam non in oppido sint, sed in villa suburbana consignatæ.*

Subscribere signo oportebat.

Neque vero obsignare solum satis erat, sed propria cujusque subscriptione munire tabulas oportebat, atque adeo, ut alieno quidem anulo, alienave cera signare, subscribere non nisi propria manu possent: Unde literarum im-

imperiti teſtes eſſe nequibant, niſi forte in agris ex L. ult. C. de teſtam. Ejus autem conſignationis formulam vir doctiſſimus Jacobus Cujacius ad l. pen. 1. hoc tit. his verbis ſubjicit. LUCIUS TITIUS. C. Si teſtamentum obſignavi, & Lud. lana de form. teſtam. aliam refert iis temporibus uſitatiſſimam. *Ego Volumnius præſens fui confectioni tabularum, quas M. Cælius aſſeruit continere ejus ultimam voluntatem, & quam aperiri mandavit poſt ejus mortem in quorum fidem ſubſcripſi, & proprio anulo ſigillavi*, & paulo poſt ſubdit teſtem anulo, ſive cera aliena utentem id in ſubſcriptione expromere debuiſſe. Spec. in tit. de probat. §. *nunc videndum* verſ. *& non*.

Subſcriptionis formulæ.

Quinimo apud veteres Chriſtianos ſubſcriptionis terminus in teſtamentis, ut obſervavit eruditiſſimus vir Jacobus Greterus lib. 2. de S. Cruce c. 18. Venerabilis Crucis ſignum erat, quod manifeſte colligit ex eo caſu, quem Juſtinianus Imperator in Bithynia accidiſſe tradit. *Cum teſtatrix nondum abſoluto teſtamento efflaſſet animam, quidam ex teſtibus quæſtus dulcedine forte illecti prehenſa jam defuncta manu, & tam in tranſverſum, quam recta linea ducta effecerunt, ut defuncta venerandæ crucis ſignum adſcripſiſſe*

Crucis ſignum in ſubſcriptionibus teſtamentorum.

videretur. Ex qua improbitate piam consuetudinem colligimus, fuisse adeo crucis signum authenticum, ut pro fide & subscriptione staret. Quocirca merito D. Chrysostomus homil. de venerat. Crucis: *signaculum*, inquit, *crux appellata est, quod testamenta, & statuta divina omnia, quæ accipimus, hoc quasi signo quodam regio, & anulo obsignamus.*

Crux cur signaculum dicta.

Verum ubi hactenus de tabularum consignatione actum est, libet pauca ad earundem etiam reserationem spectantia addere. Defuncto igitur testatore, resignandi potestas quidem erat: verum ita, ut coactis signatoribus vel majori horum parte, & sigillis recognitis, linum incideretur, & tabulæ recitarentur. l. cum ab initio. l. sed si major. ff. quemadmodum testam. aper. ubi vero signatorum copia non esset, præsentibus optimæ opinionis viris, aperiebantur, quibus inspectis, describendi fiebat potestas eis, quorum res esset. Tum deinde obsignatas signo publico ab iisdem quibus intervenientibus apertæ erant, eo mitterentur, ubi signatores erant, ad inspicienda sigilla sua. l. *sed si quis*. §. ult. Addit Paulus lib. 4. sent. Tit. 6. *Testamenta in municipiis, coloniis, oppidis, præfectura vice, castello, conciliabulo facta, vel in foro, vel basilica, præsentibus*

Testamentorum resignatio.

tibus teſtibus, vel honeſtis viris, inter horam ſecundam & decimam diei recitari debent, exemploque ſublato, ab iiſdem rurſus Magiſtratibus obſignari, quorum præſentia conſtat aperta. Hujus aperturæ cauſa, teſtamenta reſignari neceſſe erat. Hinc illud Horatii epiſt. 7. lib. 1. de Autumni intemperie, propter quam laborem forenſem ſæpe morbos gignere dicit, quos mors, ac deinde apertura tabularum ſequebantur:

Officioſaque ſedulitas, & opella forenſis
Adducit febres, & teſtamenta reſignat.

Et Plinius lib. 7. cap. 52. *Poſt mortem teſtatoris, aperto teſtamento, recitatus heres.*

Occiſi teſtamentum quando apertum.

Cæterum ſi teſtator occiſus eſſe diceretur, Prætoris edicto vetebatur, teſtamentum ejus reſignari, priuſquam de ea familia quæſtio ex Senatuſconſulto habita, ſuppliciumque de noxiis ſumptum eſſet. l. 111. § *quod ad cauſam* ff. de Sc. Silan. Quin & partem illam teſtamenti, in qua pupillaris ſubſtitutio ſcripta erat, obſignatam permanere debuiſſe, quoad pupillus pubertatis annos egreſſus eſſet, prioremque dumtaxat partem teſtamenti, quæ heredis inſtitutionem continebat, referari debuiſſe Gajus

Pupillaris ſubſtitutio quando reſignata.

monet lib. 2. Instit. Tit. 4. Porro hanc resignandi testamenti formulam expressit idem Jul. Paul. recept. sent. lib. 4. tit. 6. in hæc verba. *Tabulæ testamenti aperiuntur hoc modo, ut testes, vel maxima pars eorum adhibeantur, qui signaverint testamentum, ut ita agnitis signis, rupto lino aperiatur, & recitetur, atque ita describendi exempli fiat potestas, ac deinde signo publico obsignatum in archium redigatur, ut si quando exemplum ejus interciderit, sit unde peti possit.*

Interdum etiam testamenti, vel legati locum supplebat epistola, maxime autem inter milites, cujusmodi est, quod Papin. ait in l. miles. ff. de legat 2. *miles ad sororem epistolam, quam post mortem suam aperiri mandavit talem scripsit. Scire te volo; donare me tibi aureos octingentos.*

Testamenta in Ærario repetita.

Asservabantur autem plerumque testamenta sic obsignata maxime clarorum virorum, vel in Ærario, ut de Ptolomæi Regis testamento scribit Cæsar de bello civili libro tertio his verbis: *Tabulæ Testamenti una per legatos ejus Romam erant allatæ, ut in ærario ponerentur (eæ cum propter publicas occupationes poni non potuissent, apud Pompejum sunt depositæ) alteræ eodem exemplo relictæ, atque obsignatæ Alexandriæ proferebantur.* Quod plane in-

indicat, ſolitos heredes teſtamenti exemplum penes ſe habere, ut etiam ſcribit Paulus in l. ſecunda ff. de eden. vel etiam apud virgines Veſtales, quæ ſacerdotes ceteros dignitate, & auctoritate ſuperabant: adeo, ut Imperatores ipſi teſtamenta ſua ipſis commendarent, Maximæ virgini præcipue quæ reliquis præerat. Suetonius in Julio cap. 83. *Poſtulante ergo L. Piſone ſocero teſtamentum ejus aperitur, recitaturque in Antonii domo, quod Idibus Septembris proximis fecerat in Lavicano ſuo, demandaveratque virgini veſtali Maximæ.* Et in Auguſto cap. 101. *Teſtamentum L. Planco, C. Silio Coſſ. tertio Non. April. ante annum, & quatuor menſes, quam decederet factum ab eo, ac duobus Codicibus partim ipſius, partim libertorum Polybii, & Hilarionis manu ſcriptum, depoſitumque apud ſex virgines Veſtales cum tribus ſignatis æque voluminibus protulerunt.* Et Plutarchus Marci Antonii III. Viri Teſtamentum depoſitum apud veſtales ſcribit. Atque hæc de tabularum obſignatione, & reſignatione dicta ſint.

Exemplum teſtamenti apud heredes.

Teſtamenta apud virgines veſtales.

Cap.

CAP. XI.

Varia ab Antiquis ſigillorum cuſtodiæ commendata, Claves ſcilicet; ſcrinia, & arcæ; Januæ; ædes; ſupellex univerſa, promptuaria: Lagenæ: quid ipſa ſit. Cibi omnes, ſervorum, ruſticorum, nautarum, & militum qualis cibus olim. Armenta obſignata. Servi. Servus literatus. Arbores. Crucis ligna. Baptiſteria. Acta Conſiliorum. Sepulchrum Chriſti quomodo ſignatum, & pecuniarum depoſitarum obſignatio.

PErfectum jam operis noſtri faſtigium terminabit extremum hoc caput, quo uno, ne quid ultra deſideretur, reliquos veterum ritus in domeſticis, aliiſque quibuſque rebus obſignandis tradere aggredimur. Fuit igitur quondam in more poſitum, ut quæ modo clavibus à rapina vindicavimus, ea tunc anulis, ſive ſigillis, quorum frequentiſſimus erat uſus, diligentiſſime priſci obſignarent, quin etiam claves ipſas (ut ab iis ordiamur) aliquando ſignatos fuiſſe queritur Plin. cit. lib. & C. ubi *& claves quoque ipſas ſignaſſe non eſt ſatis.* Nam licet, quæ ſimpliciter tantum clavi claudebantur obſerata dicebantur, reapſe tamen quæ diligenti cuſtodiæ tradi vellent anulo ſignatorio ſignabantur. Ac primo quidem, præter illas, ſcrinia, arcas Cophi-

Sigilla pro clavibus antiquis in uſu.

Claves ipſæ ſignatæ.

Res magni momenti anulo ſignata.

phinoſve, ſigillis univerſim conſignatos fuiſſe oſtendit Theophraſtus in lib. de charact. cap. 18. de diffiden. ubi in incredulos invehit his verbis. *En in lecto jacens interrogare ſuam ipſius uxorem, an arcam probe clauſerit, an capſula recte ſit obſignata, & an peſſulam aulæ foribus obdiderit*, & Menander Poëta: *Scrinia & arcæ obſignari ſolita.*

Quiſquis vectibus, & ſigillis ſervat pretioſum.

Atque ipſe etiam Martial. libro primo epigramm. 67.

Secreta quære carmina; & rudes curas,
Quas novit unus, ſcrinioque ſignatas
Cuſtodit ipſe virginis pater Chartæ.

Januas præterea, ſive oſtia, ædeſque ipſas obſignari moris fuiſſe non uno quidem loco perſpicuum eſſe poteſt. Hinc Ariſtoteles in lib. 1. de Rep. ait *& domus obſignari januas, & eas aperituri, oſtendentes civibus, & hoſpitibus ſigna in hunc modum aperiunt.* Ariſtophanes: *Januæ.*

Deinde Gyneceis ſigna imprimunt, & vectes noſtra cauſa.

Sed & Propert. lib. 4. eleg.

Nec mille excubiæ, nec te ſignata juvabunt,
Limina, &c.

Quod etiam ſacræ ſcripturæ teſtimonio

nio comprobari poteſt. Nam Daniel. cap. 6. & 12. legimus tum regem ipſum oſtium, quo Daniel includebatur *anulo ſuo obſignaſſe*, ne magnates eo abſente aperirent, tum & magnates ipſos idipſum feciſſe, ne rex ſolus illud reſerare poſſet.

Ædes. Porro de ædibus illud Lycophronis extat, quod alibi aliis rationibus non ſemel attulimus.

Reliqua porro, &c.

Supellex univerſa. Jam vero & ſupellex tota (ut ad id quod majoris eſt momenti veniam) ſive quæ vulgus domeſtica utenſilia appellat, ne quid eorum negligentia, aut furto deperiret ſigillis conſignata fuiſſe (ptæterquam quod capitulo ſeptimo ſatis probatum eſt, ubi de ſigillis à vermibus exeſis egimus) teſtis etiam eſt Tacit. annal. lib. ſecundo capite 2. qui Græcos Comites à cæteris irriſos eſſe ſcribit, quod viliſſima utenſilium *anulo clauſa* aſſervarent, ut ea à ſervorum rapina vindicarent. Quod Barbari indignum Rege exiſtimabant, ut ait Æmil. Ferretus ad hunc locum, vel, ut ego ſentio, cum Barbari ex gentium vetuſto more conditas arca veſtes, ut alibi diximus, ac vaſa nodo, non anulo colligarent, ut eſt apud Plinium citato loco, ideoque Parthi ignotam virtutem irridebant. Accedit Plauti locus in Amphitruone act. 1. ſc. 1.

de

de obsignata patera:

— *Ubi patera nunc est?* Me. *in cistula.*

Amphitruonis obsignata signo est. Sos. *signi dic quid est?*

Me. *Cum quadrigis sol exoriens,*

Tetigit & hanc signandi consuetudinem Cicero ad Atticum libro sexto epistola mihi prima ad finem, *C. Vennonius domum Vindulli venit. Cum omnia obsignaret, in vedianas res incidit, &c.* Cujus etiam moris & Apul. gnarus fuisse videtur Apol. 1. pro se ipso, ubi Æmyliani calumnias, & argumenta refellit; *Quamquam*, ait, *ipse aperiret (utpote promus librorum, qui illic erant conditi) pene quotidie & clauderet sæpe nobiscum, multo sæpius solus intraret, linteum in mensa positum cerneret sine ullo sigillo, sive vinculo, & postea quod conditum, cumque quod obsignatum, quod inclusum domi adservatur id omne argumento magicum dicetur.* & libro 10. de As. aur. *Donec jussu Magistratuum ministeria publicis contrectatis nequissimi servi manibus anulum ferreum deprehensum cum signo saculi conferunt.* Atque ipse etiam Herodot. Euterpe hanc ipsam consuetudinem his verbis memorat, *Cum autem Rex forte fuisset ædificium ingressus, videretque vasa numorum imminuta, obstupuisse, nec habuisse quem insimularet cum*

& signa salva, & ædificium obseratum esset. Adde & illud quod ad hanc rem ait Cicero de oratore libro secundo, *Ridiculum est illud Neronianum vetus, in furace servo solum esse cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum.* Facit quoque instituto nostro D. Gregorii Nysseni testimonium in cantica canticorum, quo monemur suis etiam temporibus, eum morem viguisse, ut res domesticæ nullo discrimine signorum impressione munirentur. *Cum autem sigillum*, ait, *rei ab se absconditæ hoc largiatur, ut ea prædæ non sit exposita, dum furem signo perterrefacit, cumque id, quod furto non subtrahitur domino suo integrum maneat: idcirco encomium hoc sponsæ, &c.*

Promptuaria. Transeo ad promptuaria, sive cellas, quæ promiscue anulorum fidei committebantur. Plautus in Casaet. 1. sc. 2.

Obsignate cellas, referte anulum ad me.

Ad quem locum Lambinus addit cera id fieri moris fuisse. Sic quoque Possid. de D. Augustino scribit, nunquam illum clavem, *nunquam anulum* in manu habuisse, sed ab iisdem domus præpositis cuncta, & accepta, & erogata notari solita, quæ anno completo eidem recitarentur. Tertullian. vero apolog. adversus gen. cap. 6. mulieribus

bus usque adeo vino abstinere præceptum scribit, ut matronam ob resignatos cellæ vinariæ loculos sui inedia necarint, ubi Pamelius ex Rhenano *promptuaria* intelligit, quibus signa imprimebantur, quæ dum avellerentur, resignari dicebantur.

Quin & de lagenis, cibisque omnibus testatur Cicero ad Tiron. lib. 16. epist. 26. *sicut olim*, inquit, *matrem nostram facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ.* Est autem lagena (ut illud etiam breviter adnotarim) genus poculi angusti, ex qua non libere liquor effluere solet, conficiturque ex varia materia, & à viatoribus fere circumgestatur. Sunt qui eam definiant vas vinarium, quo à cupa vinum in mensa apportaretur: ideoque putent posse *fiascum* vulgariter dici. De ea meminit Martialis in Panaretum, fiebatque potissimum è fici radicum filis, ut scribit Plinius lib. 16. cap. 31. in antiqua vero inscriptione *laguna* dicitur, ex græco, ut videtur vocabulo ducta, ut conjici potest ex Athenæi lib. 7. in quo lagynophoriæ meminit, quod erat festum quoddam in quo cœnaturi discumbebant in toris & gramine stratis, ac reclinati è laguna quisque sua, quam domo attulisset, bibebant, Has, in-

Lagenæ.

Quid Lagena.

inquam, viri sive mulieres avaræ potissimum obsignare solebant, ne à famulis abligurirentur, aut veneno interciperentur, quas ut vidissent resignatas, servis irascebantur. Horat. lib. secundo epist. secunda.

Comis in uxorem posset quis ignoscere servis;
Et signo læso non insanire lagenæ.

Et Pers. Sat. 6. ait:

Curvus ob id minui senio, aut cænare sine unctо,
Et signum in vapidæ naso tetigisse lagenæ.

Id est, inquit Nebris, *nec tamen lagenas vino plenas obsignabo, quod avari faciunt pene naso signum tangentes, ut videant, salva ne sint signa.* Accedit Martial. testimonium cit. loco, qui Luperci tabulas signare recusans ait, *Nunc signat meus anulus lagenam.*

Cibi omnes obsignati.

Jam vero & de aliis rebus escariis ita Plautus in Pers. *Triparcos homines vetulos avidos bene ad mordere, qui salinum servo obsignant cum sale.* Habent hoc loco nonnulli codd. mass. *qui allium servo obsignant cum sale*, quod meo quidem judicio verisimilius est; allium enim, & sal cibus olim paupe-

Pauperum & servorum olim quis cibus esset.

rum, & servorum erat. Juvenal. Sat. 3.

Quis te cum sectile porum
Sutor, & elixi vervecis labra comedit?

Et

Et Pers. Sat. 4.

— *Tunicatum cum sale mordens*
Cæpe. —

Ut autem servorum & rusticorum usitatus cibus olim, & hodie fuit, sic quoque & inter militares cibos relatum est, quod veteribus militiæ hieroglyphicum fuerit, Hinc proverbium illud Græcis vulgare, *ne edas allia & fabas*, quo, teste Suida, significabatur tranquillæ vitæ amatoribus à bellis, ubi maximus allii usus, abstinendum esse. Et Aristophanes in equitibus *milites coëmptis prius allio, & cepis naves conscendisse*, dicit. & ibidem Alantopolam incitans, ait, *ut ô amice inalliatus strenue magis pugnes*, nam allium creditur bellatorum vires excitare. Sed Romanis quoque nautis allii esum familiarem fuisse indicant illa Anthemonidis militis apud Plautum in Pœnulo:

— *Tu autem plenior*
Allii' ulpicique quam sint Romani remiges.

Hinc & Galenus, allium, rusticorum theriacam appellavit libro 12. meth. med. cap. 8. At è diverticulo in viam redire licet, & quod ad ciborum obsignationem attinet non uniùs Plinii testimonio citato, libro & capite manifestum est *At nunc cibi quoque & potus anulo vindicantur à rapina,*

Sed

Sed & Theophrasti auctoritate comprobatur, dum in cap. de obscænit. hominem obsoletissimum his verbis notat. *Et reliquas de mensa raphanorum dimidias partes obsignare, ne forte capiant pueri qui ministrant.* Quin etiam ejusdem consuetudinis apertissime meminit Juvenalis satyra 14. ubi tenacissimi hominis sordes insectatur, qui ad avaritiam exercendam verbis, & exemplis filium instituere conaretur, servis nimirum cibos subtrahendo coctis fabis, & piscibus nimio jam æstu putridis (quos vernaculo sermone *sardillas* appellamus) signa imprimendo ne clam à servis ederentur. Ejus verba sunt.

Servorum ventres modico castigat iniquo,
Ipse quoque esuriens: neque enim omnia sustinet unquam
Mucida cærulei panis consumere frusta
Septembri, nec non differre in tempora cænæ
Alterius concham æstivam cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio putrique siluro,
Filaque sectivi numerata includere porri.

Ad quod etiam Martialis respexit l. 14. epigr. 79.

La-

Ludite lascivi, sed tantum ludite servi,
Hæc signata mihi quinque diebus erunt.

Cæterum non domestica solum, sed & quæ foris essent certis signis obmunita fuisse observare est: maxime vero apud armentorum custodes qui, ut pecus suum ab alieno internoscerent, signa quædam ei imprimere consueverunt, quæ quoniam ferro candente urebantur à Græcis ἰστιγμαὶ dicta sunt addam verba Isid. ex lib. 20. orig. cap. 16. *character & ferrum coloratum*, malim ego caloratum, *quo notæ pecudibus inuruntur*, character autem græce, latine forma dicitur. Meminit hujus consuetudinis Calphur. ecl. 5. *Armenta & greges.* *Character quid sit.*

— *vivi quoque pondera melle*
Argenti coquito, lentumque bitumen aheno,
Impressurus ovi tua nomina.

& Aracreon.

Equi solent inustum
Coxis habere signum.

Sed omnium optime Virgil. primo Georg.

Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis.

& rursus in 3.

Continuoque notas, & nomina gentis inurunt.

Denique Apul. lib. secundo de As. aur.

Nec

Nec non & equum illum quoque meum reducentibus, quem diversum distractum notæ dorsualis cognitione recuperavimus.

Mancipia sive servi.

Verum prætèr greges, & jumenta, de quibus diximus, mancipiis quoque ipsis distinctionis, & custodiæ causa notas quasdam veteres inurebant. Hinc vir eruditissimus Andreas Alcia. Pareg. jur. lib. 1. cap. 26. observat in servorum corporibus signa cujusque Domini imprimi solita, quo agnosci in perpetuum possent, quod etiam labeonis responso comprobatur, quo tamdiu fugitivos custodiendos traditur, quamdiu ad præfectum vigilum, vel ad provinciæ præsidem deducantur, eorumque nomina, & notæ sive signa ad Magistratus deferantur. Unde *literatos*, *stigmaticos*, *& inustos servos* apud Dionem lib. 19. histor. Rom. & Plautum, & *inscriptos* apud Martialem non uno loco appellatos, invenies. Erat enim inscriptio antiquum genus supplicii, quo summa irrogabatur ignominia, cum liberi hominis facies signis perpetuo mansuris, profundis characteribus incideretur. Ejus supplicii meminit Seneca lib. 3. de ira. Eæ vero incidebantur literæ, seu etiam verba quæ crimen indicarent causamque notæ puta, *cave à fure: à fugitivo.* Sæpe etiam plurium verborum

Inscriptio quid antiquis.

fuit

fuit inscriptio; memorat enim Jo. Zonoras annal. Tom. 3. quosdam, quod Imperatorem Theophilum liberius monuissent, inscriptos fuisse, & quidem ita, ut duodecim versuum epigramma exciperent illa vultus, ut ita dicam, tabula. Qua etiam ignominiæ nota affici solitos Christianos confessores docet Pont. diac. in vita S. Cypriani, dum ait: *Quis denique tot confessores frontium notatarum secunda inscriptione signatos, & ad exemplum martyrii superstites reservatos incentivo tubæ cælestis animaret.* Quin etiam ut scribit Briss. l. 6. de form. venalitiorum servorum trans mare advectorum pedes creta notabantur, eratque hoc insigne venalitiis gregibus, & mancipiis, ut cretatis, sive gypsatis pedibus incederent.

Arbores præterea sigillis à propriis dominis consignari solitas, indicio est lex illa, qua dominium per ea signa argui posse probatur. L. quoque si neque ff. de peri. & commo. rei vendi. Et ut discas, quantum fidissimo custodi ab antiquis tributum esset, Plutarchum in Pompejo videre licet, cum enim accepisset Pompejus, milites in itinere flagitia committere, gladios eorum obsignavit, & qui signum amovisset, in eum consulebat. *Arbores.* *Gladii militum vaginis obsignati.*

Sed jam quod de sigillorum usu reli-

reliquum est paucis expediamus. Id adeo priscis illis temporibus hominibus familiare fuit, ut tuta universa fere, custoditaque eo redderentur. Hoc pacto Suidas, quem refert vir eruditissimus Cæsar Bar. tom. 8. ad an. Christi 627. num. 23. cum de Heraclio pientissimo Imperatore, & Sanctissimæ crucis acerrimo propugnatore, atque recuperatore verba facit, hæc habet. *Ipse vero acceptis vivificæ crucis lignis obsignatis, quemadmodum accepta fuerant, atque permanserant, Hierosolymam profectus Modesto Pontifici, & clero monstravit. Hi & sigillum incolume, & intactum agnoverunt, & clavem ab eo sumserunt, & adorarunt.*

Crucis ligna obsignata.

Hanc ipsam usus multiplicitatem indicant quoque crebra Sacrorum Conciliorum decreta cum ad actorum ipsorum consignationem, quæ passim legentibus occurrunt, tum ad alios item usus spectantia. Est id ejusmodi quod in XVII Toleta. Concilio sub Sergio Pontifice Maximo decretum habetur circa Baptisterii obsignationem ab initio Quadragesimæ ad Cœnæ Dominicæ celebritatem usque. *Licet initio Quadragesimæ* (verba decreti sunt, cujus hic placuit exemplum subnotare) *baptizandi generaliter claudatur mysterium, tamen Ecclesiasticæ con-*

Acta conciliorum.

Baptisteria intio Quadragesimæ obsignari solita.

consuetudinis ordo depoſcit, neceſſe eſt, ut oſtia Baptiſterii in eodem die Pontificiali manu anulo ſignata claudantur, & uſque in Cœnæ domini ſolennitatem nullatenus reſerentur, ob id videlicet, ut & per ſignaculum Pontificum excepto graviſſimæ neceſſitatis obventu, in his diebus monſtretur, per totum orbem non licere fieri Baptiſmum, & ſanctificationem iterum epiſcopali ad eam obſervationem reſerata ſignetur Dominicæ patere myſterium reſurrectionis, in quo ad vitam factus eſt aditus homini, ut quia per Baptiſmum conſepultus eſt in morte Chriſti, reſurgat cum eo in gloria Dei. Quod quia in aliquibus Eccleſiis minime hæc ſancta conſuetudo ab epiſcopis cuſtoditur, atque peragitur: ideo per hanc noſtram ſententiam ſancimus, atque decernimus, ut ita à totius Hiſpaniæ & Galliarum Pontificibus cuſtodiatur quatenus in prædicto die initii videlicet Quadrageſimæ & oſtia Sancti Baptiſterii cum laudum conſumatione claudantur, ab Epiſcopis ſuorum ſignaculo obſignentur, ita ut niſi in Cœnæ domini celebritate, quando more ſolito altaria debent deveſtiri, eadem debeant oſtia reſerari. Hactenus canonis verba.

Sepulchrum Chriſti ſignatum & quomodo.

Sed neque ipſum Dominicum ſepulchrum (quod ultimum locum tenebit) ſigillis caruiſſe conjicimus juxta id D. Matthæi cap. 26. *ſignantes lapidem cum*

cum custodibus, quem signandi modum Nicephorus historiarum lib. 1. cap. 32. in hæc verba expressit: *Primum*, inquit, *sigillum sepulchro est impressum, quod & intactum permansit, & custodia militaris illa & genere alienigena, quæ in propinquo sigillum observabat. Præterea ingens lapis ad os sepulchri appositus.* & paulo post: *Traditum*, inquit, *nobis est, ab antiquis, Iudæos lapidem eum qui in salutiferum illud sepulchrum, pro operculo positus fuerat ad summum monumenti labrum, petramque illi inferne, se conjungentem ferramentis quibusdam fabrili lapicidarum arte perforasse, ferrumque ingens à fabro ex propinquo acceptum per utrumque foramen immisisse, & circi, sive anuli, atque ita firmiter capitibus commissis omni ex parte vinculum circumduxisse, ut lapis qualicumque modo loco suo revelli, aut saltem ratione aliqua moveri (nisi arte quapiam & vi adhibita necessario aut ferrum confringeretur, aut petra prorumperetur) non poterit. Atque ad hunc modum cum magna cura atque etiam signo appositio, cum sepulchrum firmissime communissent, custodia insuper competenti adhibita eos abiisse.* Hæc Nicephorus, quibus consentiunt ea, quæ Beda de locis sanctis cap. 2. testatur, dum ait: etiam suis temporibus illum superpositum lapidem monstrasse vestigia ferreorum vinculorum.

Sed

Sed libet hoc loco aliquid de veteri pecuniarum obsignatione, quam nos *depositum* dicimus, inferere. Fuit is distrahendæ obligationis modus, qui solutionis instar (ut & hodie) se habebat, cum oblata pecunia consignata deponebatur; quo facto confestim, uti nunc etiam, debitor liberabatur, ut in l. tutor. pro pupillo ff. de admin. tut. Deponebantur vero signatæ res interdum apud acta, vel officium. l. si fidejussor. in fine ff. qui satisd. cog. interdum etiam in Cimiliarchio L. litibus. de agric. & censit. lib. 11. C. L. ult. C. de bo. auct. jud. poss. vel alio publico loco L. acceptam C. de usur. quandoque etiam apud virum aliquem bonum judicis arbitratu l. ult. ff. de tab. exib. Ut plurimum autem apud ædem aliquam sacram L. si reus ff. de procur. & Cicero ad Atticum lib. 5. epist. ultima: *Græcis postulantibus, ut in fano deponerent, non concessi.* Quod ex aniquis moribus fluxisse puto, quibus consignatæ pecuniæ sacro commendari solebant, quasi tutiore loco esse non possent. Cujus rei exempla ex Græcis nobis idem Cicero lib. 2. de leg. suppeditat, & quod Herodianus scribit l. 1. hist. in illo incendio, quo Pacis templum Romæ conflagravit, magnam factam pecuniarum, quæ illic depositæ erant, jacturam.

Obsignatio pecuniarum, sive depositæ veterum quomodo fierent.

Ephesios quoque Dianæ templo pecunias signatas deposuisse. Dio Chrysostom. testatur oratione Rodiaca. 31. cujus verba ex interpretatione Thomæ Naogeorgi, hæc sunt, *Nostis haud dubie, Ephesios, apud quos multæ sunt pecuniæ, partim privatorum reconditæ in Dianæ templo, non solum Ephesiorum sed & hospitum, & hominum undecunque gentium, partim & populorum, Regumque (deponunt autem signatas eo securitatis gratia,) &c.* Atqui hunc ipsum in templis deponendi morem Trogus etiam Pompejus in epitome Justini libri 32. prope finem testatus est, ubi Annibalis calliditatem ad decipiendos Cretenses his verbis percurrit. *Admonitus* (Annibal.) *à Rege* (Antiocho) *in fugam cretam versus defertur: ibi cum diu quietam vitam egisset, invidiosumque se propter nimias opes videret, amphoras plumbo repletas in templo Dianæ, quasi fortunæ suæ præsidia signatas deponit: atque ideo nihil de illo solicita civitate, quoniam velut pignus opes ejus tenebat, ad Prusiam contendit, auro suo in statuis, quas secum portabat infuso, ne conspectæ opes vitæ nocerent.* In judiciis quoque idipsum contingebat: deponebant enim litigantes apud Pontificem certam pecuniæ summam, pro litis conditione, quam pecuniam, quod

Annibalis astus.

in

in ſacro deponeretur, ſacramentum vocabant. Sic enim Varro lib. 4. de lingua lat. in fine. *Ea pecunia quæ in judicium venit in litibus, ſacramentum à ſacro. Qui petebat, & inficiebatur, de aliis rebus uterque quingentos æris ad Pontificem ſignatos deponebant, de aliis rebus item certo alio legitimo numero aſſium. Qui judicio vicerat, ſuum ſacramentum à ſacro auferebat, victi ad ærarium redibant.* Præter iſta vero tabulæ etiam (ſupra indicatum) omnes pactionum, fœderum, & contractuum in delubris Deorum cuſtodiri ſolebant, Æditui fidei commendatæ. Papinianus in l. cum pater 77. §. donationis de legat. 2. *Donationis prædiorum epiſtolam, ignorante filio, mater in æde ſacra depoſuit, & literas tales ad Ædituum miſit: inſtrumentum voluntatis meæ poſt mortem meam filio meo tradi volo.* Quæ vero deponebantur pecuniæ, eæ in ſacculo conſignabantur l. ult. ff. de lege commiſſ. ſignis, ut ego quidem ſentio privatis, non ut quidam ſomniant, publicis. Quorum opinionem, præter varios Pandectarum locos, illud etiam Ciceronis in Verrem act. 7. ſatis refellit: *ipſe in tabellas refert, obſignat ſignis amicorum.* Ea gratia Nummularii quoque adhiberi ſolebant, id quod ex Apul. lib. 10. Metamorphoſ. colligitur, *Ne forte*

aliquis istorum, quos offers aureorum nequam, vel adulter reperiatur, in hoc ipse sacculo conditos, eos anulo tuo prænota, donec altera die Nummulario præsente comprobentur. Cæterum quid jam amplius? cum & arcana in hominum pectoribus, oraque ipsa sigillis clausa mystice comperias. De Alexandro Magno Plutarchus refert in Apophthegmatis tantum ab ipso sigillis tributum esse, ut cum epistolam à matre accusationes secretas in Antipatrum calumniasque continentem una cum Hephestione de more legisset, nihil quidem illum prohibuisse, anulum tantum sibi detraxisse, ac *illius ori sigillum imposuisse*, quasi obstricta amici fide, silenda obsignaret.

Hephestionis os ab Alexandro sigillo claditur.

Hæc sunt, quæ mihi innumeris curis distento multorum annorum vigiliis de veteri signandi more exiguo libello congesta inciderunt, ea ut grata vobis, jucundaque eveniant quam maxime opto; & cum sigillo Apostoli (de quo Illustrissimus Cardinalis Baronius annalium tomo primo ad annum Christi 60.) tractatum concludo. *Gratia Domini Nostri Iesu Christi cum omnibus vobis.* Amen.

FINIS.

NO-

NOMINA AUCTORUM, QUI

In hoc Opusculo laudantur, illustrantur, & emendantur.

A.

Achilles Statius. 67
Ælianus. 39
Alchernius. 7
Alciatus. 23.132
Alexander ab Alexandro. 20.26.43.50.
D. Ambrosius. 49.90
Appianus. 11.33.39
Apulejus. 106.116.125.131.139
Aristophanes. 123.139
Aristoteles. 8.47.123
Arnobius. 104
Artemidorus. 31
Asconius. 110
Athenæus. 68.127
D. Augustinus. 5.54.62
Ausonius. 62

B.

Baronius. 52.93.134
Bartholomæus Anglus. 83
Beda. 7.136
Beroaldus (Philippus.) 5.61
Bohemus (J.) 37.58
Bonfinius. 58
Borsærius (Hieronymus.) 52
Brissonius. 111.112.113.133
Brodæus. 9
Budæus. 20.56

C.

Cælius Calcagninus. 76
J. Cæsaris Commentarii. 95.120

Callistratus. 14
Calphurnius. 131
Capella (Martianus.) 41
Capitolinus (Jul.) 62
Cardanus. 47
Casaubonus. 6.21
Cato. 20
Chartal. (Jo.) 7
D. Chrysostomus. 118
Cicero. 24.25.28.29. 40.65. 72.73.74. 75.85.91.95.97. 98.100.101.106. 110.111.125.127. 137.139
Clemens Alexandrinus. 20.36.41
Codex Theodosianus. 87
Colvius (Paulus.) 109
Concilium Chalcedonense. 92
Cragius (Nicolaus.) 35
Ctesias. 27
Cujacius (Jacobus.) 19.21.108.117
Curtius. 27.67.74

D.

Daniel Propheta. 124
Demosthenes. 16
Dio Chrysostomus. 138
Diodorus Siculus. 27
Dion. 14.34.45.132
Dionysius Halicarnassæus. 63.65

E.

Esther. liber. 27
Etymologici auctor. 58
Eustathius. 19.57
Exodi liber. 18

F.

Felinus. 94
Ferrettus (Æmil.) 124
Festus. 104
Forcatulus (Stephanus.) 23
Frontinus. 83

G.

Gajus JC. 119
Galenus. 129
Gellius. 11.39
Genesis. 15.93
Gorlæus (Abrahamus.) 51
Gothofredus J.C. 37

D. Gre-

D. Gregorius Nyſſenus. 126
Gregorius Tholoſanus. 44
Gretſerus (Jacobus.) 44.53.117
Gruterus. 11.12.31.113
Guevarra (Antonius.) 43
Guidus Pancirolus. 88

H.

Hegeſippus. 28
Herodianus. 63
Herodotus. 62.72.79.80.82.125
D. Hieronymus. 7.110.112
Homerus. 18
Honejus. 113
Horatius. 29.90.96.119.128
Hotomanus. 110

I.

Jeremias Propheta. 41
Imola. 41
Joſephus. 45
Iſidorus. 4.6.33.37.38.41.104.131
Junius (Adrianus.) 19
Juſtinianus. 109.110.117
Juſtinus. 27
Juvenalis. 15.36.76.90. 102.114,115.128.130

L.

Lazius. 58
Levinus Lemnius. 48
Lipſius. 57
Livius. 12.34.56.60
Lucanus. 91
Lucianus. 46.48.73.74.76.77
Lucillius. 42
Lycophron. 14.57.124

M.

Machabæor. libri. 26
Macrobius. 9.10.20.32.40.43.51
Manutius. 24.111
Mardobæus. 50
Martialis. 9.50.109.109.112.113.123.128
Martinus Crom. Ponus. 73
Menander. 123
Meurſius. 43

N. Ni-

N.

Nicephorus. 136

O.

Orcus Apollo. 52
Origenes. 15
Ovidius. 49. 67. 76. 90 112. 115

P.

Pamelius. 127
Papinianus JC. 30. 120. 139
Paulus JC. 114. 120
Pausanius. 26
Persius. 128. 129
Philostratus. 13
Pierius Valerianus. 20. 32
Pighius (Albertus.) 12
Plato. 5
Plautus. 4. 16. 42. 46. 59. 67. 74, 75. 94. 105. 110. 115, 116. 124. 126, 129. 132.
Plinius. 4. 6. 9. 15. 18. 20. 22. 34. 38. 39. 43. 44. 47. 50. 122. 124. 129
Plinius junior. 98
Plutarchus. 27. 29. 69. 75. 85. 86. 89. 121. 140
Pollux. 40
Possidonius. 126
Polyænus. 16, 27. 79
Polydorus Virgilius. 87. 88
Propertius. 60. 123

Q.

Quintilianus. 98. 106

R.

Rabbi Abraham. 44
Raderus. 9
Rebuffus. 93
Rhodiginus. 9. 45
Robertus Titius. 75

S.

Salustius. 66. 91
Scævola JC. 116
Scriverius (Petrus.) 55
Seneca rhetor. 38. 49. 90. 97. 98. 108. 132
Servius. 72. 91
Sigonius (Carolus.) 33
Solinus. 50
Spartianus (Ælius) 11
Statius (Papinius.) 33
Strabo. 14
Stuchius (Gulielmus.) 11
Suetonius. 2. 12. 28. 34. 41. 44. 56. 95. 110. 121
Suidas. 57. 129. 134

T. Ta-

T.

TAcitus. 34.68. 107
Terentius. 4.6.29
Tertullianus. 21.37. 54.97.126
Theophraſtus. 6.123. 130
D. Thomas. 89
Thucydides. 46
Trallianus medicus. 48
Trebellius Pollio. 41
Trogus Pompejus. 138
Turnebus. 75

V.

VAlerius Maximus. 28.30.45. 49.98.104.115
Varro. 25.35.139
Virgilius. 1.0131
Ulpianus. J.C. 13,16. 33.101.108.109
Vopiſcus (Flavius.) 21.30

X.

XEnophon. 60
Xiphilinus. 28

Z.

ZOnaras. 130

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM,

A.

ACTA Conciliorum obsignata. 134
Adamanti primus Jacobus Treccia insculpsit. 43
Adrianus I. Pontifex Rom. plumbo signavit. 88
Ædes obsignatæ. 124
Ægyptii quomodo mundum depinxerint. 20
Ægyptii depictâ stellâ Deum significant. 52
Ægyptiorum ritus circa sacrificia. 72
Africani F. annulus. 48
Africanus pater prior gemmam ad signandum auro inclusam habuit. 43
Ἀκαρὲς, quid. 40
Alexander Abonotichita, Podalyrii se filium faciens, ac pro vate venditans, quomodo Chalcedonas deceperit. 76
Alexander jam jam animam agens, exemptum digito anulum Perdiccæ tradit. 27
Alexander M. Hephestionis os sigillo claudit. 140
Alligati testes qui. 104
Allia & fabas ne edas, proverb. 129
Allium Rusticorum theriaca. ibid.
Allium & sal olim cibus pauperum & servorum. 128
Amicorum aut majorum effigies nonnulli anulis gestabant. 49,50,51
An antiquis circum. 20
Annibal clade Romanis ad Cannas illatâ, ultra modium aureorum annulorum, quos mortuis detraxi-

traxerat, Carthaginem misit. 56
Annibal Marcello mortuo anulum detrahit. 29
Annibalis astus ad decipiendos Cretenses. 138
Annus unde sic dictus. 20
Antiochus Philippo cuidam filii imperiique totius curam, dato ei proprio annulo, committit. 26
Antistii Petronis interitus. 64
Anuli etymologia. 4
Anuli origo incerta. 17. *fabulosa.* ibid.
Anuli cur Doctoribus & Episcopis dentur. 23
Anuli Christianorum olim cruce insigniti. 54
Anuli an ad ornatum inventi. 20,21.23
Anuli curam Cicero Q. F. commendat. 24
per Anuli traditionem heredes olim designati. 22. 27,28.30
Anuli Diis parentibusque dicati. 31
Anuli aurei jus quibus olim competeret. 32.34
Anuli signatorii antiquitas. 15.17,18
usus ad sponsiones & arrhas. 15
Anuli signatorii cura olim ad matresfamilias spectabat. 21.36
Anulis plusquam animis credi dolet Seneca. 103
Anulo donari apud antiquos honorificentissimum habitum. 26
Anulorum usus quotuplex. 7
Anulorum auctoritati quoto ab U. C. anno forma constituta sit. 34
Anulorum usus an Iliacis temporibus vigerit. 18, 19
Anulorum luxus quandoque damna plerisque intulit. 38
Anulorum varia signa. à pag. 42. usque ad 56
Anulorum aureorum origo à quo. 35
Anulorum maxima copia antiquis. 56
Anulos iconibus bene merentium Principum signatos latrinæ aut lupanari admovere sub Tiberio capitale

pitale fuit. 49
Anulos Romani honoris ergo donabant. 7,8
Anulos plures gestare, turpe fuit. 36,37
Anulum aureum gestare servis vetitum. 32
Anulum tantum ferreum gestarunt Athenienses & Lacedæmonii. 34,35.
Anulum quibus nominibus prisci appellarint. 4
Anulus antiquis quanti fuerit. 24.28
sponsor voluntatis. 25,26
Anulus fidejussor extremæ voluntatis. 16
Anulus honorarius, insigne equestris ordinis. 7
Anulus sponsalitius B. Virginis ubi asservetur. ibid.
Anulus sponsalitius arrhæ loco datus. ibid.
Anulus cur circularis. 20
Anulus signatorius inter muliebria ornamenta non recensetur à J.C. 21
Anulus interdum majori natu liberorum traditus. 22
Anulus marito mortuo apud quos remaneret. 22
Anulus Pontif. Rom. cur Piscatorius dictus. 93
Anulus quo digito gestandus. 39. & seqq.
Apollonii Thyanæi anulus. 47
Arbores obsignari solitæ. 133
Arcæ signari solitæ. 123
Argillæ usus in libellis & epistolis consignandis. 72
Armenta signata. 131
Artabazi stratagema in literis mittendis. 82
Asiatica creta. 72
Assyrii singulos signatorios anulos gestant. 37
Athenienses Philippi epistolam non solvunt. 86
Athenienses tantum ferreum anulum gestarunt. 34
Auctores quinam scripserint de scriptione per notas. 84
D. Augustini signaculum. 54
D. Augustinus nihil unquam domesticum signavit aut clausit. 126
Augusti anulo quid insculptum fuerit. 44

Augustus moriturus signatorium suum annulum Agrippæ exhibuit. 27,28
Auribus annulos gestare antiquus mos. 42
Auro quando signatum & à quibus. 87
Auspices nuptiis adhibiti. 115

B.

Baptisteria initio Quadragesimæ obsignari solita. 134
Barbarorum mos auribus annulos gestandi. 42
T. Barulus moriens Lentulo Spinteri annulos suos tradit. 30
Bellerophontis mira continentia. 85,86
Britanni quo digito annulum gestarint. 41
Brutus cur morte filios suos damnaverit. 65.
ad Ciceronis testamentum signandum vocatus. 98

C.

CÆsar Pompeji mortui annulum accipiens illachrymavit. 29,30
Captatorum artes. 96,97
Cardani & aliorum ineptiæ de sigillis annulorum. 47,48
Caryatides saltantes annulo insculptæ. 27
Catellæ collo literæ alligatæ. 83
Cattorum fortissimi ferreum annulum, velut vinculum gestabant, donec sese cæde hostis absolverent. 34,35
Cellæ vinariæ sigillis signatæ. 126
Cera prima & ultima quid. 109
Ceræ cum lino usus ad obsignandum. 73
Ceræ diversi coloris usus apud Rom. Pontifices. 93
Character quid. 131
Χρησταφορεὺς, *Jovis epitheton apud Cares.* 52

Christi sepulcrum signatum & quomodo. 135,136
Christianorum signa in anulis qualia esse debeant. 51
Cibi omnes olim obsignari soliti. 128
Cibus pauperum & servorum quis olim esset. ibid.
Cicero Q. F. anuli curam suadet. 24
Cicero ob resignatam epistolam se excusat. 84
Ciceronis jocus in Afrum. 42
Ciceronis locus explicatus. 99,100. *restitutus.* 25
Cingere latus quid. 90
Classici testes qui. 104
Claudere latus quid. 90
Claves anulares apud veteres in usu. 55
Claves signari solitæ. 122
Clearchi anulo quid insculptum fuerit. 27
Colemanni decreta de transmittendo sigillo. 69,70
Collationem facere. 5
Columba fida nuncia. 82. *ei literæ creditæ.* ibid.
proprietas quædam intst. ibid.
Commodi Imp. sigillum. 57
Condalium & condulum antiqui vocabant anulum. 4
Conradini Neapolitani Principis mors unde. 38
Convivium ἔρανος dictum, quale. 5
Cornix, Morrhis Ægyptiorum regis, nuncia. 83
Crasso cur concessum duos anulos gestare. 37
Creta ad obsignandum usi veteres. 71
Cretæ & ceræ usus promiscuus. 73
Crispini industria contra Annibalem Marcelli anulo jam potitum. 60
Crucis signum olim in anulis Christianorum. 54
Crucis ligna obsignata. 134
Crucis signum in subscriptionibus testamentorum. 117
Crux cur signaculum dicta. 118
Cyrenenses ob anulorum pompam reprehensi. 39

D.

Δακτύλιος. 4
Darii anulo quid insculptum. 45
Davidis Prophetæ sigillum quale. 44
Decreta Regum Ungariæ de transmittendo sigillo. 69,70. *ut & Colemanni de eodem.* ibid.
Demarati pietas in patriam. 80
Demosthenis anulus. 47
Deorum imagines in anulis. 45
nefas apud Christianos. 51
Depositarum pecuniarum obsignatio. 137
Depositum quid. ibid.
Dextera pars olim sinistra vilior. 92
Digito minimo proximo cur veteres anulum gestarint. 39. & seqq.
Digitus annularis & medicinalis. 40
ignavissimus omnium. ibid.
index, cur salutaris dictus. 41
Doctoribus cur detur anulus. 23
Duces Veneti plumbo signant. 88

E.

ENeaustum quid. 88
Epicuri imago in anulis. 46
Episcopo cur detur anulus. 23
quo digito gestandus. 41
Epistola aliquando pro testamento. 110
Epistola an statim resignanda. 75
Epistola à priscis columbæ credita. 82
catellæ collo alligata. 83
Epistolæ amatoriæ sinu à fœminis perferri solitæ. 67
Epistolarum obsignandarum vetus formula. 71 & seqq.

Epistolarum resignandarum modi varii apud veteres. 76. & seq.
Ἐρανος, convivium quale. 5,6
Erasmi sigillum. 59
Etymologia anuli. 4
Excesti, Phocensium tyranni, duo incantati anuli. 47
Exterior dictus olim qui ad dexteram esset. 91

F.

Fabæ coctæ signatæ. 130
Falsarii nunquam defuerunt. 114
quomodo à Romanis puniti. 115
Federicus Imperator suspectas sibi epistolas non solvit. 86
Figmenta varia contra resignatores alienarum literarum inventa. 79
Cn. Flavius, Annii F. Appii Claudii Cæci scriba. 35. *Trib. pl. & Senator & Ædilis Curulis creatus.* 36
Fœminæ olim unico anulo contentæ. 37
Fœminis jure veteri non vetitum testari. 102
Funiculorum canabaceorum & sericorum usus apud Romanos Pontifices. 94
Furtiva scripta quis primus excogitaverit. 79

G.

Gabinii à Sexto Tarquinio proditi. 64
Galbæ anulus. 45
Galli quo digito anulum gestarint. 41
Gasparis Sollichii literas suspectas Imperator non resignat. 86
Gemma Conradini Principis Neapolitani. 38
Nonni senatoris quanti æstimata. ibid.

Gladii militum à Pompejo vaginis obſignati. 133
Gracchi in Mevium invectiva. 37.40
Græci principes quando plumbo ſignarent. 87
quando cerâ. 88
Græci quo digito anulum geſtarint. 41
Græci viliſſima ſupellectilia obſignabant. 124
Grunii Corocottæ ludicrum teſtamentum. 112
Gygis anulus. 47

H.

HEliogabuli luxus in anulis. 39
Hepheſtionis os ab Alexandro M. ſigillo clauditur. 140
Heredes per anuli traditionem olim deſignati. 22. 27,28.30
Hircius literas ad Brutum per columbam miſit. 83
Hirundines victoriæ nunciæ. ibid.
Hiſtieus quo figmento literas tranſmiſerit. 79
Homerus an à Plinio recte citatus. 18

I.

JAcobus Treccia primus adamanti inſculpſit. 43
Januæ obſignatæ. 123
Inſcripti ſervi. 132
Inſcriptio ſupplicii ſpecies. ibid.
Inſomnia de anulis quid portenderent. 31
Interior pro *ſiniſterior.* 91
Joſeph anulo à Pharaone donatus. 16,17.26.43
Ire interior & exterior quid. 90,91
Judas dat anulum Thamar arrhæ loco. 15
Jureconſulti veteres ſignata reſponſa reddebant. 23

K.

Κοκκίαννον, *quid.* 40

L.

Lacedæmoniis tantum ferreus anulus permissus. 35
Lacedæmoniorum stratagema in litteris mittendis. 80,81
Lagena quid. 127. *obligari solita.* ibid.
Laïs Corinthia per sigillum ab Amatore advocatur. 68,69
Laterones sive latrones qui dicti. 90
Latus intectum & nudum quod. ibid.
Lex Platonis in convivas avaros. 5
Lex Solonis de anuli signatorii venditione. 21
Libertini aliquando aureis anulis donati. 33
Librarii qui & unde dicti. 61
Lignis à vermibus exesis veteres pro sigillis usi. 56,57
Lini usus ad obsignandum. 73,74. & seqq.
Literæ sagittæ involutæ. 82. Vide epistola.
Literati servi cur ita dicti. 132
Locus Ciceronis restitutus. 25

M.

Macedonum mos circa anulos. 8
Macrianorum familia quale signum in anulis habuerit. 46
Manus læva dexterâ otiosior. 40
Marcus Princeps cur signum epistolæ combusserit. 65
Mardocheus ab Assuero anulo donatus & quid illo facto sit indicatum. 27

Materfamilias à suis inediâ necata & cur. 22
Matrisfamilias olim anuli signatorii cura commissa. 21.36
Matrumfamilias quæ olim circa res familiares solertia. 21
Mæcenas an furtivi scripti inventor. 79
Mæcenatis anulo rana insculpta. 45
Mena, Sexti Pompeii libertus, post proditam patroni sui classem, aureo anulo ab Augusto donatur. 34
Mentori cur ab Hermia anulus datus. 27
Messalinæ nuptiæ nefandæ. 115
Midæ anulus. 47
Morrhes, Ægyptiorum rex, cornicem nunciam habuit. 83
Mundus quomodo ab Ægyptiis pictus. 20

N.

Nefastus Plauto quis. 105
Nobiles ad signandum testes vocati. 97
Nobiliores testes priores signabant. 105
Nonnius Senator, propter gemmam xx. millibus sestertiis taxatam, ab Antonio, proscriptus. 38
Numularii cur adhibiti. 139,140

O.

Obsignandi res familiares quæ fuerit causa. 22
Obsignatio matutinis horis fiebat. 113
Obsignatio species vadimonii. 97
Origo anulorum aureorum à quo. 35
Oscilla quæ. 10

P.

Palla aurea quando signatum. 56
Parthi ignotam virtutem irridebant. 124
Patroni causarum anulis decorati. 36
D. Paulus comes ac stipator Petri. 92
cur in sigillo Pontificio ad dexteram Petri ponatur. 89
Pauperes an signare possent. 103
Pauperum cibus quis olim esset. 128
Pecuniarum depositarum obsignatio. 137
Persarum reges quale signum in anulis habuerint. 46
Persis quid sit donari anulo. 26
Petronii Antistii interitus. 64
Petronius Arbiter cur anulum fregerit. 68
Philippus Alexandro sigilli curam quando commiserit. 27
Phocus, Æaci F. cur à Fasæo, annulo gemmato signatorio donatus. 26
Platonis lex in convivas avaros. 5
Plinii junioris anuli signum. 45
Plinii sententia de anuli antiquitate examinata. 18
Plinius S. Scripturæ ignarus. 19
Plumbi usus ad signandum quando inceperit. 87,88
Pœni male apud Romanos audiebant, quod annulos in auribus gestarent. 42
Pompeji signaculum in anulo quale. 45
Pontifices Romani quando plumbo inceperint signare. 88
Pontificii sigilli forma. ibid.
M. Popilius moriens Opico Gallo anulos suos tradit. 30
Proletarii & capite censi qui. 104
Promethei Caucasi rupibus à Jove alligati fabula. 17

Prometheï Caucasi rupibus à Jove alligati fabula. 17
Promptuaria sigillis munita. 126
Ptolomæus Alexandri mortui digito anulum detrahit. 28
Pugillares, sive pugillaria, quid essent, eorumque usus. 61
multiplices fuere. ibid.
Pupillaris substitutio quando resignaretur. 119
Pyrrhi anulus. 45

R.

Resignandarum epistolarum modi varii apud veteres. 76. & s.
Resignandorum testamentorum ritus & formulæ. 118. & seq.
Resticulæ quæ? 73
Romani anulis scribas & milites honoris ergo donabant. 78

S.

Sacramentum vocabatur pecunia in sacro depositа. 139
Samothracius anulus cur sic appellatus. 4
Sardillæ pisces obsignati. 130
Sardonix ceram non aufert. 43
Scrinia olim signabantur. 123
Scripta furtiva quis primus inveuerit. 79
Scripturæ omnes contractûs signari solitæ. 94
mane tantum signabantur. 113
Seleuci anulus fatalis. 45
Senecæ querela in infidos. 102,103
Sepulcrum Christi signatum & quomodo. 135,136
Servi furtivi scripti inventores. 79
Servi insti, inscripti literatique. 132. & seq.

Servis vetitum anulum aureum gestare. 32
ut & statuas aliquas tangere. 12
Servorum mos ad statuas confugiendi. 12,13
Servorum venalitiorum pedes cretâ notati. 133
Servorum quis olim cibus esset. 128
Sexti Tarquinii astus in prodendis Gabiniis. 64
Sigilla Christianorum qualia esse debeant. 51
Sigilla oscilla dicta. 10
dono dari solita. 11
Sigilla Eratosthenis quid. 14
Sigilla ipsa cur transmitti solita. 68
Sigilla lignea à vermibus exesa antiquis olim in usu. 56,57
Sigilla pro clavibus antiquis in usu. 122
Sigilli vox antiquis proprie quid fuerit. 9
Sigilli vocabulo etiam statuæ grandiusculæ appellatæ. 11
Sigilli Pontificii forma. 88
Sigillorum sive fictilium icunculorum origo. 9
Sigillorum hujusmodi commutatio religiosa. 11
Sigillum antiquis plerumque anulus signatorius. 14
Sigillum alterius ostendere, tanquam procurator admittitur. 71
Sigillum saliva humectandi mos. 75
Signa epistolarum diligenter inspici solita, antequam legerentur. 59
Signaculum & signum ut differant. 14,15
Signaculi cura olim ad matres-familias spectabat. 21.36
Signandi varii modi. 42. & seqq.
Signare Romanis quomodo concessum. 43.108,109
ad Signandum quid primum homines impulerit. 22
Signatæ res ubi deponerentur. 137
Signis summa fides habita. 59
per totum caput.
Signum fidem faciebat à quo literæ darentur. 59,61

Sinistra pars dextera olim dignior. 89. & s.
Solonis lex de anuli signatorii venditione. 21
Sphynx quid. 44
Sponsaliorum apud antiquos forma. 115,116
Sponsalitius anulus. 7
Statuas aliquas tangere cur servis vetitum. 12
in Statuas antiquorum observantia. 13
Stellula, hieroglyphicum immortalitatis. 52
Stephanus III. Pontifex Rom. primus plumbo signavit. 88
Stylus quid antiquis. 74
Subscriptionis formulæ in testamentis quales olim. 117
Supellex universa obsignata. 124
Syllæ anulus. 45
Symbolum quid. 4,5
pro quavis arrha. 5,6
Symbolum dare. 5
de Symbolis esse. ibid. & 6

T.

Tabellarii qui & unde dicti. 61
Tabellæ amatoriæ à quibus perferri solitæ. 67
Tabellis ad scribendum frequentius veteres usi, quam membranis. 62
Tabulæ omnes contractûs signari solitæ. 94
Tabulæ Nuptiales obsignatæ, quomodo & quando. 115,116
Tartarorum Imperatoris sigillum. 58
Tegere latus quid. 90
Templi Pacis conflagratio. 137
in Templis deponebantur res signatæ. ibid. & seq.
in Templis tabellæ signari solitæ. 114
Tesseræ omnes à priscis symbola dicta. 6

Teſtamenta antequam obſignarentur, heredibus oſtendi ſolita. 95
Teſtamenta ubi aſſervarentur. 120,121
Teſtamenti plures olim tabulæ. 111
formulæ. ibid. & ſeq.
Teſtamentorum reſignandorum ritus & formulæ. 118. & ſeq.
Teſtamentum occiſi quando aperiretur. 119
Teſtamentum ludicrum Grunii Corocottæ. 112
Teſtamentum militis epiſtola contentum. 120
Teſtamentum aliquando à ſolo teſtatore ſignatum. 107
Teſtamentum antiquis quotuplex. 108
Teſtatores, ſignatores & obſignatores dicti. 102
Teſtes ad ſignandum Jureconſulti vocati. 97
ut & Nobiles. ibid.
Noti & amici. 98
Teſtes claſſici & alligati qui. 104
Teſtes pauperes ab obſignando rejecti. 103
Teſtes rogati ſignabant. 112
mane tantum ſignabant. 113
Teſtibus non neceſſe aperire quid tabulis contineretur. 101
Teſtium numerus ſeptenarius. 106
Thripideſta quid ſint. 56,57,58
Tiberii cubicula ſigillis & tabellis laſciviſſimarum picturarum exornata. 9
Timotheus dux ſigillum oppignorat. 16
Timoxeni ſtratagema in mittendis literis. 82
Tiribazus, antequam literas Regis Perſarum legeret, audituris prius ſigna oſtendit. 60
Tyranni imaginem in annulis geſtare vetitum. 49

V.

VAs quis appellatus. 25
Veneficia, excantationes & venena in anulis. 47
Verba in obsignatione testamenti adhiberi solita. 111, 112
Verres avidissimus anulorum. 66
quanti fecerit anulos signatorios, ejusque in iisdem surripiendis aviditas. 28, 29
Vitalianus, dum signum in epistola recognoscit, occiditur. 62
Ulyssis vinculum, adagium de rebus tuto obseratis. 18, 19
Ungariæ Reges per sigillum vocant. 69
Unguli nomine prisci anulum appellabant. 4, 5
Uxor quando anulo mariti signare non posset. 22
Uxores olim unico anulo contentæ. 37

FINIS.

ABRAHAMI GORLÆI
ANTWERPIANI

DACTYLIOTHECA,

SIVE

TRACTATUS

DE

ANULORUM ORIGINE,

VARIIS EORUM GENERIBUS ET USU APUD PRISCOS.

LUGD. BATAV.
Apud HACKIOS,
cIↃ IↃ C LXXII.

ABRAHAMI GORLÆI
PRÆLOQUIUM
DE
ANULORUM
ORIGINE,
VARIIS EORUM GENERIBUS ET USU APUD PRISCOS.

IPSUM gestare digitis Anulos non esse nuperi instituti tam notum quam quod notissimum; quo vero tempore horum usus primum cæperit non æque constare arbitror. C. Plinius Secundus, qui multus est in hâc materiâ Anulari & copiosior quam reliqui scriptores omnes cum Græci tum Latini, Trojanis temporibus posteriorem esse male pûtavit, ductus auctoritate Homeri, apud quem nullibi extat Anulorum mentio, utpote qui nodi, non Anuli nota, in condenda & obsignanda pretiosiore supellectile, prisci illius ævi homines usos referat. Fabulæ primordium à rupe Caucasea tradunt, Promethei vinculorum interpretatione fatali; quem Poëtæ Jovis ira, quod ignem è cælo furtim surripuisset, Caucaso adalligatum ferunt; liberatumque postremum ab Hercule Jovis indulgentia; hâc tamen lege,

uti in memoriam pœnæ vinculorum Anulum gestaret ferreum, cui saxi fragmentum esset inclusum: hoc fuisse Anulum, hoc Gemmam; hocque exemplo mortales in gratiam & honorem Promethei Anulos primum induisse digitis. Fabulæ etiam proximum, quod de Gygis Lydorum Regis Anulo, quo circumacto gestantem nemo cerneret, fertur, quamvis ejus rei auctorem habeamus Platonem in Politicis. Nobis certò constat longe ante bellum Trojanum Anulorum usum fuisse celebrem, idque ex Sacra Hebræorum Historia, quæ omnes aliarum gentium Annales antiquitate & fidei certitudine excedit. Tradit enim Moses Penteutachi Genes. capite 41: 42. Pharaonem Ægypti Regem post somnii regii interpretationem à Josepho factam, Anulum digito suo detractum ejusdem Josephi manui indidisse Anno Mundi cIↃ cIↃ cc LXXX. Et Gen. 38: 18. paulo ante refert inter ea quæ pignori sibi à Juda dari postulabat Thamar, popposciisse Anulum, quamvis vox Hebraica, qua ibi utitur Moyses, Sigillum non Anulum denotet propriè, idque σφραγιδοχικῶς pro Anulo sigillari. Fuit itaque pervetustus hujus gestaminis usus, nec facile dixeris quis primum instituerit. Regum & Principum ab initio fuisse insigne verisimile, deinde glisscente paulatim luxu sine discrimine sumptum. Venit autem è Græcia uti pleraque alia ad Romanos, nec

à prin-

à principio adeo frequens: nam præter Numæ & Servii Tulli Regum nullam in Capitolio ſtatuam Anulos habuiſſe auctor eſt Plinius, frequentior uſus non ante Cn. Flavium Annii F. deprehenditur, P. Sempronio Longo & L. Sulpitio Coſſ. A.V.C. CCCC. XLVIII. quo tempore tanta Senatus indignatione in plebem exarſit ob Cn. Flavium libertino patre genitum & Appii Cæci ſcribam, in Ædilem Curulem ac Tribunum Pl. invitis Patribus creatum, ut anulos ab univerſo eo ordine abjectos referant Annales. Fuit autem deinceps promiſcuus Anulorum uſus. Victoria demum Pompei Magni de Pyratis Aſia & Ponto ad Anulos gemmaſque mores Romanorum omnino declinavit. Simplices primum fuere Anuli, è metallo ſimplici, ferro, ære argento aut auro; poſtea multis hoc modis vitiavit luxuria, gemmas addendo exquiſiti fulgoris, cenſuque opimo digitos onerando. Ferreo Anulo utebantur Spartani & Macedones: ferreum à matre dono habuiſſe Seleucum Regem tradit Appianus, quem cum juxta Euphratem caſu amiſiſſet, iiſdem in locis poſtea, uti matri prædictum erat rerum potitus eſt. Longo quidem tempore ne Senatum quidem Romanum Anulos habuiſſe aureos conſtat, ſiquidem iis tantum, qui legati ad exteras gentes ituri eſſent publice dabantur: neque aliis uti mos fuit, quam qui ex ea cauſa publice accepiſſent,

idque in publico tantum; nam intra domos ferreis utebantur & Mario cum de Jugurtha triumpharet Anulus in digito ferreus erat, nec ante tertium Consulatum aureum sumpsisse traditur. Divo Augusto decurias ordinante major pars Judicum in ferreo anulo erat, scribitque Plinius avorum memoria multos illustres viros Prætura functos in ferreo consenuisse anulo, sicuti Calphurnium Manilium & L. Fussidium, idemque tradit sua adhuc ætate sponsæ anulum ferreum & sine gemma à sponso mitti solitum. Ex ære argentove quis primo gestaverit mihi incompertum. Fuisse tamen horum apud veteres frequentem usum ostendit ingens eorum qui cottidie eruuntur numerus. Ex integris etiam gemmis neglecto metallo fieri solitos, is quem penes me pulcherrimum ex Sarda habeo argumento est. Placuit & tandem vario artificum ingenio ipsa metalla miscere, aurum æri, argento, ferrove (quod etiam servitia in summa corruptela morum factitarunt) addendo. Habeo & quibus cum circulus totus sit aureus, sigillum tamen est gemmæ loco argenteum: & è contra quibus circulus est argenteus, sigillum vero aureum. Sunt & quibus sigillum ipsum est mobile, & hinc inde versatile. Cassum Litteratores appellant anulum qui simplex est & sine gemma, quo Flamines Diales apud Romanos usos esse constat; similis hodie ex

auro

auro ſponſæ datur loco ferrei veterum.

Modus geſtandi Anulos non unus apud antiquos Romanos, ut & nobis hodie: ſiniſtra manu gerere admodum erat familiare; hinc Plinius: Manus & prorſus ſiniſtra maximam auctoritatem conciliavere auro. Idque ſtudio & data opera in principio autumat factum, ab eo quem inventionis puderet, nam ſi honos ſecurus fuiſſet, dextra, ait erat oſtentandus: cap. 22:24. & ſi impedimentum in ea quis objecerit, longe majus in læva prætendi poſſe, qua ſcutum rapiebatur, niſi forte avaritiæ hoc datum quis putaverit, quo ſcilicet minus attererentur. Dextra etiam geſtari ſolitos illuſtri ex ſacra Hiſtoria exemplo comprobari poteſt, dico ex Jeremia propheta, apud quem Deus in hanc formam loquitur: Etiamſi eſſet Conia Filius Jojakim regis Judæ ſigillum in manu dextera mea, tamen inde evellam ipſum. Ex quo loco colligitur anulos ſignatorios dexteræ manui aptari ſolitos, utpote digniori & magis conſpicuæ. Digitis qui minimo proximi ſunt gerere mos fuit primum, poſtea pollici proximo induere, idque etiam in deorum ſimulacris: deinde juvit & minimo dare: qui indici dabatur κηρίων, qui minimo ἀκρὲς dicebatur Græcis. Galliæ Britanniæque in medico dicuntur uſæ, qui ſolus olim apud Romanos excipiebatur, quia infamiæ contumelia notatus ab Athenienſibus,

κηρί-

κιναίδος dictus ob eandem causam, quasi, Cinædus & scortum. Cæteri omnes onerabantur, atque etiam privatim articuli minoribus aliis, erant qui tres uni minimo congerebantur: huc spectat illud Martialis:

Sardonychas, Smaragdos, Adamantas,
Iaspides uno
Portat in articulo Stella, Severe; meus.

Alii vero huic unum tantum dabant, præsertim quo signanda notabant. Hinc fuit ut major anulorum sigillarium qui hodie reperiuntur pars circumferentia (περιφέρειαν Græci dicunt) adeo sit arcta seu angusta ut nisi raro admodum alii quam minimo digito aptari possint. De hoc Anulorum genere Plinius: conditur, ait, ut res rara, & ad injuriæ usus indigna velut à Sacrario promitur; & unum in minimo digito habuisse pretiosioris est in recondito supellectilis ostentatio. Maximinus Cæs. ut & hoc εἰς παράρρησον addam, pollice erat tam vasto, ut, referente Julio Capitolino, uxoris dextrocherio uteretur pro anulo. Illud non omittendum, antiquis persuasum fuisse in anulari digito esse venam (Agell. l. 10. c. 10. Macrob. Saturnal. l. 7. cap. 13.) quæ à corde derivata eo pertingeret, hincque digitum illum præ reliquis magis aurea corona condecoratum, gemmasque additas quo vis earum abdita subsidio hujus venulæ in cor deferretur, idque muniret adversus venena, pestem

aliasve

aliasve injurias internas & externas: in quem finem, qua parte inseritur anulo gemma, ab adverso aurum non habet, quo scilicet ipsam cutim contingeret, promtiusque vires suas cordi fundere possit, cum omnis actio, teste Philosopho, fiat per contactum, sed hæc λήρει λήρων. Constat enim ex corporum sectione & Medicorum scriptis, non magis anulari quam aliis digitis à primo hominis ortu concessas venas arteriasve, quæ à principio suo & fonte in singulas corporis partes distribuuntur ita, ut digitus anularis in hac partitione peculiari non gaudeat privilegio, aut naturæ indulgentia, ut non necesse fuerit ob hanc causam eum reliquis præferri digitis. Causa finisque gerendi anulos ab initio fuit luxus opumque ostentatio, quo lautioris fortunæ à tenuioris conditionis hominibus distingui se cupiebant, & quamvis, uti diximus, primi anuli rudiores & ex simplici metallo extiterint, argumentum tamen erant opum & splendidioris fortunæ; postea cum gemmæ addi cæpere, hæ vera luxuriæ æstimata gloriâ digito urbis aut fundi gestare pretium, nec scio an in ullo magis peccatum magnitudine pretii, ut non immerito exclamaverit Plinius lib. 33. cap. 1. & 2. Pessimum vitæ scelus fecit qui anulum aureum primus induit digitis; proximum huic qui primus ex auro denarium signavit, quod & ipsum latet auctore

re incerto. Hiſce initiis cœpit auctoritas in tantum amorem elata, ut Polycrati Samio Tyranno fœlicitatis ſuæ (quam nimiam fatebatur eſſe ipſe) ſatis piamenti in unius anuli voluntario damno videretur, planeque & abunde ab invidia ejus ſe redimi putaret, ſi hoc unum doluiſſet. Aſſiduo ergo gaudio laſſus, profectus navigio in altum anulum merſit: at illum piſcis eximia magnitudine regi natus in culinam domini rurſus fortunæ inſidiantis manu reddidit Sardonychem hanc gemmam fuiſſe ait Plinius, oſtenſumque ſi libet credere, adhuc ſuo tempore Romæ in Concordiæ delubro cornu aureo Auguſtæ dono incluſum. Herodotus tamen & alii Smaragdum fuiſſe aſſerunt. Inter Cæpionem & Druſum ex anulo in auctione navali inimicitiæ cœpere, unde, pudendum dictu, origo ſocialis belli & exitia rerum. Nonii Senatoris anulus xx mill. ſeſtertium æſtimatus, nonne patrono ſuo cauſa proſcriptionis & exitii fuit? Poſtremum tanta Romanorum in hoc geſtamine veſania fuit, ut anuli ad anni tempora commutarentur, eoque luxus perventum, ut leviores æſtate, ponderoſiores hyeme geſtarentur. Quo ſpectat illud Juvenalis Sat. 1.

Ventilet æſtivum digitis ſudantibus aurum.

Proh rerum dominos gentemque togatam! quorum majoribus interdiu & noctu ſcutis ponderoſiſſimiſque armis gravare

vare grave non fuit, iis ſcilicet moleſtum erat ſolidiores æſtate induere anulos. Elagabalus Princeps ad omnia fœda natus, cottidie novis digitos onerabat anulis, quoſque pridie geſtarat, poſtridie rurſus ſumere dedignabatur profligatæ vitæ homo. Sed hæc perditæ luxuriæ veſtigia. Verum enimvero quantumvis ad ornatum luxuſque oſtentationem primum adinventos libenter fateamur anulos, originemque concedamus pudendam; factum tamen deinceps ut ad honeſtiores uſus tranſlati ſint, ſignandi dico munus: quam etiam unicam inveniendi anuli cauſam apud Macrobium aſſignat Attejus Capito. Anulis vero ſignare eſſe antiquiſſimi inſtituti ex plurimis Sacræ Scripturæ locis doceri poſſet, præcipue ex Geneſeos capite 38. 18. Ubi vox Hebraica, Chotam, חותם, hoc eſt ſigillum, pro anulo ſigillari à Moyſe uſurpatur. Et Exodi 28:11. item Exodi 39:6. 14. idem Moyſes meminit ſigillorum & gemmarum ſculptarum inter ornamenta ſummi ſacerdotis. Iſabel præterea Achabi Samariæ Regis uxor literas quibus Naboth injuſte occidi jubebatur, regio ſigillo obſignaſſe legitur. 3. Reg. 21:8. Romani ab exteris acceptum hunc anulis ſignandi ritum, tam avide amplexi ſunt, ut non ſolum in Epiſtolis ultro citroque mittendis aut rebus pretioſis condendis uterentur, quin etiam cibos & potus hac ratione à rapina vindicarent,

carent, claveſque etiam ipſas ſignarent. Certe matronam quod loculos, in quibus erant claves cellæ vinariæ, reſignaſſet, à ſuis inedia mori coactam inter vetera exempla legimus. Hinc & illud Comici: Omnes relevi ſerias; ſcripſitque M. Tullius matrem ſuam lagenas etiam inanes obſignare ſolitam fuiſſe, ne dicerentur inanes aliquæ fuiſſe quæ furtim eſſent exſiccatæ. Anulo teſtamenta ſubſignabantur, poterantque omnes teſtes uno anulo id facere, idemque quando non erat arra velocior, ad ſponſiones exiliebat. Ægyptiorum ſacerdotibus nullum animal licebat attingere, quod ſacro ſigillo non fuiſſet notatum. In Lemno inſula Sacerdos Dianæ Rubricam terram ex antro quodam effoſſam, caprinoque ſanguine ſubactam, capræ imagine in anulo expreſſa ſignabat, nec aliter vænui exponebatur: unde Lutum hoc σφραγίδα, quaſi dicas ſignaculum, vocarunt Græci: Erant itaque olim, ſicut & hodie, anuli fidei & voluntatis noſtræ ſymbola & mentis ſecretæ fidi indices: unde Alexander Magnus anulo Hepheſtionis ori indito ſilentium illi hac ratione imperaſſe legitur, ne ſcilicet, quas illi monſtrarat litteras, alicui vulgaret. In fidei & amoris conjugalis ſignum ſponſus ſponſæ olim mittebat anulum, quem pronubum appellat Tertullianus; nec, teſte Iſidoro Hiſpalenſi l. 2. de Etymol. fœminæ utebantur aliis anulis,

lis, quam quos virgini ſponſus miſerat, neque amplius quam binos aureos in digitis habere ſolebant. l. de cultu fœmin. Quod in primis nuptiis, idem ait, anulus à ſponſo ſponſæ datur, fit nimirum vel propter mutuæ dilectionis ſignum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur, l. 2. de Divin. off. l. 15. unde & quarto anulus inſeritur digito, ideo quia in eo vena quædam, ut fertur, ſanguinis ad cor uſque perveniat, de qua re quid ſentiendum paullo ante monuimus. Ab hoc ſignandi uſu Græci & Latini Anulum uno conſenſu Symbolum, quem priſci Graji à digitis Δακτύλιον, Latini ungulum dicebant, nam anuli nomen à circulari figura deſumptum vulgo notum eſt, quod & podici ob eandem cauſam datum, Anum enim quaſi anulum vocamus.

Quæ Anulis inſculpi ſolebant variæ & diverſarum rerum erant effigies, prout cuique libitum foret aut in mentem veniſſet: modo deorum dearumve, modo hominum animaliumque brutorum imagines fingendo, modo rei geſtæ Hiſtorias exprimendo. Divorum effigies in anulis an geſtari conveniat diffuſe apud Macrobium diſputat Attejus Capito, & Plutarchus in Numa. Fuit autem olim ut & hodie duplex exprimendi effigies in quacunque materia modus, Scalptura & Cœlatura; illam γλυπτικὴν vel διαγλυφικὴν, hanc

hanc ἀναγλυφικὴν, aut ἀναγλυπτικὴν appellant Græci; illa excavando materiam opus ſuum ſcalpro exercet, inciſaſque exhibet imagines rerum: illa circumcidendo materiam cælo eaſdem prominentes vel protuberantes exprimit: opponunturque ſibi mutuo Scalpere & Cælare. Plinius Secundus Nepos Ἀποσφράγισμα vocat omne id quod ſigillo inciſum. Hac arte apud Græcos ante omnes excelluit Pyrgoteles, à quo ſolo Alexander M. vultum ſuum in gemmis exprimi volebat & Dioſcorides ſigillorum Auguſti ſcalptor nobilis. Ab initio autem quando innocentior erat ætas, non in gemmis ſed in metallo incidebantur aut cælabantur, ſimplici ferro, ære, argento, & auro. Quem Seleucus Babyloniæ & Mediæ poſtea Rex à matre dono habuit, ancoræ effigiem ferro inciſam habuiſſe auctor Appianus. Claudii etiam Cæſ. principatu nullas admittebant gemmas in anulis cælatas ſcalptaſve aut auro ipſo ſignare tunc ſolemne fuit: Et quibus liberti Principis adeundi poteſtatem indulſiſſent imaginem ejus in anulo ex auro dabant. Hujus generis habeo in loculis meis unum aut alterum quos ſuo loco exprimendos curavi. At hominum vanitas non contenta puro metallo, gemmas addidit, in quibus varias juſſit fingi cælarique imagines, ut alibi ars, alibi materia eſſet in pretio. Nec ullum fuit lapidis pretioſi genus modo aut ſcalpro

aut

aut cælo corrumpi posset, quod antiquis illis luxuriæ Magistris intactum sit relictum. Soli Adamanti ob indomitam, ut credebatur, duritiem parcitum; sed hunc quomodo vitiaret ætas etiam nostra reperit, primusque hujus inventi auctor celebratur Mediolanensis quidam Jacobus Treccia, qui Philippi Hispaniarum regis gentilitia insignia Adamanti summa arte insculpsit. Etsi vero, ut dixi, omnes fere gemmæ ad usum sigillorum inciderentur aut cælarentur, tres tum maxime omnium ad hos usus aptabantur Achates, Onyx, & Sarda, eo quod ceram non traherent, pulcherrimeque ac sine labe effigiem exprimerent. Porro quisque ut libitum erat, & prout cuique in mentem venerat, hoc vel illo Aposphragismate utebatur. Isemenias Choraules Amymonem Danai regis filiam Smaragdoin sculptam in anulo gestabat. Scipio Aphricanus imaginem patris. Lentulus avi, multi ipsius Epicuri, hoc fausti ominis generi & nomini suo arbitrati fore. Sulla traditione Jugurthæ semper signavit, unde discordiarum origo inter eum & Marium: Lucullus Ptolomæi Regis Ægypti in Smaragdo effigiem inter rariſſimos habuisse dicitur: Pompejus Leonem ensem ferentem sigilli loco habebat. Lacedemoniorum Rex Arius, teste Josepho lib. 12. cap. 2. Aquilæ sigillo utebatur draconem unguibus comprehendentis. Intercatensis

sis ille Hispanus, cujus patrem Scipio Æmilianus ex provocatione interfecerat, pugnæ ejus effigie signabat, vulgato Stilonis Præconeni sale, quidnam fuisse acturum eum si Scipio à patre ejus interemptus esset: Mecænas Rana signavit. D. Augustus inter initia Sphinge, mox ad evitandum convitium, Alexandri Magni imagine, notavit & sua, quam illi Dioscorides artifex similem admodum expressserat. Dicitur Alexander victo Dario, quas in Europam destinabat litteras, sua; quas vero in Asiam, Darii imagine signasse. Trebellius Pollio in vita Quieti Macriani scribit, in familia Macrianorum peculiare fuisse cum fœminis tum viris, nunquam aut domi aut foris sine imagine Alexandri Magni esse.

Principes qui Augustum sequuti sunt, partim Augusti ipsius, partim suomet vultu signarunt, ex parte etiam alia imagine pro libitu; quemadmodum Nero qui Marsyæ effigiem ab Apolline superati & ad arborem excoriati in sigillo gerebat. Et Commodus Amazonis signo notabat. Reliqui illustres Romani Cæsarum, qui pro tempore rerum potiebantur, vultu signabant. Hos anulos quemadmodum & numos latrinæ aut lupanari inferre, locove obscæno admovere, capitale erat sub Tiberio, quo tempore fuit accusandi frequens & pene publica rabies, quæ omni civili bello gravius togatam civitatem con-

confecit. Nota eſt Paulli viri Prætorii apud Senecam hiſtoria, qui cum in convivio quodam cœnaret, imaginem Tiberii, anulo gerens exciſa & eminente gemma, accidit ut forte matulam ſumeret ad lotium reddendum, quod factum ſimul & Macro ex notis illius tempeſtatis veſtigatoribus notavit, at ſervus ilico patrono ebrio & non ſentienti anulum detraxit, cumque Macro convivas teſtaretur admotam eſſe imaginem Cæſaris obſcœnis, & jam ſubſcriptionem componeret, ipſo etiam reo fatente, oſtendit in manu ſua ſervus anulum, atque ita calumniatorem fruſtratus eſt. Neroni Principum flagitioſiſſimo Sporus Eunuchus, in ſignum nefandi conjugii more inaudito inter ipſos contracti, dono dedit anulum, in quo Proſerpinæ raptus cælatus erat. Galbam Imp. Majorum ſuorum ſigno ſemper uſum auctor Suetonius, cane nimirum caput ſub prora navis inclinante. Effigies vultuſque proprios in anulis circumferre, plebeis etiam admodum erat familiare. Hinc leno apud Plautum effigiem militis in literis agnoſcens, Purus putus eſt ipſus ait novi herus machæroplacides. Hactenus de ſignandi ritu ſeu ſecundario anulorum uſu, reliquum ut & de alia Anulorum prærogativa loquamur. Anulus aureus apud Romanos Equitum peculiare erat ornamentum, bellicæque virtutis inſigne, diſtinguebatque Equeſtrem

ſtrem ordinem à plebe, ſicuti tunicâ laticlavia ab anulis ſenatum; juſque anuli aurei habere perinde erat ac Equeſtri dignitate præditum eſſe. Unde milites cum magnis præmiis à J. Cæſare ſollicitarentur Arimini ut Rubriconem tranſirent, iſque digito arrecto fidem promiſſis daret, putavere ſibi ſingulis anulum & cum eo Equeſtrem dignitatem promitti. Plebi enim militibuſque gregariis, ſtante adhuc Republica & veteri diſciplina, fas non erat aureos geſtare anulos. Appian. de bellis Punicis. Hinc Aſdrubal Centurionum & Tribunorum cadavera cognovit, iiſque à Scipione rogatus jus ſepulturæ conceſſit. Et trimodia illa à Pœno duce Carthaginem miſſa, aureorum erant anulorum, referente Plutarcho, quos Tribunis, Centurionibus & Equitibus Romanis detractos, ad cladis magnitudinem demonſtrandam in patriam miſit Annibal. Verum quidem eſt multos Equitum & Senatorum, uti paulo ante retulimus, ferreo uſos eſſe anulo veterum exemplo, & ſanctiorum morum memoria: Cæſar Auguſtus cum jam conclamatus videretur, ſaluti ab Antonio Muſa Medico eſt reſtitutus ψυχροποσίαις & ψυχρολουσίαις, quo nomine pecunia ampla fuit donatus & ſtatua à populo ære collato, anulo præterea aureo ornatus, conceſſumque, idem juris non modo præſentibus ſed futuris qui Medicos ſe profiterentur. Tiberii

Prin-

Principatus anno nono constitutum, ne cui jus esset anuli aurei, nisi cui ingenuo ipsi patrique & avo paterno, sestertia cccc. m. census essent & lege Julia Theatrali in xiiii. Ordinibus sedenti, verum paullo post gregatim insigne id appeti cœptum, ut etiam servitute liberati manuque missi, ad ornamenta ea passim transilirent, adeoque promiscuum id esse cœpit, ut apud Claudium Cæs. in censura ejus unus ex Equitibus Flavius Proclus quadringentos ex ea causa reos postularet. Sep. Severus Imp. Jus anuli aurei omnibus militibus sine discrimine concessit. Postremum fuit & anulorum usus ad præstigia & medicinas translatus. Veterum enim superstitio multum iis in hac re dabat auctoritatis, existimans eos remediis atque incantationibus accommodatos. Huc spectant illa apud Aristophanem, ἐθέλειν φαλιμῶσαι, φορῶ γὰρ περίαμμα ἐν τῷ κόπτῳ. τὸ δακτύλιον τὸ ἐμὸν παρ' Εὐδάμου δραχμῆς. Fuit hic Eudamus præstigiator notus, veteris Comœdiæ convitiis proscissus, fiebant autem olim quemadmodum & hodie à quibusdam male feriatis hominibus Anuli certis imaginibus atque Characteribus insigniti, idque sub certo zodaici signo & ad certum astrorum aspectum, conjunctionem & quadraturam, ut vocant. Ita confectos qui gestaverit, perpetuo victorem & insuperabilem fore, nec venenorum malificio obnoxium, amabi-

lem & acceptum hinc reddi Principibus & Magnatibus, præcipueque hac ratione conciliari optatæ puellæ amorem impudenter asserunt. Apollonium Tyanæum anulos ab Iarcha Gymnosophistar. principe dono datos instar numinis habuisse ferunt, ita ut hisce quotidie per vices variatis, maximorum inde secretorum particeps fieret. Sunt & ex Medicis qui plurimum hisce Anulis ad remedia tribuunt, inter quos Alexander Trallianus non postremæ notæ Medicus, qui tradit imaginem Herculis supine jacentis leonemque strangulantis anulo inclusam digitoque gestatam peculiare amuletum esse ad dolorem colicum. Apud Aristotelem legimus veteres Medicos implicamentis quibusdam, seu, ut ipse ait, plegmatiis digitos inserere consueviſſe, quæ contexta forent veluti acetabula & Cirrhamenta in piscium quorundam pedibus. Arabes quinetiam videntur plurimum fidei hisce deliramentis tribuisse, unde & hodie adhuc multi reperiuntur characteribus Arabicis notati, Talismanos id genus anulorum patria lingua vocant. Tolerabiliores sunt qui gemmis ipsis plurimum attribuunt facultatis ad diversos corporis & animi affectus mulcendos curandosque, quamvis & hi in extollendis illarum viribus nimii, ne dicam, vani, sunt; talia hisce affingendo, quæ per somnia ut puto in mentem ipsis venerunt; inter quos Albertus

bertus Magnus primum obtinet locum: ut mirer Cardanum, virum & Philosophum & Medicum doctissimum in investigandis causis harum nugarum, bonas horas tam male locasse. Sed tædet amplius per has impietates & deliria decurrere, receptuique canam, dum hoc solum non ὡς παράρρον ἀνάλωμα addidero: desperatorum hominum ingenia excogitasse venena anulis cludere quo vitæ tædio affecti quotiescunque luberet necem sibi afferre possent finemque, uti existimabant, miseriæ suæ imponerent. Demosthenes summus Oratorum Græciæ hoc mortis genere prævenit Archiam Thurinum à Rege inimico immissum. Et Annibal simili occubuit letho, ne infidi Regis scelere hosti traderetur Romano. Cum M. Crassus duo millia auri pondo è Jovis Capitolini solio à Camillo ibidem condita rapuisset, ædituum custodiæ ejus deprehensum, fracta in ore anuli gemma statim expirasse, & ædituum ita extinctum referunt scriptores. Elogabalum mortis gratia etiam habuisse anulos traditur, quamvis monstro illi tam sedata mors non contigerit. Dactyliothecam porro seu Anulorum conditorium primus habuit Romę Scaurus privignus Sullę diuque nulla alia in urbe fuit, donec Pompejus M. eam quæ Mithridatis Regis fuerat inter dona in Capitolio dicaret multum prælatam Scauri, ut M. Varro alii-

que ejuſdem ætatis auctores confirmant. Hoc exemplo Cæſar dictator ſex Dactyliothecas in Æde Veneris Genitricis conſecravit & Marcellus Octavia genitus in Palatina Apollinis Æde unam. Hæc ſunt quæ è variis decerpta authoribus huic noſtro operi præmittere libuit, longe vero plura in hanc rem afferri potuiſſe non me fugit. Sed hoc in rem noſtram arbitratus ſufficere, Manum de tabula.

FINIS.

DE

ANNULO TRIPLICI:

USITATO,
SPONSALITIO,
SIGNATORIO:

Tractatus absolutissimus, in tres partes divisus.

AUCTORE
HENRICO KORNMANNO
Ex KIRCHAINA CHATTORUM.

LUGD. BATAV.
Apud HACKIOS,
cIↃ IↃ C LXXII.

HENRICI KORNMANNI
ex Kirchaina Chattorum,

DE ANNULO USITATO.

Pars prima.

SUMMARIA.

1 *Unde dicatur Annulus.*
2 *Annulorum uſus.*
3 *Annulorum geſtatio.*
4 *Annulorum ſpecies.*
5 *De Annulis ferreis.*
6 *De Annulis aureis & eorum jure.*
7 *Jus annulorum aureorum olim an Romanis promiſcuum Romæ fuerit.*
8 *Annulorum aureorum quando promiſcuus uſus cæperit.*
9 *Annulorum aureorum jus ex qua cauſa tribui conſueverit.*
10 *Annulorum jus quibus initio Romæ conceſſum.*
11 *Annulos quos & qui initio geſtarint Romani.*

12 *Annulorum quæ in castris differentia.*

13 *Annulos aureos quibus militibus gestare concessum.*

14 *Annuli aurei quando olim è digitis deponendi.*

15 *Annulus cur detur Episcopo.*

16 *Annulo quis digitus ornetur.*

17 *Annulorum sculpturæ variæ.*

18 *Annulis qualia diversi insculptæ seu infixa habuerint signa.*

19 *Annuli, qui in ratione pannicularia numerentur.*

20 *Annulo donari à rege apud Persas quid?*

21 *Annuli traditione à moribundo facta proximo assistenti quid priscis denotabat.*

22 *Annuli traditio heredis institutionem quodam modo arguit*

23 *Annuli traditio sola efficax non est ad plenam probationem.*

24 *Annuli traditio, an sufficiat ut quis fiat tradentis hæres.*

25 *Annuli detracti morientibus.*

26 *Annuli mutati in luctu.*

27 *Annuli cum mortuis combusti.*

28 *Annulus Corradini illi necis causam præbuit.*

29 *Annulus Polycratis in ore piscis inventus.*

30 *Annulus Pyrrhi novem Musas habebat insculptas.*
31 *Annulus Lydorum regis.*
32 *Annuli Somniorum.*
33 *Annulorum compositio.*

BENE (seu è re) est priusquam ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de ipsius significatione tituli referre, ut exordiar *cum Iurisconsulto Vlpiano in l. 1. ff. si certum petat.* Et quoniam juri operam daturum prius nosse oportet, unde juris nomen descendat *l. 1. in pr. ff. de justit. & jur.* Nisi enim nomen scieris, cognitio rerum perit, *Secund. Isidor.* & ut *Philosophus* ait 1. *Elench.* qui virtutes vocabulorum ignorant de facili paralogizantur, id est, decipiuntur. Idcirco Annulum, ejus usum necessarium & reliqua exponere volens, incipiam ab hoc unde dicatur.

Dicitur autem Annulus à circuitu sive à rotunditate. Graeci à digitis δακτύλιον appellavere. *Cicer. 5. Verr.* Sæpe enim nostri imperatores, superatis hostibus optime Rep. gesta scribas suas aureis annulis in concione donarunt. Fuerunt homines tam inepti, qui annulos etiam digitos à Latinis vocari crederent, auctoritate 1. *Unde dicitur Annulus.*

Plauti in Pœnulo: *Atque ut opinor, digitos in manibus non habent.* AG. *Quid jam?* MIL. *Quia incedunt annulis auribus.* Sed hi profecto nimis pueriliter delirant, neque Poëtæ jocum assequuntur. Irridet enim ibi Poëta Pœnorum morem, qui ac si digitos in manibus non haberent, annulos à manibus ad aures transferebant. Apud nos priſci Ungulum & Unguinum vocabant, poſtea & noſtri & Græci *Symbolon* dixere. Nam Symbolum nota eſt & ſignum, Annuli autem equeſtris ordinis notæ erant. Condulum quoque ac condalium veteres annulum nuncupavere teſte Feſto Plaut. in Trin. *In Thermodolio condalium es oblitus.* Ab Annulo *Servius* Annum reducit, quod in ſe redeat quaſi annulus, ad quam originem etiam *Virgilius* alludere videtur quum ait:

Atque in ſe ſua per veſtigia labitur annus.

Nam menſibus in ſe currentibus volvitur. Sol enim per duodecim Zodiaci ſigna excurrens annum conficit: Unde apud Ægyptios ante inventas litteras Dracone picto ſuam mordente caudam indicabatur. Alii à verbo Græco Ἀνανεόω derivant, quod ſignificat *renovo*, quia ſemper renovatur. Eſt & fluvius Mauritaniæ Annulus in quo Elephantes luna nova apparente

ſe

se abluunt. *Plin. lib.* 8. *cap.* 1. Authores sunt in Mauritaniæ saltibus ad quendam amnem, cui nomen est annulo, nitescente luna nova greges Elephantum descendere, ibique se purificantes, solenniter aqua circumspergi, atque ita salutato sidere in sylvas reverti. *Calepin. in verb.* Annulus.

De usu ejus infra de Annulo Signatorio. hoc saltem hic addam, quod *Aubanus* refert *de Asia lib.* 2. *cap.* 3. *Assyrii*, inquit, *Annulum Signatorium singuli habent, & sceptrum affabre factum, cui malum aut rosa, aut lilium, aut aliud simile sit impositum, sine insigni aliquo id gestare indecorum ac turpe creditum.* 2 *Annulorum usus.*

Veteres Græcos annulum habuisse in digito accepimus sinistræ manus, qui minimo est proximus. Romanos quoque homines ajunt, sic plerumque annulis usos. *Gell. lib.* 10. *c.* 10. Causa hujus rei infra patebit. 3 *Annulorum gestatio.*

Est quoque animadvertere, ut inquit *Alexander ab Alexandro Gen. dier. lib cap. ultim.* quod, minimo gestatur, *Achates* dicitur, quo vero index ornatur, *Coriannos*. Latini autem lævis materiæ annulum, qui minimo gestatur, *Æstivum* nuncupant. 4 *Annulorum species.*

Veteres annulo ferreo utebantur, *Plin. lib.* 33. *c.* 1. post augescente luxu, 5 *De Annulis cum ferreis.*

cum annuli ex auro & argento facti essent, ferrei servis, argentei libertinis relicti, aurei autem ingenuis attributi sunt. *Isidor. lib. 19. Etymol. cap. 32.* hinc, *Papinius 3. Mutavitque genus lævæque ignobile ferrum exuit.*

6 *De Annulis aureis & eorum jure.*

Olim jus aureorum annulorum beneficio principali tributum, ut loquuntur *Impp. Dioclet. & Maxim. in l. aureorum usus annulorum 2. Cod. de jure aureor. annul.* & servis non licebat: hinc & merito ad solemnia adhiberi non poterant, cum Juris civilis communionem in toto non habeant, *l. 20. §. servus. ff. de testam. & ibi Cujac.* sed ferreis utebantur. Postea vero ex constitutione D. Justiniani non jam ex necessitate hoc à principibus postulabatur, sed omnibus similiter subjectis regenerationis jus & aureorum annulorum datum est *c. propterea c facimus. Auth. ut libert. de cætero.*

7 *Jus annulorum aureorum olim an Romanis promiscuum Romæ fuerit.*

Licebat autem olim hos aureos annulos, nulli quam equestris ordinis hominibus gestare, hinc merito concessa aureorum annulorum usurpatione, ipsam quoque ordinis dignitatem concessisse princeps videbatur. Quod olim virtuti præsertim militari tribui solitum testatur *Cicer. in Verr. 5.* ut & jura imaginum. *Cicer. in Verr. 7.* Et tribuebatur habentibus in bonis 1400. qui census erat equestris. *Sueton. in Iul.*

Sic

Sic Arnobius 4. pecunia donat annulos aureos passim Plinii seculo 33. cap. 3. parcissime sub Vitellio. *Sueton.* Nunquam aut rarissime sub Alexandro Severo jus aureorum annulorum dabatur. *Lamprid.* jus aureorum annulorum impetrans libertus, non ideo eave ex causa libertus esse desinit. Proinde alimenta eadem ut liberto à patrono relicta recte consequitur. *l.* 1. *C. de jur. aur. annul.* invito aut ignorante patrono libertus jus aureorum annulorum impetrare non poterat. Plin. 10. Epist. *Rogo enim indulgeas jus Quiritum, quod à te volentibus patronis peto.* & alio loco: *Rogo des jus Quiritum libertis, quod à te peti me patrono peto.* *Cujac. 7. observ.* 14. possunt & fœminæ impetrare jus annulorum, ingenuitatis, natalium *l.* 4. *C. de jur. aur. annul.*

8 *Annulorum aureorum quando prominscuus usus cœperit.*

Tempore Hannibalis, quo Italiam omni clade belli pervastabat, jus annulorum aureorum fuisse promiscui usus *Plinius* asseverat. *referente Alex. ab Alexandr. Gen. dier. lib. 2. cap. 29.* Et virtuti olim præsertim militari tribui solitum testatur *Cic. in Verr. lib. 5.* ut & jura imaginum *Cicer. in Verrem* 7. Unde forte insignium & armorum nostri temporis usus ortum habet, de quibus extat *tractatus Bartoli* Equestri ordini, qui medium tenebat locum, nam duo ordines plebis scilicet & senato-

9 *Annulorum aureorum jus ex qua causa tribui consueverit.*

natorius Romæ à principibus editi erant, cui purpura ut patriciis & senatoriis uti non licebat, jus annulorum aureorum quo insigni à plebe secernebantur, & medius ordo notabatur, publice tributum ferunt. 33. *Plinius* 1.

Quod quidem jus non equitibus modo tanquam bellicæ virtutis insigne, sed & senatoribus & militiæ primoribus datum fuit. Is tamen ordo, etsi senatorio minor, magnæ tamen amplitudinis vigorisque habitus est: quippe erat auctus ampliſſimis honoribus & senatorio pæne par. Nam cum à principio originum ejecto Tarquinio & depulso metu regio in libertatem se urbs vendicasset, Brutus primus ex equestri ordine senatum supplevit, trecentosque delegit Senatores, quorum consilio & auctoritate niterentur. Lapsis deinde temporibus Cajus Gracchus Tiberii frater, & haud multo post, Livius Drusus Tribunus plebis uberiori compendio eum aliquando ordinem cum senatorio confundere decreverunt, utque plus dignitatis ferret, ut in senatum venire, & sententiam dicere liceret, lege sacrata, deinde plebiscito sanxerunt. Quibus etiam equitibus tributum est, ut tametsi à Senatoribus in Senatum allecti non essent, pro ea tamen, quod magistratus & honores gesserant, in Senatum venire

venire & ſuffragari ac ſententiæ jus, habere poſſent, qui ſunt *pedarii* appellati. Quin etiam Equites ſupra Senatores extulerunt, & velut principes plerumque antelati ſunt, &c. *Alex. ab Alexandr. Gen. dier. lib.*2. *p.*29.

10 *Annulorum jus quibus initio Romæ conceſſum.*

Illud tamen præcipiendum non cuicunque militi annulos aureos paſſim deferre licuiſſe, quia niſi ex primoribus militum, aut re magna & æſtimatione forent, aut præfectus, centurio, decurio, aut tribunus exercitui præeſſent, vel à principe aut prætore annulo aureo donati fuiſſent, illis impune uti non licebat. Ferreo enim militibus paſſim uti permittitur.

11 *Anulos quos & qui initio geſtarint Romani.*

Quem morem Perſæ uſurparunt, quibus neque aurum zonamve, aut monile, neque annulum, niſi regis munere collatum, deferre licet. Poſt temporum vero intervalla non modo annuli aurei, ſed diverſi generis munera velut ampla pretia militibus dari cæpere. Quippe Aurelianus Imp. gregariis militibus, ut per omne tempus militiæ fibulas haberent aureas, privilegium dedit. Severus ultra aureos annulos etiam domeſticas concubinas largitus fuit, quibus delinimentis militum animos emollivit & enervavit. Apud Macedones Chlamys & apex aureus munera regia fuere. Sertorius pictas chlamydes militi dona impartivit.

vit. Alexander Macedo uſum Perſicæ
12 ſtolæ. Vetuſto tamen more in Roma-
Annulorum quæ in caſtris differentia. nis legionibus ſolis Tribunis aureas fibulas habere; gregario vero aut manipulari, baltheos aut phaleras argento decoratas ferre permittitur: Ferturque Julius Cæſar milites tam cultos habuiſſe, ut etiam auro & argento politis armis ornaret. Tametſi Brutus in Philippis Tribunis fibulas aureas, ut probrum objectavit. Non ſic Spartacus, qui dum contra Romanos molitur arma, omnem auri argentique uſum militi interdixit. Præ cæteris Fabricius Cenſor tantæ abſtinentiæ & tam caſtigatæ diſciplinæ fuit, ut ſummos duces plus quam pateram & ſalinum ex argento in caſtris habere, edicto inhibuerit. Et Peſcennius Niger tantæ ſeveritatis, ut ſummoto omni argento in vaſis ligneis milites veſci juſſerit. Contra vero de Antiocho proditum eſt, qui tam prodigæ luxuriæ exercitum duxit, ut præter fræna & monilia, phaleras & armillas, atque ephippia, galeas & arma, etiam clavos aureos crepidis ſubjectos, & argentea vaſa ad ſpurciſſimos uſus, reliquamque ſupellectilem ex argento auroque intextam, militibus ferre permiſerit.

13 Alexander Severus cum reliqui mi-
Annulos au- lites paſſim haberent annulos, tribu-

mis

nis tamen centurionibus & legatis, aut his quibus ordo & imperium erat, aurei dabantur, à quibus sive in hostes ducere, sive castra metari, sive in prima acie & fronte locari, aut in subsidiis poni, vel in stationes & vigilias ire conveniret, tesseram milites petebant. Ipsi vero ab Imperatore, quod dari oportebat, signum assumebant, copiasque equitum & peditum, quoties dimicandum erat, ornari & instrui atque in aciem educi jubebant.

reos quibus militibus gestare concessum.

Moris fuit annulos aureos in luctu & funeribus funestisque casibus Reip. deponi & ferreos sumi. Scilicet arbitrati sine auro in luctu esse oportere, in quibus Imperatorum & Principum, aliorumque quos colebant, & præcipuo honore prosequebantur, aut majores imagines effictas exsculptasque habebant; hinc colligitur mulieres in luctu, aurum, purpuram & monilia deposuisse, atram vestem sumsisse. *Gothofr. ad l. 8. ff. de his qui not. infam.* Et Seneca Epist. 64. *Aurum fœminis ad lugendum constituere majores, non ut tamdiu lugerent, sed ut ne diutius.*

14 *Annuli aurei quando olim è digitis deponendi.*

Datur Episcopo Annulus propter signum pontificalis honoris vel signaculum secretorum. Hæc *Isid. lib. 1. de Eccles. offic. cap. 5.* Addit *Rab. Maurus lib. 1. de instit. cleric. cap. 4.* multa esse quæ ante carnalium minusque intelligen-

15 *Annulus cur detur Episcopo.*

gentium ſenſus occultantes Sacerdotes, quaſi ſub ſignaculo condunt, ne indignis quibuſque Dei Sacramenta aperiantur. *Demetrius Bulgariæ Archiepiſcopus in reſponſionibus ad Conſtantinum Cabaſilam de annulis Epiſcoporum*: *Apud Latinos*, inquit, *annulum ferre iis quidem, qui ſecundum ſpiritum ambulant, ſpiritualiter accipitur. Quemadmodum enim Eccleſiæ mundarumque & virginearum animarum nominatur ſponſus, ſic, qui ubique ſunt ſanctarum Eccleſiarum præſules ſponſi apellantur annulo accepto ut ſpiritus ſigillo quod & Salvator in digito id eſt ſancto Spiritu, ſe dæmonia ejicere incredulis dicebat Iudæis, qui eum convitio quaſi Beelzebub haberet, conſectabantur, & prodigum filium reverſum aureo annulo exornavit, &c.* Annulus in digito ait *Stephanus Eduenſis libr. de Sacramento Altaris cap.*2. Eccleſiam, cujus miniſter eſt, ſponſum Chriſto aſſociat, & fulgore ſuo dona ſancti Spiritus fulgentia demonſtrat. Item, *Innocentius III. lib.*1. *Myſteriorum Miſſæ cap.*61. Annulus eſt fidei Sacramentum in quo Chriſtus ſponſam ſuam Eccleſiam ſubarravit, ut ipſe de ſe dicere valeat, *Annulo ſuo ſubarravit me Dominus meus*, id eſt, Chriſtus, cujus cuſtodes & pædagogi ſunt Epiſcopi & Prælati annulum pro ſigno

ſe-

ferentes in teſtimonium. *Idem Innocentius III. eodem lib. cap.* 46. annulus digiti donum Spiritus ſancti ſignificat: Digitus enim articulatus atque diſtinctus Spiritum ſanctum innuit ſecundum illud: *Digitus Dei eſt hic.* & alibi: *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia.* & poſtea: *ipſe vero de plenitudine ſua ſecundum differentes diſtinctiones diſtribuit: alii ſecundum Apoſtolum, dans ſermonem ſcientiæ, alii gratiam ſanitatum, alii operationem virtutum, &c.* quod & viſibiles Pontifex imitatatur, alios in Eccleſia conſtituens ſacerdotes, alios Diaconos, alios Subdiaconos. Et dictum initio *ex Iſidoro* dari annulum Epiſcopo propter ſignaculum ſecretorum. Quando vero datur annulus Epiſcopo, dici ſolet ut in libello ordinis Romani: *Accipe annulum diſcretionis & honoris & fidei ſignum, ut quæ ſignanda ſunt ſignes, & quæ aperienda ſunt prodas, quæ liganda ſunt liges, quæ ſolvenda ſunt ſolvas.* Cæterum annulus Epiſcopalis ex auro puro ſolide conflatus conſtat cum gemma pretioſiori in qua nihil ſculpti eſſe debet. *Hæc Synodus Mediolanenſis de Supellectili Eccleſiæ.* At receptum Epiſcopos annulum in indice manus dextræ, idque putatur inſtitutum tum Hebræorum exemplo Jerem. 22. *Etiamſi Iechonia annulus fuerit in manu mea dex-*

dextra, inde evellam illum, tum etiam quod digitus Index Salutaris dicatur. *Suetonius in Augusto cap.* 80. *Trebellius Pollio in vita M. Septimii.* Salutaris vero appellatur, quia Silentium indicat. *Apulei. lib.* 1. *Metam. Martian. Capell. de nuptiis Philologiæ*, *Alexand. ab Alex. Gen. dier. lib.* 4 *c. final. Guilielmus Minatensis Episcop. in Rational. Divin. offic. De annulo lib.* 3.

Annulo quis digitis ornetur.

16 Mos fuit veterum genere annulum in digito sinistræ manus, qui est minimo proximus, ratio una *Macrobii*, Quia in eo digito gemma annuli ab omni læsione esset tutissima, *lib.* 7. *Satur. cap.* 13. Romani hunc digitum *Annularem* seu *Medicum* nuncupant. Illo enim, quum veniam poscimus à diis locum, Nemesios (quæ Dea ultrix malorum fuit, fautrix vero bonorum) post aurem, dextram obsignamus. Ipsa enim *Rhamnusia* dicta ibi locum venerationis habet. Rhamnes enim à Marathone haud plus sexaginta stadiis abest, ubi Nemesis phanum memoratur præcipuum, ab Adrasco ædificatum, cujus simulacrum altera manu fraxineum ramum, altera phialam gestat, quem locum, qui eam venerantur, attingunt, quum in ipsa aure memoriæ locus sit. Hunc digitum Ægyptii tanquam sacrum multis odoribus delibutum habere asseverant, habuisseque

que hoc proprium fertur, ut complicatus ſenarium, qui perfectiſſimus eſt, numerum deſignaret. Altera vero ratio, quare hunc digitum in ſponſalibus annulo exornamus. Cauſam eſſe hujus rei *Appion, in libris Ægyptiacis*, hanc dicit: quod inſectis apertiſque humanis corporibus, ut mos in Ægypto fuit; quas Græci ἀνατομὰς, id eſt, diſſectiones appellant, repertum eſt nervum quendam tenuiſſimum ab eo uno digito, ad cor hominis pergere ac pervenire, propterea non inſcitum viſum eſſe eum digitum potiſſimum tali honore decorandum, qui continens & quaſi connexus eſſe cum principatu cordis videretur. *Gell. noct. Attic. libro* 10. *cap.* 10. *Porphyrion ad Horatium Serm.* 2. *Satyr.* 8. *Lemnius lib.* 2. *de occultis naturæ mirac. cap.* 11. Quam rationem commentitiam contendit *Anaſtaſius Germonius lib.* 2. *animadverſ. c.* 8. cujus rationibus facile occurri poteſt, cum præſertim motum iſtum in parturientibus & laſſitudine defatigatis, omnibuſque cordis affectibus manifeſto percipiamus *ſecund. Io. Stephan. Durantium lib.* 2. *de ritib. Eccleſ. c.* 9. *nu.* 37.

17 *Annulorum ſculpturæ variæ.*

Annulorum ſculpturæ variæ, primi enim ſaxi fragmentum ferro incluſum gemmæ loco geſtaſſe feruntur: ſuperior Aphricanus Sardonycem, quod ſola

sola gemmarum ceram non auferret
18 Polycratis annulo celebratam. Lentu-
Annulis qualia diversi insculpta seu insixa habuerint signa. lus avi figuram Africani filius patris effigiem insculpsit annulo. Augustus Octavius, Sphyngis, mox imagine Magni Alexandri, nonnulli Harpocrate & Ægyptiis Diis usi sunt. Notaque est Pyrrhi gemma, in qua Apollo & Musæ cum suis insignibus non effictæ, sed nativa specie videbantur. Et annulus Syllæ, in quo Jugurtha insculptus erat. Celebratur quoque rana Mæcenatis & ensifer Leo Magni Pompeii in gemma. Et Seleuci annulus fatalis in quo anchora efficta visebatur, cujus imago in femore posteris familiæ nativa apparuit. Sicut Thebis habere lanceam genitivis notis Satorum nomini & familiæ datum erat. Inter quos fertur in brachio Dacorum notam originis quarto quoque partu regenerati. Præ cæteris autem magnis effertur laudibus Nonii Senatoris annulus, gemmâ XX. millibus sestertiis taxata, propter quam ab Antonio proscriptus erat: Proditumque memoriæ est Macrianorum familiam hoc habuisse proprium, ut Magni Alexandri imagines tam viri quam fœminæ in annulis deferant, & reliquâ supellectile effictas. Ipse tamen devicto Dario, quas destinabat in Asiam litteras, Darii annulo imprimebat, quas vero

vero in Europam ſuo. Quibuſdam vero Epicuri imagines non in annulis modo, ſed & in poculis habere magnæ curæ fuit, hoc fauſti ominis generi & nomini ſuo eſſe arbitrati.

Claudii vero Cæſaris principatu compertum eſt, non gemma ſignare, ſed auro, quod violare ſignis gemmas nefas ducerent. Quomodo Commodus Imperat. ſigno Amazoniæ ſignaſſe dicitur, donec ſecutis temporibus paſſim id inſigne appeti cœpit.

Quia damnatis quandoque adimuntur bona, *Spartianus in Adriano l.* 1. *de jure fiſci*, quandoque non adimuntur & dimidia pars liberis reſervatur, aut ſi plures ſint liberi omnia & pannicularia cedunt Spiculatoribus. Derogat tamen jus Authenticum *l. bona C. de bonis damnatorum.* Pannicularia non confiſcantur, id eſt panni & veſtimenta, quibus indutus eſt reus, cum ad ſupplicium ducitur, ſed præſides ea in utilitatem officii impendere debent *l. Divis eod. tit.* Sed hæc ſpolia non niſi damnato reo jam adimenda ſunt *l.* 2. *eod. tit.* Quod autem de indumentis dicitur, ſic accipitur, ut ſi damnatus gemmam habuerit magni pretii, eam capiat præſes ut pannicularia, aut ſi zonam circum ſe habuerit, in qua pecunia poſita ſit. Sic enim erat mos veterum, ut in zonis pe-

19 *Annuli, qui in ratione pannicularia numerentur.*

pecuniam gestarent Unde *zonarii sectores* dicuntur, *Plauto Crumenisecæ*. Quo etiam pertinet *illud Horatianum, ibit eo quovis, qui zonam perdidit.* Leves sane annuli in ratione *pannicularia* numerantur.

20 *Annulo donari à rege apud Persas quid?*

Apud Persas donari annulo à rege, amicitiæ signum erat, eo argumento illos in intimam sodalitatem & vinculum maximi fœderis admittere significantes, Athenienſibus autem etiam servis nequissimis ferreo annulo signare permittitur, sicut Babyloniis, qui annulo signatorio utuntur omnes. Apud Cattos, licet fortissimus quisque annulum ferret, ignominiæ hoc ducebatur loco, tanquam vinculo nexus erat, nisi aliqua hostili cæde eo se exolvisset. Carthaginenses pro numero expeditionum milites donabant annulis pluribus. Nec fuerit alienum meminisse, Heliogabalum singulis diebus novos variasse annulos, eundemque nunquam bis induisse. Atque Apollonium Thyaneum annulos ab Iarcha dono datos, instar numinis habuisse, ita ut singulis diebus per vices variatis maximorum secretorum particeps fieret.

21 *Annuli traditione à mori-*

Plinius lib. 33. *cap.* scribit morientibus & somno gravatis de religione quadam annulos detrahi solere. Hinc Suetonius Tranquill. in Tiberio c. 73.

Alii,

Alii, inquit, *in remissione fortuitæ febris cibum desideranti negatum: nonnulli pulvinum injectum, quum extractum sibi perficienti annulum mox resipiscens requisivisset. Seneca eum scribit intellecta defectione exemptum annulum, quasi alicui traditurum parumper tenuisse, dein rursum aptasse digito & compressa sinistra manu diu jacuisse immobilem.* Huc usque Suetonius.

bundo facta proximo assistenti quid priscis denotabat.

Hunc locum explanans *Beroaldus*, inquit, Annulum solitum tradi à morte proximis illi, quem heredem habere volebant, quod comprobat exemplo Alexandri Magni, qui moribundus detractum annulum digito Perdiccæ tradidit, tanquam id signum foret declarandi, quem vellet successorem, seu cui mallet regnum commendare, ejusque tutelam, sicuti scribit *Æmilius Probus*, seu ut alii, *Cornelius Nepos in vita Eumenis.* Addatur & auctoritas *Valerii Maximi lib. 7. cap. 9.* ubi ait, Q. Cecilium annulos morientem L. Lucullo tanquam heredi tradidisse. Quod & M. Popilium Oppio Gallo identidem feciſſe paulo infra tradidit *Levinius Torrentius in hujus loci explanatione.*

Verum neutrum horum Interpretum hujus loci genuinum sensum assecutum fuisse, vult *Marcellus Donatus in C. Sueton. Tranquill. dilucidat.* Rom.

Imper. enim & principes viros olim annulos signatorios digito gestare consueviſſe in Augusto demonstravit, quibus non modo Scripturas magnifaciendas signabant, sed & pecuniarum, gemmarum ac reliquarum rerum pretiosarum scrinia ea continentia signare solebant, nec alicui non nisi probatæ fidei & spectatæ credere consueverunt, quod facile comprobari potest præsertim *ex Livio lib.* 27. ubi tradit: *Quum Marcellus & Crispinus consules cum Annibale infelici pugna conflixissent, quod interempto Marcello Crispinus Pæni Ducis dolos metuens, qui non solum corpore Marcelli, sed & illius annulo signatorio potitus fuerat, civitatibus proximis misit nuncios, admonefaciens ne Marcelli litteris nomine compositis fraude deciperentur.* Ita *Cicero in Epist. ad Q. Fratrem* eum admonet, curam annuli sui signatorii tanquam suimet curam habeat, inquiens: *Sit annulus tuus non ut vas aliquod, sed tanquam ipse tu.* Ita *Plinius loco citato à Torrentio* de annulo seu sigillatorio verba faciens inquit: *Digito minimo unum annulum vidi, quo signanda signent, conditurque ille, ut res rara, demumque ut plurimum opum, ita scelera annulis fiunt. Quæ fuit illa priscorum vita, qualis innocentia, in qua nihil fingebatur. At nunc ibi cibi potusque vindicantur annulo à rapina. Nunc rapiendæ*

piendæ comparantur epulæ, pariterque qui rapiat exs, sed & claves quoque ipsas signare non est satis, gravatis somno aut morientibus annuli detrahuntur. Ex quibus clare patet, non superstitione aliqua morientibus annulum detrahi solitum, sed vel fraudis committendæ aut evitandę gratia, quod manifeste colligitur ex *Valerio Maximo, supra citato loco*, ubi ait M. Popilium Oppio Gallo moribundum annulos tradidisse, ne quid ex hereditate amitteret. Ex quibus intelligitur sensus verborum *Suetonii*, extractum esse annulum Tiberio morienti ab assidentibus, vel ut custodirent, neque eo abuterentur, vel ut resignatis scriniis illa rursus obsignarent. Quam sententiam & magis confirmat, quod *ex Seneca subdit Suetonius*, Tiberium exemptum annulum, quasi alicui (nempe confidenti) traditurum parumper tenuisse, dein rursum aptasse digito, & compressa sinistra manu jacuisse diu immobilem, quum videlicet nullum præsentem videret, cujus fidei annulum mandare posset. Addit *Marcellus* pro suæ sententiæ confirmatione & *Beroaldi* confutatione, nulla opus fuisse annuli traditione alicui ad declarandum heredem, quum ante biennium heredem fecisset, quod *ex postremo capite à Sueton. traditum* legitur.

22 *Annuli traditio heredis institutionem quodammodo arguit.*

Sed & annuli traditio heredis institutionem quodammodo arguit. Exemplum allegat *Cypreus apud Valer. Max. l. 7. c. 90. de ſponſalib. c. 11. n. 6.* Itaque Quinti Luculli teſtamentum reſciſſum fuit, qui ſemper præ ſe tulit Lucium Lucullum filium adoptivum ſibi heredem fore, cui moriens etiam annulos ſuos tradidiſſet, & tamen alium Pomponium Atticum teſtamento adoptaſſet, ideoque & pop. Romanus cadaver reſti adſtrictum per viam traxit. *E. c.* 794. Marcus Popilius Oppio Gallo moriens annulos tradit, quaſi hereditatis, ut omnes putabant, ſibi relictæ futuros teſtes. Quamvis Popilius ea intentione tradidiſſet, ne quid ex ea hereditate amitteret, quam non erat aditurus, & *Trogus Pompejus l. 12. de Alexandro M. Sexto*, inquit, *die præcluſa voce exemptum digito annulum Perdiccæ tradidit, quæ res gliſcentem amicorum diſſenſionem ſedavit. Nam etſi non voce nuncupatus heres, judicio tamen electus videbatur.* Q *Curt. l. 10.* Et *Diodor. Siculus de rebus geſtis Alexandri.*

23 *Annuli traditio ſola efficax non eſt ad plenam probationem.*

Etſi autem annuli traditio præſumptionem maximam inducit, tamen niſi alia accedant indicia, ſola efficax non eſt ad plenam probationem, idque colligere licet *ex dictis*. Nam & Q Lucullus & M. Popilius annulos tradiderunt hic Oppio Gallo, ille Lucio Lucullo, quos tamen heredes eſſe

esse noluerunt, idemque *ex c.* 793. *libet l.* 7. *ejusdem Val. Max.* cujus hæc sunt verba: *T. Barrulus L. Lentulo Spinteri cujus amantissimum animum, liberalissimamque senserat amicitiam, decedens suos annulos, perinde atque unico heredi tradidit, quem nulla ex parte reliquerat.* Et *ex l. cum pater.* § *pater pluribus de leg.* 2. colligitur simplicem clavium & annuli traditionem, quæ custodiæ tantum causa fiebat, nihil juris ei, qui illos accepit tribuere, sed commune filiorum negocium geri: eam opinionem tenet etiam *Duarenus in Tit. Qui testam. fac. poss.* § *De nuncupativo Testamento.*

24 *Annuli traditio, an sufficiat ut quis fiat tradentis heres.*

Porro annulos quoque morientibus detrahi solitos discimus à Plinio, qui l. 33. c. 1. circa finem, *Gravatis somno*, inquit, *aut morientibus religione quadam annuli detrahuntur.* Exemplum supradicto in Tiberio. Nec enim audiendi, qui Tiberium id mutandi heredis causa feciſſe censent Nam etsi quidem veterum consuetudo erat annuli traditione heredem & successorem designare, hic tamen annulorum traditio id efficere non potuit exstante scilicet testamento, & quod religione quadam factum sit, intelligitur ex Æl. Spartiano, qui annuli spontaneum de digito casum inter signa mortis Hadriano Imperatori oblata retulit: *Signa mortis*, inquit, *hæc habuit, Annulus in quo*

25 *Annuli detracti morientibus.*

imago ejus ſculpta erat, ſponte de digito delapſus eſt. Forte autem ideo detrahebantur annuli, ne in pollinctorum manus pervenirent. Nam poſt reddi-

27 *Annuli cum mortuis combuſti.*

tos iterum digito & una cum cadavere combuſtos, non obſcure indicat Propert. lib. 4 eleg. *Sunt aliquid, &c,*

Et ſolitum digito Beryllon adederat ignis.

Addam hic memorabile hocce exemplum Coloniæ Agrippinæ ad SS. Apoſtolos in tabula depictum. Sub Epiſcopo Wilhelmo de domo nobilium de Gennep, mulier quædam nomine Richemodis peſte obiit anno 1357. cui maritus ob conjugalis amoris vinculum ſponſalitium annulum digito reliquit, quem veſpillo animadvertens, noctu cum famulo ſuo acceſſit ad buſtum, idque aperuit, ſervus deſcendit, annulumque detrahere voluit, quo facto mulier erexit ſeſe, veſpillo & famulus relicta lucerna aufugere, mulier ea ſumpta domum adiit ſuam, quam maritus viſo annulo intromiſit, ex eaque tres adhuc filios ſuſcepit. Teſtatur *Petrus Merſſæus in Catalogo Epiſc. Colonienſ.* vidi ego tabellam quum ſuperioribus annis Coloniæ degerem, & citavi *lib. de Miracul. mortuorum. par. 2. c. 16.*

Annulos in luctu mutatos videre eſt *ex Suetonio*, qui Auguſto mortuo quoſdam cenſuiſſe tradit, Exſequiarum die ponendos aureos annulos ferreoſque

sumendos. Quo pettinet Epigramma C. *Cilnii Mæcenatis in Horatium, quod est apud Isidorum lib. 19. c. 32.*

Lugens te, mea vita, nec Smaragdos,
Beryllos, neque Flacce, nec nitentes,
Semper-candida quæro margaritas:
Nec quos Thynica lima perpolivit
Anellos, nec Iaspios lapillos.

28 *Annulus Conradini illi necis causam præbuit.*

Cum Carolus Neapolitanorum rex victoria potitus fuisset adversus Conradinum Neapolitanum principem, ipse agasonis sumpto habitu, aufugiens, retento in digitis annulo pretiosissimo incautus sese prodidit, non agasonem, sed magnum principem: Piscator enim ex gemma simulatam credidit personam; atque ideo captus etiam ultimo supplicio capitis abscissione publice Neapoli mulctatus est. Peperit igitur annuli affectata gloria Domino suo summam ignominiam simul cum vitæ interitu.

29 *Annulus Polycratis in ore piscis inventus.*

Refertur de Polycrate Samiorum Tyranno, cui nil concupitum, nil speratum unquam fortuna negavit, adeo ut aliquando ei in mentem veniret experiri velle aliquod incommodum, si posset: Eam ob rem gratum sibi annulum in profundum maris abjecit, sed inimica illi sors effecit, ut captus piscis qui eum devoraverat, ad ipsius Polycratis culinam in obsonium deferretur: ex quo inventus est annulus, sed non

non diu post ille cruci affixus est.

30 *Annulus Pyrrhi novem Musas habebat insculptas.*

Annulus Pyrrhi regis, qui adversis Romanos bella gessit, non ignobilis famæ fuit, cujus gemma Achates erat, in quo novem Musæ cum insignibus suis & Apollo tenens Cytharam videbantur. non impressis figuris, sed ingenitis. *Solin. c.* 11. *Plin. lib.* 37. *c.* 1.

31 *Annulus Lydorum regis.*

Apud *Platonem* legimus Gygi Lydorum regi annulum fuisse mirandæ ac inusitatæ virtutis, cujus sigillum cum ille in palmam convertisset, à nullo videbatur, ipse omnia videns: qua annuli opportunitate fretus, reginæ stuprum intulit, regem dominum occidit, & quoscunque sibi obstare arbitrabatur interemit, atque in his eum facinoribus nullus videre poterat, tandem eo annuli beneficio rex Lydiæ factus est.

32 *Annuli Samniorum.*

Annuli quoque quos semper magnifecit antiquitas, quando opportune fabricantur, etiam in nobis promunt virtutem, ut tradit *Agrippa in lib.* 1. *de occulta Philos. c.* 47. quatenus gestantem ejusque spiritum efficiunt lætum, vel tristem, mansuetum vel terribilem, audacem vel timidum, amabilem vel odiosum: etiam quatenus muniunt nos contra ægritudines, venena, hostes, cacodæmones, & contra quævis alia noxia, vel nos obligant eisdem. Modus autem construendi annulos ejus-

modi,

modi, talis est, quando videlicet stella aliqua ascendit fortunata, & à Luna feliciter aspecta, vel sibi conjuncta, debemus lapidem herbamque huic stellæ subditam accipere, atque annulum ex metallo huic stellæ conformi fabricare, & in eo lapillum infigere, herba vel radice subjecta. Denique inscriptiones imaginum, nominum, præterea suffumigationes non prætermittere. Sic legimus apud *Philostratum* Iarcham Sapientum Indorum principem, septem annulos hac lege confectos, & septem Planetarum virtutibus ac nominibus insignitos, tradidisse Apollonio, quos ille singulis diebus singulos gestaverit, juxta dierum nomina distinguens, quorum beneficio ipse supra annum centesimum ac tricesimum vixerit, insuper & juventæ nitorem semper retinens. Simili modo Moses Hebræorum legislator ac Princeps in Ægypto magia imbutus, annulos amoris & oblivionis confeciſſe legitur apud *Iosephum*. Erat etiam narrante *Aristotele* apud Cyreneos annulus Batti gratitudinis atque honoris habens argumentum. Legimus insuper Eudamum quendam Philosophum annulos contra serpentum morsus, fascinationes atque dæmonia confeciſſe. Idem de Salomone narrat *Iosephus*. 33 *Annulorum compositio.*

HENRICI KORNMANNI
EX KIRCHAINA CHATTORUM,
DE
ANNULO
SPONSALITIO,
Pars Secunda.

SUMMARIA.

1 *Annulus sponsalitius.*
2 *Annulus pronubus.*
3 *Annuli datio desponsationis est argumentum.*
4 *Annuli datio probat sponsalia.*
5 *Annuli gestatio aliquam præsumptionem pro sponsalibus parit.*
6 *Annulus qua ratione detur in desponsatione.*
7 *Annuli traditio sola quomodo sponsalia constituere possit.*
8 *Annulum se accepisse in causam matrimonii neganti juramentum purgationis imponitur.*
9 *Annulus à sacerdote datus præsumptionem pro matrimonio parit.*
10 *Annulos gestare Romanis mulieribus non licuit præterquam sponsis.*
11 *Annulus nuptialis cur quarto digito inseritur.*
12 *Annulum desponsationis accipit à Christo virgo quædam sancta.*
13 *De annulo Ducis Venetorum.*
14 *De annulo Doctoris.*
15 *De annulo Veneris.*

Ro-

ROmani in contrahendis nuptiis annulos ut plurimum usurparunt, idque colligitur *ex Iuvenale*, cujus hi sunt versus: 1 *Annulus sponsalitius.*

Conventum tamen, & pactum & sponsalia nostra
Tempestate paras, jamque à Tonsore Magistro
Pecteris & digito pignus fortasse dedisti,
Certe sanus eras. —

Et apud *Plautum* in ancilla conciliatrix heræ nomine militi annulum tradit his verbis:

Hunc annulum à tui cupiente huc detuli, porro
Ab illa quæ digitos despoliat suos & tuos digitos decorat.

Idem *ex multis Iuris civilis locis* deprehenditur, *l si donatæ.* §. *ult. de donat. inter virum & uxorem.* ubi sponsus alienum annulum sponsæ misisse dicitur. *Harmenop. lib.* 4. *t.* 2. Scribit *Plin. l.* 33. Tum apud Romanos vir ferreum annulum sine gemma dedit mulieri seu sponsæ. Gemma aberat, ut rei describeret simplicitatem. Materia ad constantiam spectabat. Forma annuli ad perpetuam conjunctionem. Contra sponsa ex tribus assibus, quorum unum in manu, alterum in pede, tertium in sacciperio, gestabat, primum sponso dabat, quasi sibi illum illo pretio coëmptum esset habitura. Alterum in foco

Dis Laribus deponebat, quem & igni Inculento & corollis sua manu plexis, ut ait *Plautus* augebat. *Scalig. lib.* 3. *Poët. c.* 101.

2 *Annulus pronubus.*

Annulus autem ille pronubus appellabatur, *Tertull. de cultu fœminar.* & annulus fidei, ut eum appellat *Nicolaus Pontifex. Postquam*, inquit, *arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei annulo insignitum desponderit cap. nostrates* 30. *q.* 5. *Alex. ab Alexand. Gen. dier. l.* 2. *c.* 5. *&* *c.* 19.

3 *Annuli datio desponsationis est argumentum.*

Annuli datio vel missio præcedente tractatu amoris honesti desponsationis est argumentum & indicium, *not. gl. in c. tenor. de rejud. gl. c. final. de desponsat. impub. Hostiensis & alii cap.* 1. *in verbo*, *Secundum morem terræ. de matrim. contra interd. Eccl. contract.* qui omnes volunt in dubio annuli missionem matrimonium præsumptum arguere & notare, quando alia adminicula concurrunt. Quo spectat. *l. fœmin. in fin. & ibi gl* 30. *q.* 5. Etsi quidam illam missionem signum æquivocum æstimant. *Abbas. d. c. tenor.* Tamen cum alia adminicula concurrunt, præsumptionem non levem inducit *Zas. cons.* 10. *matrim.* & maxime si annulus sit alicujus pretii vel valoris *cons.* 10. *n.* 63. & adolescens dicat se ad honestos actus annulum misisse, qui enim signum acceperat, etiam signatum amplecti videtur, *argu-*

4 *Annuli datio probat sponsalia.*

mento

mento l. ſtigmata. C. de fabricenſ. conſil. Zaſii. 72. & 12. Interim tamen plenam probationem non facit, *Socin. conſil. 39. part. 1. Tuxzanus in opinionibus.*

Neque enim porrectione ſola annuli ſponſalia contrahuntur, niſi vocibus lingua figuratis id exprimatur, vel aliter ſignificetur, annulum ea de cauſa dare, & illum mulier nomine ſponſaliorum recipiat. *Aretinus conſil. 17. Imola c. Tenor. de re judicat.* Ita *apud Terentium* Philumena deprehenditur & probatur Pamphili eſſe conjunx annuli beneficio, quem virgini bene potus detraxit, inde cognitio facta eſt virginem eſſe compreſſam, & filium ex ea natum, ut colligere licet *ex iis quæ leguntur Hecyr. act. 2. Scen. 3. & Act 4. Scen. 1.*

5 *Annuli geſtatio aliquam præſumptionem pro ſponſalibus parit.*

Annuli geſtatio præſumptionem aliquam pro ſponſalibus parit *c. illud. ubi notatur de præſumpt.*

Cur autem annuli arrhæ loco dentur? *Bonfinius* hanc adfert rationem, quod duos animos hoc vinculo conſtringi putant, quia ejus rotunditas, quæ eſt infinita, deſignat, quod amor conjugum debet eſſe infinitus. *Iſidorus* aliam adfert rationem *l. 2. de divin. off.* Quod in primis nuptiis annulus à ſponſo ſponſæ datus ſit, nimirum propter mutuæ dilectionis ſignum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda

6 *Annulus qua ratione detur in deſponſatione.*

corda conjungantur. Sed verius est majoris firmitatis gratia, & ut sit pignus, tessera vel Symbolum, signum incurrens in oculos & demonstrans eam puellam cui annulus traditur desponsam esse, idque ostendunt verba Juvenalis:

Et digito pignus fortasse dedisti.

Non tamen est intelligendum, quod hoc nec alia pompa matrimonialis consueta sit necessaria ad matrimonium; quia sufficit solus consensus, *gl. in §. disponat. in verb. nuptias Circa fin. Auth. de nupt.* Imo in aliquibus locis tempore sponsalium solet verberari sponsus *gl. in l. cum inspeximus in verb. rapismata. C. de emancip. lib.* Prout Bononię ubi dant alapas. *gl. in Auth. constitutio. Quæ de dig. in verb. injuriis.* Puto vel in signum subjectionis, vel perditæ libertatis, juxta illum, qui clamabat: *Vxorem duxi, libertatem vendidi.* sive ut injicerent sponso illud *apud Lamprid. in Heliogabalo. Nupsit, & coiit, & ut pronubum haberet, qui clamaret: Concide Magire.* Et alios diversos ritus antiquorum in similibus enumerat *Valeriana. Freg. lib. 2. c. 1. de priscis institutionib. Sylva nuptial lib. 3. n. 13.*

Addunt tamen Doctores ut refert *Cypræus de sponsal. c. 11. nu. 3.* si consuetudine receptum esset, ut annulus certa quadam figura insignitus ad con-

7 *Annuli traditio*

sti-

ſtituenda ſponſalia daretur, tunc etiam ſine ullis verbis traditionem annuli ſolam ſponſalia conſtituere *gl. c. fœminæ 3. q. 5. Pariſius conſ. 55. n. 43. Didacus 2. part. c. 4. n. 3.* Quod tamen *Cypræus* improbat, hanc ob cauſam, quod in conſtituendis ſponſalibus recepta omnium gentium conſuetudine, quæ ratione nititur, verba requirantur, niſi contra, qui contrahunt muti ſint, quibus ignoſcendum eſt Ideoque ejuſmodi ſigna, quæ nihil aliud ſunt, quam technæ & aucupia, quibus contrahentes in fraudem illiciuntur, quæque certitudine abſunt, ſufficere non exiſtimaverim. Quorſum enim hujuſmodi adminiculis utemur in ſponſalibus conſtituendis, quæ compendio ſermonis expediri poſſunt & debent. Nam ſicut oculos nobis dedit Deus, non ut ſpectemus voluptatemque capiamus, ſed ut videamus propter eos actus, quæ ſpectant ad vitæ neceſſitatem, ita linguam nulla alia de cauſa accepimus, niſi ut ea animi cogitata proloquamur & voluntatem noſtram in rebus magni momenti, quales hæ ſunt, declaremus, non ut ea ad obſcænitatem verborum abutamur.

ſola quomodo ſponſalia conſtituere poſſit.

8

Annulum ſe accepiſſe in cauſam matrimonii neganti juramentum purgationis imponitur.

Interim tamen ei, quæ negat in eam cauſam ſe annulum accepiſſe, juramentum purgationis imponi poſſe exiſtimat *Cypræus d. l. n. 8.* quia annuli dili-

diligenter obſervari & non niſi in negotiis maximi momenti tradi ſoleant. Itaque *M. Tullius ad Q. Fr. ſit neque temere annulus tuus*, inquit, *non ut vas aliquod, ſed tanquam ipſe tu, non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ*: Vas τὸ σκεῦος, id eſt, ſupellectilis inſtrumentum, ut recte *Fornerius* interpretatur *l. 74 Signatorius annulus ff. de verbor. ſignif.* quaſi dicat eum annulum non temere inſtar cujuſdam vaſis aut ſupellectilis, aliis utendum dare debere, ſed ſibi eum ſervare veluti teſtem ſuæ voluntatis. Itaque Q. Sempronius, cum comperiſſet Annibalem annulum Marcelli collegæ in prælio interfecti nactum eſſe, ſciretque quantum in ea re momenti eſſet, municipes Italiæ certiores fecit, ne crederent Epiſtolis, ſi quæ Marcelli manu obſignatæ perferrentur. *Livius. Sextus Iulius Frontinus lib 5. ſtratagem.*

9 *Annulus à ſacerdote datus præſumptionem pro matrimonio parit.*

A ſacerdote datus annulus matrimonii præſumptionem inducit, *gl. c. fœminæ. 30. q 5. in verbo Annulus.*

10 *Annulos geſtare Romanis mulieribus non*

Romæ mulieribus non licuit geſtare annulos aureos, præterquam illis, quæ ſponſæ eſſent, idque *ex Tertulliano* colligitur, cujus hæc ſunt verba: *Circa fœminas etiam illa majorum inſtituta ceciderunt, quæ modeſtiæ quaſi patrocinabantur, cum aurum nulla norat, præter uno digito quem ſponſus oppignoraſſet,*

pro-

pronubo annulo: in Apolog. Et *Clemens* licuit
lib. 3. *Pædagog. c* 11. idem tradit *Isi-* præter-
dorus lib. 20. Fœminæ non uſæ ſunt quam
annulis, niſi quas virgini ſponſus mi- ſponſis.
ſerat, neque amplius, quam binos aureos in digitis ſolebant habere, hodie commune tum apud ruſticas, tum apud civitatenſes puellas geſtare annulos.

Cur autem quarto digito, quem et- 11
iam idcirco annularem & medicinalem dicunt, *Gell. lib* 10. *cap.* 10. inſe- *Annulus nuptialis cur quarto digito inſeritur.*
ratur annulus, quæri ſolet? Et ſupra reſponſum eſt. Exiſtimarunt enim veteres id ideo fieri, quod in eo vena quædam exſtat, quæ ad cor protendatur, & qua veluti duce mutuus amor ad cordis ima penetraret *Macrob. lib* 7. *cap.* 13. *ex Appione & Atteio Capitone.* Sed ut refert *Cypræus, d c.* 11. *nu.* 6. Medici recentiores & *Veſalius* nullam illic venam neque majorem, neque illuſtriorem aliquam, quam in reliquis digitis reperiri, quæ ad cor perveniat, docent: & veriſimile eſt, inquit, quod quibuſdam placuiſſe video nuptialem annulum ideo ſiniſtra manu latum fuiſſe, ne uſu attereretur, vel quod ipſi magis veriſimile eſt, ne manui dextræ, quæ ſemper agendo occupata eſt, impedimento annulus eſſet, ejuſque uſum remoraretur. Digito autem minimo proximo ea de cauſa etiam inſe-tum exi-

existimat annulum, quod is inter alios minimum sit occupatus, & quodammodo ociosus, sive scribat quis, sive aliud opus manu faciat. Idque res ipsa ostendit. *Macrob. lib. 7. c. 13.* his verbis: *Postea usus luxuriantis ætatis signaturas preciosis gemmis cæpit insculpere, & certatim hæc omnis imitatio lacessivit, ut de augmento pretii quo sculpendo lapides parassent, gloriarentur. Hinc factum, ut usus annulorum exemptus dextræ, quæ multum negociorum gerit, in lævam relegaretur, quæ ociosior est, ne crebro motu & officio manus dextræ pretiosiores lapides frangerentur. Electus autem*, inquit, *ipsa læva digitis minimo proximis, quasi aptior cæteris, cui commendaretur annuli pretiositas. Nam pollex, qui nomen ab eo, quod pollet, accepit, nec in sinistra cessat, nec minus quam tota manus semper in officio est. Vnde & apud Græcos ἀντίχειρ*, inquit, *vocatur, quasi manus altera. Pollici vero vicinus nudus & sine tuitione alterius appositi videbatur. Nam pollex ita inferior est, ut vix radicem ejus excedat. Medium & minimum vitiaverunt*, inquit, *ut ineptos, alterum magnitudine, alterum brevitate, & electus est, qui ab utroque clauditur & minus officii gerit, & ideo servando annulo magis accommodatus. Ex Attejo Capitone Pontificii juris perito* refert *Macrobius*. Sinistra autem manu

manu etiam ſuperior ætas annulos ferre ſolita eſt, ne novum inventum quis exiſtimet. *Macrob. lib. 7. cap. 13.*

Galli vero & Britanni medio tantum annulos adjiciunt illum præcipuo honore excolentes. Græcis vero Medius non famoſi nomen habet, ſed medici. Digitis enim apud illos hæc indita nomina fuere: Ἀντίχειρ, δείκτης, ἰατρὸς, δακτυλιώτης, ὠτίτης: ac ſi dicas, *Pollex, Index, Medicus, Annularis, Auricularis.*

Addo Mariam ut Judæorum habet Thalmuth, cum deſponſata eſſet viro, ille eam ſubarrhavit annulo medio impoſito digito, quum Judæi indici imponunt annulum. Neque vero fœmina ulla inter Judæos reperitur, quæ annulum portet in medio digito, ob eam cauſam, quia Maria, ut ajunt, illum poſtea portaverit in medio. Addo & hoc: Apud Hebræos novæ nuptæ dabatur annulus cum hac inſcriptione מזל טוב Mazal Tob. *Bona fortuna, Bonus Planeta*: cauſam pro effectu ponentes.

12 *Annulum deſponſationis accipit à Chriſto virgo quædam ſancta.*

Refert *Iohannes Nyder in Formicario l. 1. c. 1.* hiſtoriam de virgine accipiente à Chriſto annulum deſponſationis, quo benevolum Lectorem ſe legit.

13 *De annulo Ducis Venetorum.*

In feſto Aſcenſionis Chriſti Dux Venetus quotannis Bucentauro extra duo illa, quæ ad ingreſſum ſinus ſunt ſibi

sibi invicem opposita castella provectus, annulum in mare projicit, & est indicium dominationis, quam hac arrha Senatus Venetus sibi despondet. Origo hujus cerimoniæ talis est: Alexandrum III. Pontif. M. Ottho Friderici Ahenobarbi filius armis ita persecutus est, ut Venetias profugere coactus fuerit, ubi in monasterio charitatis quum aliquandiu ignotus latitasset, tandem agnitus & honorifice inde eductus, Venetorum arma pro se atque Ecclesia prompta ac parata invenit. Gesto bello Otho à Venetis navali prælio victus & captivus Pontifici est oblatus. Tunc Duci Venetorum Sebastiano Ziano Pontifex annulum de manu sua detractum obtulit, dicens: *Auctoritate mea hoc annulo fretus Oceanum tibi subjicies, & quotannis tibi posterisque eo die, quo hanc victoriam pro Ecclesiæ defensione obtinuisti, desponsabis mare, uti sciant omnes, maris tibi Dominium concessum, quia sedis Apostolicæ tuendæ curam & studium fideliter suscepisti. Sit hoc tibi quasi pignus benedictionis & secundæ sortis in futurum.* Narrat hæc *Villamontanus l.* 1. *peregr. sua c.* 34. & prior ille *Sabellicus decad.* 1. *lib.* 7. videat lector aliam rationem *in Monte Veneris*, qui proximo parturiet.

14 *De annulo Doctoris.*

Et est annulus insigne doctorale, de quo *can.* 30. *quæstio.* 5. *cap. fœminæ.*

Nar-

Narrat ex *Vincentio Bellouacensi D. Antonius p. 2. Sum. hist. t. 16. c. 7. § 4.* Romæ temporibus Henrici III. Imp. fuisse juvenem quendam locupletem & nobilem, qui recens uxorem duxerat, & sodales suos opiparo convivio nuptiali exceperat. Exivere in campum à prandio lusuri pila. Sponsus ludi dux, pilam posuit, & ne excideret annulus sponsalitius inserit eum digito statuæ Veneris æreæ, quæ in proximo erat, omnes unum petebant, sic cito defatigatus ipse à ludo secessit, & ad statuam rediit, annulum recepturus. Ecce videt digitum statuæ usque ad volam manus recurvatum, & quantumvis conatus annulum recuperare, nec digitum inflectere, nec annulum valuit extrahere. Redit ad sodales, nec illis ea de re quicquam indicavit. Nocte intempesta cum famulo ad statuam revertitur, & extensum ut initio digitum regerit, sed sine annulo, jactura dissimulata domum se confert ad novam nuptam. Cumque thorum genialem ingressus, sponsæ se jungere vellet, sensit impediri sese, & quoddam nebulosum ac densum inter suum conjugisque corpus volutari, sentiebat id tactu, videre tamen nequibat, hoc obstaculo ab amplexu prohibetur. audiebat etiam vocem dicentem: *Mecum concumbe, quia hodie me de-* 15

De annulo Veneris.

desponsasti. Ego sum Venus, cui digito annulum inseruisti, nec reddam. Territus ille tanto prodigio (inquit *Antonin.*) nihil referre ausus est vel potuit, insomnem duxit noctem illam, multum secum deliberans. Sic factum est per multum tempus, ut quacunque hora cum sponsa concumbere vellet, illud idem sentiret & audiret. Erat sane alias valens & domi aptus & militiæ. Tandem uxoris querelis commonitus rem parentibus detulit. Illi habito concilio Palumbo cuidam, Presbytero suburbano rem pandunt. Is autem erat Necromanticus & in maleficiis potens. Illectus ergo promissis multis, compositam epistolam dedit juveni, dicens: *Vade illa hora noctis ad compitum, ubi quatuor viæ conveniunt, & stans tacite considera. Transibunt ibi figuræ hominum utriusque sexus, omnisque ætatis & conditionis, equites & pedites, quidam læti, & quidam tristes: quicquid audieris, non loqueris: sequetur illam turbam quidam statura procerior, forma corpulentior, curru sedens. Huic tacitus epistolam trades legendam, statimque fiet, quod postulas.* Ille autem juvenis totum implevit, prout edoctus erat. Viditque inter cæteros ibi mulierem in habitu meretricio, mulum inequitantem crine soluto per humeros jactato, vitta aurea superius constricta, auream virgam

gam gerentem in manibus qua mulum regebat, præ tenuitate veſtium pene nuda apparebat, geſtus exſequens impudicos. Ultimus dominus turbæ terribiles in juvenem oculos exacuens, ab axe ſuperbo Smaragdis & unionibus compoſito, cauſas vię ab eo exquirebat. Nihil ille contra, ſed protenſa manu epiſtolam ei porrigit. Dæmon notum ſigillum non audens contemnere, legit ſcriptum: moxque brachiis in cœlum elevatis: *Deus*, inquit, *omnipotens, quamdiu patieris nequitias Palumbi presbyteri?* Nec mora, ſatellites ſuos à latere mittit, qui annulum extorquerent à Venere. Illa multum tergiverſata, vix tandem reddidit. Ita juvenis voti compos ſine obſtaculo potitus eſt diu ſuſpiratis amoribus. Palumbus autem, ubi dæmonis clamorem ad Deum audivit de ſe, intellexit ſibi præſignari finem dierum. Quocirca omnibus membris ultro truncatis miſerabili pœna defunctus eſt, confeſſus coram populo Romano inaudita flagitia.

HEN-

HENRICI KORNMANNI
EX KIRCHAINA CHATTORUM,

DE
ANNULO SIGNATORIO,

Pars Prima.

SUMMARIA.

1 *Annulus Signatorius.*
2 *De usu annuli Signatorii.*
3 *Annulos Signatorios Romani Imp. olim & Principes viri digito gestabant & quo fine.*
4 *Annulos Signatorios plures antiquitus Principes habuisse & qua de causa, quorumque curæ commissos.*
5 *Annuli Signatorii in hostium potestate positi quanta cura habenda.*
6 *Annulus Signatorius num importet credulitatem & fidem.*
7 *Num annulus præcise requiratur ad instrumenti confectionem.*
8 *Num alter alterius in defectu signo uti possit.*
9 *Annulo alieno, qui utitur in subscriptione hoc exprimere debet.*
10 *De Recognitione sigilli.*
11 *Aperiens & desigillans alienas litteras incidit in crimen falsi.*
12 *Num contineatur annulus signatorius inter ornamenta.*
13 *Utrum quis possit sibi assumere insignia.*
14 *Utrum insignia alterius possit quis sibi assumere.*
15 *Num liceat mutare sigillum.*
16 *Num spurii possint gerere insignia patrum.*
17 *Num expositi sicut nutritorum nomina assumunt, ita & insignia.*
18 *De Annulo Piscatorio, & cur Paulus ad dextram Petri in signo signatus conspiciatur.*

Sanc

SAne antiqui & litteras & arcas, & cellas vinarias aliaque similia annulo obsignabant, inde Signatorius annulus, *l. Signatorius. ff. de verb. signif. Budæus lib. 3. De Asse, ex Plinio* docet Romæ olim annulos non ornamenti causa, sed signandi institutos. Plura de annulo Signatorio *lib. 1. Reg. c. 21. Esther c. 3. & 8. Daniel. c. 6. & 14. l. Ad testium. ff. de testibus. §. possunt de testam. in Instit. Livius lib. 7. Decad. 3. Sueton. in Augusto. Dion. in Galba. Apul. lib. 10. de asino, & alii innumeri. Alex. ab Alex. Gen. dier. lib. 2. c. 19.* 1 *Annulus Signatorius.*

Usus ejus antiquissimus creditur statim cum contractibus inter homines ortus, ut confirmationem & robur rei inter homines actę & contractę adderet. Cum enim vita hominis mortalis & caduca sit, ne cum ipsa morte omnes actus ejus perirent, sed post mortem etiam de ipsius rebus gestis & voluntate constaret, *arg. l. 1. ff. de test.* Sigillum inventum fuit. Est autem signare, signis impressis pacta conventaque custodire, ut *Seneca* tradit, seu aliquam formam, vel signum alicui imprimere, vel notam imponere. Unde testamentum signare, id est, notare debet quis, ut notum sit illud, quod in testamento scriptum est. *Isid. l. 5. Ethic.* Licitum autem cuilibet sibi signum sumere quod volebat, ad designandam & 2 *De usu annuli Signatorii.*

testandam suam voluntatem, vel quod esset congruum suo nomini vel rebus. Hinc Octavius Augustus Imp. ob taciturnitatem Sphynge loco signi aliquantisper usus fuit, quæ etiam adhuc ante ostium Ponti Euxini, quo *in Bosphorum* se exonerat, in altera Symplegadum Insula in columna veteri ex albo marmore conspicitur cum hac inscriptione: DIVO CÆSARI AUGUSTO L. CLANNIDIUS L. F. CLA. PONTO. sicut *Leunclavius* tanquam *αὐτόπτης* notavit *Pandectis Turcicis*. Hanc tamen, quum Augustus dicteriis lacessteretur, *teste Plinio*, propter difficultatem ænigmatum, quibus sua Sphynx interdum erat instructa, nato subinde proverbio & calumnia: *Mirum non videri, si renata Sphynx non adferret Ænygmata*; Postea repudiavit, deinde Alexandri postremo corroborato Imperio, sua genuina imagine assumpta. Quo genere deinceps Tiberius Caligula, Claudius Domitianus, & alii Cæss. usi sunt. Hodie impetrantur & conceduntur à Principe, id est, Romano Imper. qui pro ratione & merito arma & insignia cum suis coloribus tanquam signa virtutum & heroïcorum gestorum distribuit, diplomatibus roborat & confirmat, rescriptis renovat & auget, aut ab iis, qui potestatem à Cæsar. Majest. habent, quales sunt Comi-

tes

tes Palatini, Aulæ Cæsareæ & Palatii Lateranensis, &c.

Romani Imperatores & Principes viri olim annulos signatorios digito gestare consuevere, quibus non modo scripturas magnificiendas signabant, sed & pecuniarum, gemmarum ac reliquarum rerum pretiosarum scrinia ea continentia signare solebant, nec alicui non nisi probatæ fidei & spectatæ credere consueverant: & habebant annulos signatorios plures, nempe quosdam, quibus Epistolas & acta publica obsignarent, quorum illi, qui à Secretis vel à Libellis & Epistolis apud ipsos erant, curam habebant: Alios vero, quos digitis propriis gestabant assidue, quibus secretiores scripturas, gemmarum, pecuniæ ac aliarum pretiosirum rerum arcas obsignabant. Signatorii hujus annuli mentio fit *apud* JC. *l signatorius 74 ff. de verb sign. & l. Argum. §. ornamenta. ff. de auro & argent. legat.*

3 *Annulos Signatorios Romani Impp. olim & Principes viri digito gestabant & quo fine.*

4 *Annulos Signatorios plures antiquitus Principes habuisse & qua de causa, quorumque curæ commissos.*

Hujusmodi signatorii annuli non semel fit mentio in sacris paginis, nempe *in Genes c.* 41. ubi de Pharaone dicente ad Joseph. *Ecce constitui te super omnem terram Ægypti, tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus.* Et 3. *Reg. c.* 21. ubi de Jezabel: *Scribit itaque litteras ex nomine Achab, & signavit eas annulo ejus.* Et *Esther cap.* 3. ubi de Assuero: *Tulit ergo rex an-*

annulum, quo utebatur de manu ſua, & dedit ei Aman, quo litteræ ſcriptæ ad univerſos ſatrapas obſignatæ ſunt. Et *c. 3. Tulit rex annulum, quem ab Aman recipi juſſerat, & tradidit Mardochæo, qui conſtitutus eſt propter domum illius.* Et *Daniel. 6. cap.* ubi de Dario rege: *Allatuſque eſt lapis unus & poſitus eſt ſuper os ſaxi, quem obſignavit rex annulo ſuo & annulo optimatum ſuorum.* Et 1. *Macchab. 6.* de Antiocho rege: *Et vocavit Philippum unum ex amicis ejus, & præpoſuit eum ſuper univerſum regnum ſuum, & dedit ei diadema & ſtolam ſuam & annulum.* Sepulcrum Salvatoris obſignabatur ſigillo, *Matth. 27. v. ult.* Et *Tacitus lib. Annal. 7.* de Venone Rege Parthis dato ab Auguſto: *Irridebant & Græci comites ac viliſſima utenſilium annulo clauſa.*

Livius lib. 27. Quum Marcellus & Criſpinus Coſſ. cum Hannibale infelici pugna conflixiſſent, quod interempto Marcello Criſpinus Pœni Ducis dolos metuens, qui non ſolum corpore Marcelli, ſed & illius annulo ſignatorio potitus fuerat, civitatibus proximis miſit nuncios, admonefaciens, ne litteris Marcelli nomine compoſitis fraude deciperentur.

5 *Annuli Signatorii in hoſtium poteſtate p ſiti quanta cura habenda.*

Cum ad fidem faciendam introductus ſit uſus Sigilli, credulitatem etiam importat, nam ſi creditur alicui ſcribenti,

6 *Annulus Si-*

benti, multo magis signanti. Hinc plerisque instrumentis, contractibus, testamentis additur: *Nostro solito Sigillo muniri fecimus*, utpote cum signationis subjectum & materia sit scriptura, expendit enim signatio ex fide testantis non materia signi, eoque cujus illud sit nihil refert *l. ad testium* 22. §. *signum* 5. *C. de testam. Wesemb. Instit. de testam.* §. *sed cum paulatim n.* 7. Tum quia sunt paria subscribere vel subsignare, *Rom. cons.* 303. *hæc scriptura. nu.* 1. *&* 2. & Sigillum operetur ratificatione sigillantis, *gl. l.* 2. *verb. Conquisita. C. de rebus alien. non alien. Bald. cap.* 1. *num.* 6. *&* 7. *de pace Constantiæ. Rom. d. consil.* 303. *num.* 6. Idem dicendum erit in eo, qui sigillo suo contractum ratificavit, *Schurpff. consil.* 17. *centur.* 1. Dum tamen constet sigillum vel scripturam illius esse, *Dec. cap.* 2. *num.* 27. *de fid. instrumen. Cravett. de antiquit. temp. part.* 1. § *viso. num.* 3 *&* § *quæritur. num.* 26.

Signatorius non importet credulitatem & fidem.

Quæritur num annulus præcise requiratur ad instrumenti confectionem? Innuit id *text. Instit.* §. *possunt autem omnes*, ibi, *Et uno annulo signare testamentum. de testam.* annulo scilicet habente characteres, qui signatorius dicitur, si videlicet in eo sigillum, non autem alio signo, *d. l. ad testium.* §. *signum. ff. eodem. l. signatorius. l. subsignatum*

7 *Num annulus præcise requiretur ad instrumenti confectionem.*

gnatum de verb. significationib. & id ideo, quia annulus, qui nimirum digito geritur, notus est, & diligentius custodiri solet, quam aliud signum. Quia tamen non observari usu Ulpiani sententiam videmus, necesse est aliud quodvis signum admittere, ut *Bart. d. §. signum.* & *Faber* censuerunt. Videmus enim plerosque hodie annuli loco alia signa habere ærea vel argentea, vel interdum linea, quibus sic fama redditur, ut annulo impressa videantur. *Mynsing. ad d. §. possunt.*

8 *Num alter alterius in defectu signo uti possit.*

Num alter alterius in defectu, signo uti possit? Innuit idem *præd. text.* ibi. *Omnes testes & uno annulo possunt signare testamentum, & alieno quoque annulo licet signare testamentum, inst. de de testam* Non enim omnes gerere solent aut habent sigilla, nec omnes scribere possunt, in iis casibus aliorum opera uti solent ad fidem faciendam, *l. si unus.* 12. *Cod. de testam.* Sed & etiamsi annulos ipsi habeant, qui omnes una sint sculptura, id est, unum & eundem habeant characterem. Ob id enim tantum adponuntur sigilla, ut ipsi testes illa cognoscentes testificari possint, *l. sed si quis 7. Quemadmodum testament. aper.* non ut unius signi ad alterum fiat collatio, id quod in publicum officium gerentibus contingit, *§. oportet. Nov. de instrum. caut. & fid.*

& §. *Lex Cornelia de publ. judic.* & ita præd. procedunt, dum tamen is, qui annulo alieno utitur, se alieno signare in subscriptione declaret, quod *ex Durandi sententia* cæteri approbarunt, *Specul. Tit. de probat. §. nunc videnda. vers. & nota. Bart. Angel Imola. Paul. de Castro l. ad testium. §. si ab ipso. ff. de test. Salicet. Rimin. & alii in l. si unus. C. de test. Ludov. Zantus de formulis test. n.* 18. illa potissimum ratione, quod alienis utens insignibus in falsum incidat. *l. eos* 27. §. *fin. ad l. Cornel. de falsi.* Et cum memoria hominis labilis sit, apertisque mortuo testatore tabulis signa agnoscere testes debeant, facile hic sit vacillaturus, qui alienum signum adposuit, nec id adscripsit. Si tamen hoc in subscriptione sit omissum, ob id testamentum non subverti *Faber* putat: cui accedit *Mynsi. d. loc.* cum id procul dubio non tacuissent leges, si ex eo testamentum vitiari voluissent. Verum quum leges aperte permittant alieno sigillo signare, signantis testis tamen nomen adscribi, & sic tacite quoque alterius sigilli sumptionem addi volunt, ob doli & fraudis suspicionem. Sed an si proprium quis annulum habeat, nihilominus alieno signare possit? Non videtur, frustra enim alieno signat, qui proprium habet, quia tamen nostros quandoque ad manus non-

9 *Annulo alieno qui utitur, in subscriptione hoc exprimere debet.*

non habemus, puto cum lex indistincte alieno permittat signare, nec ob id quoque tabulas infirmari, *argum. l.* 8. *de pretio. de Publ. in rem actio.* Sed etsi ab ipso testatore annulum acceperit, & signaverit testamentum, valet, *d. l. ad testium.* §. *si ab ipso.* q. alieno signaverit.

10 *De Recognitione sigilli.*

Recognosci tam subscriptiones quam sigilla debent, quod sufficit, *l. cum ab initio.* 4. *ff. Quemadmodum test. aper. l. comparationes.* 20. *C. de fide instrum. Mar. decis* 991. An ipsius autem voluntate sigillum esse appositum præsumatur, donec contra probetur, disputationis est *apud Wesemb. Instit. Quod cum eo.* §. *si igitur. num.* 6. in quo fere concluditur, privatorum sigilla non præsumi voluntate ejus apposita, cujus sigillum est, nisi ea aliunde coarguatur, ut ex subscriptione, præsentia, &c. Cæterum principis, prælati, universitatis signa, quæ custodiuntur diligentius, intellige voluntate ipsorum apposita, *Panorm. cap.* 2. *num.* 15. *de fid. instrum. Bart. Abbas. Fulgos Rom. Cast. l. si procuratorem.* 65. *ff. de procur. & Imol. l.* 1. §. *si quis neget Quemadmodum test. aper. Alex. l. quæ dotis.* 33. *num.* 38. *sol. matr. Guid. Papa decis. Delphin* 992. *num* 1. *Molin in constit. Paris. tit.* 1. § 5. *num* 14 *Covarruv. pract. quæst.* 22. *n.* 9. sicut & præsumitur ultro & scienter subscriptum, nisi deceptio vel error do-

doceatur, *l. ſicut.* 8. §. *non videtur. quibus mod. pign. ſolvit. num* 10. *in verſ. niſi manifeſte appareat deceptum l. dolum, C. de dol. mal.* & quoniam ſubſcriptio vel ſigillatio non valet, niſi ab eo facta, qui ſcripturam legit, *Caſtrenſ. l.* 1. *num.* 8. *ff. eod. l. pen. verſ. fin. ubi gloſſ. ff. eod.* ibi, *præſumitur quoque legiſſe & rem totam cognoviſſe, Caſtr. ibid. per l. non eſt conferendus* 12. *de tranſact.*

11 *Aperiens & deſigillans alienas litteras incidit in crimen falſi.*

Aperiens & deſigillans litteras alienas, ut illas oſtendat adverſario, committit crimen falſi. ita tenet *Bartol. in l. Titio. n.* 3. *ff. ad Municip.* Et eſt communis opinio, ut dicit *Aug. ad Angel. de malef. in verb. Falſario. n.* 10. quem refert *practica Conradi fol.* 392. *colum.* 2. *in princip.* Adde & è converſo, quod ſigillans litteras alieno ſigillo abſque expreſſa atteſtatione, incidit in pœnam falſi: vide *per Franc. Marc. quæſt.* 974. *per Bertachinum in ſuo Repertor. verb. ſigillatio. num.* 7.

12 *Num contineatur annulus ſignatorius inter ornamenta?*

Num contineatur anulus ſignatorius inter ornamenta? Videtur primo *per l.* 19. ibi: *cum aurum vel argentum legatum eſt, quicquid auri argentique relictum ſit, legato continetur. ff. de auro, argento leg.* accedit §. 7. ibi: *an auri appellatione annuli aurei contineantur, quæritur.* & *Quintus Saturninus lib.* 10. ad edictum ſcribit contineri. *ff. eod.* Verum de annulo Signatorio negat JC.

Paulus in l. signatorius. 74. ff. de verb. signific. & d. l. 19. §. 7. ibi: *Sigilla argenti appellatione non continebuntur.* subnixus hac ratione, quod non ea ex causa videlicet ornamenti factus fuerit, sed ad signandum; ideoque non contineri, & licet aureus vel argenteus sit, nihil movet, cum accidens ejus, & cujuslibet rei principalis intentio inspici debet, ab eoque appellationem meriti, ut tradidi *in proœm. Instit. ad verb. semper Augustus.*

13 *Utrum quis possit sibi assumere insignia.*

Utrum quis possit sibi assumere insignia? Resp. *Pa. 1. c. dilecta de excess. prælat.* communiter tenetur, quod sic, & arma sicut & nomen assumitur ad placitum, ut agnoscatur ab alio. *Instit. de leg. §. si quis in nomine & l. ad recognoscend. C. de ingenuis & manum.*

14 *Utrum insignia alterius possit quis sibi assumere.*

Utrum insignia alterius possit quis sibi assumere? Resp. *Pa. in d. c. dilecta.* quod sic, sicut & nomen, quod limitatur verum nisi illi, cujus sunt, prætenderetur aliquid damni, utputa facinorosus assumens arma alterius, posset ille offendi loco facinorosi, & talis potest implorare officium Judicis, & Judex potest prohibere, quia ad eum spectat quies populorum. *l. 1. §. Quies. ff. de offic. præfect. urb.* Idem dicitur, ubi interest reip. sicut si aliquis accipit insignia boni artificis, qui non est ita bonus, & ita decipiuntur populi: de

hoc

hoc habetur *per Bartol. in tract. de insigniis & armis.*

An liceat mutare sigillum? Nomen sibi quemque mutare posse excepto servo, modo fiat sine fraude & præjudicio alterius, quidam tenent. *Emanuel Sa* id ad tempus & ex causa posse putat, alioqui acceptum in baptismo non posse, nisi forte in confirmatione, nec id tamen observatur: nam etiam Pontif. Romani à Sergio tanquam consecrati nomina sua immutant, de quibus *Abbas in c. cum secund. de præbend. n. 5. gl. in proœm. 6. in verb. Bonifacius. Decius in c. 1. in 2. lect. n. 108. Extr. de judic.* quod verum puto, cum quis turpe & sordidum nomen habet, ex quo homines siniſtra suspicantur, putantes à pravo eventu impositum. *Angelica Summa in verb. Argumentum.* §. 3. *in fin.* Magnum enim est pulchro & honesto nomine vocari, scribit *Cynus, Salicet. & alii in l. cunctos pop. C. de Summ. Trinit.* Ideo homines quærunt bona nomina, & dicebat Constantia Joan. Andreæ uxor, quod si venderentur, deberent emi pro magno bono. Propterea Joan. Andreas extollit nomen proprium *in proœm. Clem.* Similiter *Accursius in l. facta. §. si in danda. (melius nostri in §. si vero nominis) ff. ad Trebellian.* interpretando nomen suum. De insignibus vero & Armis, non ita

15 *Num liceat mutare sigillum.*

facile puto cuivis ea mutare fas esse, cum in mutatione nominis persona nota maneat, in mutatione vero sigilli persona statim suspecta fiat, cum plurimæ sint familiæ unius nominis, diversorum tamen sigillorum. Hinc non mutantur vel augentur insignia, nisi à principe impetrata venia: ex subsistente tamen singulari causa mutavit Clodoveus Rex Franciæ, quando baptizabatur & fiebat Christianus, insignia Francorum, quæ erant tres bufones, in tria Lilia. & Witekindus Saxo nigrum equum in album, quando mutabat gentilitatem suam in Christianitatem. Sed eæ mutationes utpote à principibus viris factæ, facile fiunt notoriæ, quod non fit in privatorum, nisi quis fiat heres alicujus & nominis. Quandoque à superiore mutantur, ut habetur exemplum in Ducibus Bohemiæ, qui ex facinore Ducis Boleslai, fratrem suum occidentis & Imper. refragantis, ahenum sui coloris in igneo campo pro insigni gestare tenebantur, factum id ab Ottone I. Imper. Anno 994. sed eis restituit Conradus Imper. insigni cum aquila nigra tacta à flamma ignis Anno 1032 ut recenset Wenceslaus Hageccius *in suis Bohem. Chron. part.* 1.

16 *Num spurii possint gerere insignia patrum.*

Bastardi non portant arma domus nobilium, cum non sint nobiles, ut dicit *Baldus in l. cum legitimæ nuptiæ, ff.*

de

de stat. hom. idem Bald. in l. generaliter. § fin. Cod. de Instit. & substit. Chassan. in commentar. super consuetudinib. ducatus Burgund. in tit. des successions des Bastards §. 3. in gl. 4. vers. juxta prædicta. ideo non possunt assumere arma domus, ut dicit *Guil. Bened. in sua repet. c. Rayn. de cler. num. 31. de testam.* ubi tamen concludit, quod istud non observatur in Francia, quia Bastardi portant arma domus, cum aliqua tamen barra, quæ incipit à sinistris & tendit ad dextram, tendens & transversans per medium scuti seu campi armorum, & ibi plene de Bastardis. Legitimati à principe per rescriptum an possint portare arma plena domus, unde descenderunt, sine barra in medio per transversum? Videtur quod non, cum non includuntur, nec succedunt tales in feudis, *textus est in c. naturales filii*, licet postea fiant legitimi ad successionem feudi, nec soli, nec cum aliis admittuntur, si de feudo defuncti conventio sit inter dominum & agnatos vasalli, *facit c. quidam. de filiis natis ex matri. ad morgan. contract. in usibus feudorum.* Ergo eodem modo dicendum est de armis. Quia quemadmodum est beneficium & honor, qui non intelligitur sentire de reprobatis. *l. Lucius. §. Lucius. ff. de leg. 2.* Ita etiam portare arma est honor.

Se-

Secundo non comprehenduntur in disposítione Emphyteuticaria, *secund. Specul. tit. de Emphyt.* §. *nunc aliqua vers.* 172. ergo etiam videtur, quod nec in portatu armorum, cum eadem militet ratio in uno sicut in alio, ergo idem jus constituendum in utroque, *vulgat. l. illud.* §. 1. ibi: *eaque ratio similiter, &c. cum pluribus concord. alleg. in gloss. in verb. æstimari. ff. ad l. Aquil.* prædicta duo fundamenta posuit *Bald. in l. generaliter.* §. *eum autem.* C. *de instit. & substit.* & post eum *G. Benedicti in repet. c. Raynut. in verb. Rain. de test. n.* 23. *&* 24. *de test. & ibidem in verbo, & uxorem Andelasiam. num.* 101.

Tertio facit, quia legitimatus etiam expresse ad quamlibet dignitatem non intelligitur legitimatus ad regiam dignitatem, ut tenet *Bald. in l. eam quam col.* 9. *in fin.* C. *de fideicom.* In oppositum facit, quia existentia sui heredis habet locum in legitimatis, *secundum Bald. in d. l. eam quam colum.* 2. *& Iaf. in l. qui se patris in* 3. *&* 3. *col.* C. *unde liberi & in l. morib. col.* 5. *ff. de vulgari. Chassan. in comment. super consuetud. ducatus Burgund. tit. de succes. des Bastards.* §. 5. *in gl. ab intest. vers.* Quomodo autem, & plenius *in eod. tit.* §. 5. *in consil. ibi posito.* ubi fiunt de materia multa argumenta. Pro concordia prædictorum breviter dicendum

dum est, quod prima opinio procedit, ubi simplex interveniret legitimatio. Secunda autem etiam est vera in casu, in quo ita fiant legitimi, ut in feudo, Emphyteusi, portatu armorum domus, aut successione regni succedant, & hoc fuerit expresse & nominatim dictum in rescripto legitimationis, prout tenet *gloss. in verbo legitimi in d. c. naturales*, quam sequitur ibi *Baldus in d. l. eam quam colum. 9. in fin.* Quia hoc licet principi facere ex suo rescripto, ut satis innuit *G. Benedict. in sua Repet. c. Raynut. in verb. & uxorem Andelasiam num. 289. de testam.* ubi dicit, quod talis legitimatio quo ad honores & cætera, filiis legitimis, post vel antea susceptis, non præjudicialia, perpetua durat, & suum semper contineat effectum, pro quo facit *l. quoties C. de precib. Imp. offer.* Tamen quoad regnum & per consequens quo ad arma regni, talis legitimatio non potest fieri saltem in regno Franc. ut tenet idem *G. Bened. in loco præd. num.* 192. & 195.

Legitimati vero per subsequens matrimonium habent intrepide jus & facultatem deferendi arma plana domus & familiæ. Sufficit ad hoc *melior textus in c. tanta in princ. & ibi gloss. 1. ad hoc fere expressa.* saltem quo ad honores, *Extract. qui filii sint legit.* Ex eo, quia habentur pro suis & habent jura suitatis,

in

in dict. gloss. ab intestat. verb. primo enim legitimantur, etiam quod succedunt sicut alii filii legitimi & naturales etiam in feudo & in Emphyteusi, prout etiam tenet *Pan. in cap. innotuit colum. 7. & in cap. cum Vintoncinen. de Elect. & in cap. lator. & d. c. tanta. Extr. qui fil sint legitim.* Imo etiam si sit consuetudo, quod succedat primogenitus, iste taliter legitimatus, si sit primo natus, intelligitur primogenitus, & sic poterit & debebit portare arma plena domus, licet reperiatur postea alius natus legitimus & naturalis, alius secus. Faciunt ad hæc notata *Baldi in d. l. eam quam*, ibi: *denuo dubitatur*, & ibi: *Sed pono, quod est nominatim. Cod. de fideicomm.*

17 *Num expositi sicut nutritorum nomina assumunt, ita & insignia.*

Bartolus fuit expositus, & non erubuit dicere & nutritori gratias referre. Nam commemorationem insignem fecit *in l. quidam cum filium. n. 8. ff. de verbor. obligationibus*, de fratre Petro Pietatis, qui eum nutrivit & erudivit, sic appellatus, quia locum Venetiis erexit, qui Domus Pietatis vocatur, ubi infantes expositi nutriendo recipiuntur, dicitque fuisse virum miræ sanctitatis, & pro tali reputatus apud se & omnes, qui eum agnoverunt, cui gratias egit, & de ejus memoria, tenerice loquendo lacrymatur. Siste ergo & nota Bartolum, qui eo tempore magno

affi-

afficiebatur honore, non erubuisse fateri se expositum & ab illo expositorum communi Patre nutritum. Hic Bartolus habuit arma à Carolo IV. Imp. pro & sua agnatione, ut refert *Chassan. in Gloria mundi part. 1. consid. 38. conclus. 45.*

18 Solet Pontifex suas bullas & decreta subsignare & roborare Annulo piscatorio. Quid illud? Roman. Pontif. gloriatur se D. Petri successorem. Hinc D. Apostolum Petrum, utpote qui fuit piscator, & S. Paulum gerit pro sigillo. Hinc ipsius Secretum sive sigillum nominatur Annulus piscatorius. Cur vero Paulus ad dextram Petri signatus conspiciatur, multas rationes adfert *Alex. Carrerius potestate Pontificis l. 1. cap. 5.* non esse hoc perpetuum, ut in antiquis imaginibus Paulus dextram partem occupet, siquidem in his quæ Romæ nunc extant, ut in quibusdam Paulus ad dextram, ita in aliis non paucioribus ad sinistram cernitur, & sicut in diplomatibus Paulus dextram obtinet, ita in numismatibus sinistra potitus est. Et fortasse consulto id veteres observarunt, ut ex duobus summis Apostolis modo unum, modo alterum anteponerent, nimirum ut eo modo significarent, hos Apostolos vel pares esse inter se, vel certo ignorari uter alteri præstet.

De Annulo Piscatorio, & cur Paulus ad dextram Petri in signo signatus conspiciatur.

Nam

Nam & si Petrus major est potestate, Paulus major est sapientia, ut eleganter monet *S. Maxim. Sermon. de Sancto Petro & Paulo:* ubi Petro clavem potentiæ, Paulo clavem sapientiæ datam esse dicit: adfert deinde, cum simul duo incedebant, olim id observatum, senior & honoratior ad lævam esset, junior autem latus ei dexterum clauderet, & non nihil præcederet in signum obsequii. *allegat Ovid. lib. 5. Fastor.*

Et medius juvenum non indignantibus illis
Ibat, & interior si comes unus erat.

Addit testimonium *ex Eusebio. lib.* 1. *de vita Constantini*, Constantinum adolescentem dum obiret provinciam cum seniore Augusto, ad dexteram ejus incessisse, & sic initio cœpisse depingi Paulum ad dexteram Petri, ut juniorem & minorem, quod autem postea ad dextram depingi cœperit, etiam cum Petrum non tegit, vel cum Christus medium locum tenet, ex imperitia factum censet. Addit postea aliam rationem, quoniam Paulus plus videtur Ecclesiæ profuisse, quam Petrus: plures enim ex gentibus ad Christi fidem adduxit, plures provincias summo cum labore peragravit, plura scripta eaque utilissima nobis reliquit. Alia ratio insuper est, quia Paulus Doctor

ctor gentium præcipue fuit, Petrus Judæorum. Ut igitur Ecclesia significaret Gentiles Judæis tandem antepositos esse, ab eo, qui dixit, *Major serviet minori*, Paulum Petro antepositum.

Alia ratio, quia dextera significat immortalitatem, sinistra mortalitatem, & ob eam significationem Petrus ponitur in sinistra parte, quia sumptus fuit ad Apostolatum tempore mortalitatis Christi Domini nostri ante ejus mortem, Paulus autem ad dextram, quia adhæsit Apostolatui post ascensionem Domini, à Christo immortali & regnante ac à dextris patris sedente vocatus est. Ita tradit *Guillermus Durandus in libro, qui intitulatur Rationale divinorum officiorum lib. 7. cap. 44. vers. quidam tamen per duos annulos.* Sequitur *Selva de benefic. 1. part. quæst. 5. num. 71. Decius in c. translatæ 2. lectur. num. 20. de constit. Ludov. Gomez. c. 1. n. 36. de constit. lib. 6. Cardinalis S. Sixti lib. 2. de Ecclesia. n. 3. Cardinal. Alex. in c. quamvis 21. distinct. Illephonsus Perez de Lara in tract. de anniversar. & Capellan. l. 1. c. 7. n. 19.* cui & astipulatur *Antonius de Guevara. de brevita. tempor.* Quartam rationem addit *Petrus Damiani in Epist. ad Desiderium*, quia videlicet Paulus de tribu erat Benjamin, & in ipso Benjamin demonstratus, ac typice in scripturis expressus:

Porro

Porro Benjamin etsi postremus erat inter fratres suos, nihilominus & à patre filius dexteræ est appellatus, & à Josepho omnibus fratribus antepositus, ut *Gen. cap.* 25. *&* 42. legitur. Vide & *Chassanæum in Catalogo Gloriæ mundi* 3. *part. consid.* 2. ubi nititur sinistram esse præstantiorem, & ob id in bullis Plumbatis Rom. Pontif. imaginem D. Petri Apostolorum Principis in sinistra parte, Pauli autem ad dextram poni. *vide literas indulgentiales.* Placet mihi opinio *Durandi*, quæ animo hæsit meo, antequam ipsum viderem. Cum ea quæ fiunt & fieri dicuntur in cœlo, præferantur iis, quæ in terra, *argum. Orationis dominicæ*, *Fiat voluntas tua sicut in cælo, ita & in terra.* Placet addere quod *Blondus* meminit, adeo in pretio habuisse Romanos dexteram, ita ut nemo Cæsare veniente in Senatum à dextris occupare locum ausus fuerit, & credebant hoc grande dedecus, si juvenis vetulo aut servus domino, aut filius patri à dextris assederit. Id hodie apud omnes pene gentes usu servatur. Sed alia consuetudo Persarum est, qui ut *Plutarchus* meminit, hospites suos ad sinistras suas locarunt, putabant siquidem, eos quos maxime deligeremus & ex corde, etiam à cordis latere ponendos, refert *Guevara in Instit. vitæ Aulicæ. c. Quibus ceremoniis aulicus prin-*

principem compellare debeat. Refert *Xenophon* Cyrum ſolitum fuiſſe convivas honoris gratia à latere ſiniſtro juxta ſe ponere, utpote fideliores charioreſque illos declarans, qui in parte cordis læva diſcumberent Hinc & Jovi depicto dabatur ſceptrum in manu non dextra quidem, ſed ſiniſtra, ad denotandum ſicut in ſiniſtra parte hominis cor membrum principale corporis, in quo virtus vitalis ſit radicata, ſic mundus à Jove recipiat vitam. Vide *Antonium Ferrum in tractatu Italico cujus titulus: Apparato delle ſtatue ritrovate in Cuma C. Della prima ſtatua creduta di Giove pag. mihi* 13. *Pauſanias. Sedet in ſolio Deus ex auro & ebore factus: & zona capiti impoſita eſt ad oleagri nefandi imaginem. Dextera victoriam & ipſam ex ebore & auro præfert cum tænia & corona. Læva ſceptrum tenet affabre expolitum & omnium metallorum varietate diſtinctum, &c.*

INDEX

INDEX AUCTORUM,

Quorum Hiſtoriæ & Nomina in hoc Opere laudantur.

A.

Ælius Spartianus.
Æmilius Probus.
A. Gellius.
Alex. ab Alexand.
Alexander Carrejus.
Ambroſius Calepinus.
Antonius Germoniius.
Antoninus.
Antonius Ferrus.
Angelus.
Accurſius.
Antonius Faber.
Apulejus.
Appion.
Aurelius.
Aretinus.
Aubanus.
Aymon Cravetta.

B.

Barthol. Chaſſanæus.
Baldus.
Bartolus.
Bertachinus.
Bonfinius.
Budæus.

C.

Cardinalis S. Sixti.
Cornelius Nepos.
Cornelius Tacitus.
Clemens.
Cypræus.

D.

Dionyſius Gothofredus.
Digeſta.
Didacus Covarruvias.

E.

Euſebius.

F. Fe-

F.
Festus.
Fl. Blondus.
Franciscus Duarenus.
Fulgosius.
G.
Guid. Papæ.
Guil. Bened.
Guillermus Durandus.
H.
Horatius.
Harmenopulus.
Hostiensis.
Hieron. Schurpfius.
I.
Iacobus Cujacius.
Isidorus.
Ioannes Nyder.
Ioannes Villemontanus.
Ioachimus Mynsinger.
I. Stephanus Durantus.
Ioannes Andreas.
Iosephus Scaliger.
Imola.
Innocentius.
Iuvenalis.
L.
Levinus Lemnius.
Levinus Torrentius.
Leonclavius.
Ludovicus Gomezius.
Ludovicus Zuntus.
M.
Marsilius.
M. T. Cicero.
Marcellus Donatus.
Macrobius.
Molinæus.
N.
Nicolaus de Todeskis Abbas Panorm.
P.
Paulus de Castro.
Petrus Damiani.
Parisius.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Porphyrion.
Petrus Merssæus.
Q.
Quintus Curtius.
R.
Rabanus Maurus.
Romanus.

S. Su-

INDEX AUCTOR.

S.

Sabellicus:
Salicetus.
Sextus Iulius Frontinus.
Seneca.
Socinus.
Solinus.
Suet. Tranquillus.
Statius Papyrius.
Stephanus Eduensis.

T.

Tertullianus.
Terentius.
T. Livius.
Trebellius Pollio.
Trogus Pompejus.
Turzanus.

V.

Valerius Maximus.
Vincentius Belluovacensis.
Virgilius Maro.
Ulricus Zasius.
Ulpianus.
Wenceslaus Hageccius.

X.

Xenophon.

FINIS.

814,176